IACOBI GREVINI CLAROMONTANI BELLOVACI PARISIENSIS MEDICI, ET PHILOSOPHI PRÆSTANTISSIMI DE VENENIS LIBRI DVO.

GALLICE PRIMVM AB EO SCRIPTI, ET *à multis hactenus Latini deſiderati, & nunc tandem opera & labore Hieremiæ Martij Auguſtanæ Reipublicæ Medici, in Latinum ſermonem, ſumma fide & diligentia, in rei medicæ ſtudioſorum vtilitatem atque commodum conuerſi. Quibus adiunctus eſt præterea eiuſdem auctoris de Antimonio tractatus, eodem interprete, vnà cum rerum memorabilium, præcipuè ad operis calcem, Indice.*



ANTVERPIAE
Ex officina Chriſtophori Plantini
CIↃ. IↃ. LXXI.

Cum gratia & priuilegio ad decennium.

Mo.Bot. Garden,
1902.

Summa Priuilegiorum.

REGIÆ *Catholicæ* Ma^tis *Priuilegiis cautum eſt, ne quis cuiuſcunque ſtatus aut conditionis*, Iacobi Greuini &c, de Venenis libros duos, &c. *citra Chriſtophori Plantini voluntatem, intra ſex annos imprimat, alicubiue impreſſa in eius ditionis fines importet, aut quouis modo diſtrahat. Qui ſecus faxit, confiſcationis librorum, & pœna, vt latius in Regio diplomate expreſſum eſt, multabitur. Dato Bruxellis in Conſilio priuato* 7. *Iunij.* 1565.

Subſignat.

Bourgeois.

Et in Conſilio Brabant. 23. *eiuſdem.*

Subſignat.

De VVitte.

AD INVICTISS.

ET POTENTISSIMVM ROMANORVM IMPERATOREM

ſemper Auguſtum. D. Maximilianum ij. Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque Regem, &c. HIEREMIAE MARTII *Medici Auguſtani, in Iacobi Greuini de Venenis libros, Præfatio.*

QVANTA his turbulentiſſimis temporibus, & tam afflicto totius Reipublicæ Chriſtianę ſtatu, tantaque multitudine improborum, pericula à venenis non M. V. tantùm clementiſſime & potentiſſime Imperator, ſed in vniuerſum ferè omnibus mortalibus impendeant: quis tam rudis eſt, aut tam ignarus omnium rerum humanarum, qui neſciat, aut quandoque non vel ſuo ipſius proprio malo, aut aliorum certè damno, atque extremo vitæ periculo experiatur, atque cognoſcat? Quamuis enim à veteribus, Aetio nimirum Antiocheno, Paulo Ægineta, Dioſcoride, & à recẽtioribus etiam quibuſdam, vt Sante Ardoyno Piſaurenſi, Ponzetto, Petro Aponenſi, Hieronymo Cardano, infinita ſimplicium venenorum genera in medium ſint adducta, eo potiſſimum

conſilio,vt cognita vitari,& ſicubi fortè damnum intuliſſent, remedijs aptis expugnari poſſent: quorundam tamen hominum, qui quaſlibet etiam feras immanitate ſuperant, præterque formam & ſpeciem humani nihil præ ſe ferunt, malitia & improbitate factum eſt,vt hodie longè plura,eaque artificioſa magis,mali cuiuſdam genij inſtinctu, reperiãtur. Quis enim neſcit hodie, miro tamen aſtu, ephippia, ſtapedes, mantilia, ſtragula, veſtes, aërem item ipſum, cibum denique & potum, veneno ſæpenumero à nefario quodam hominum genere,inquinari atque infici? Pro vino ſæpè venenatum poculum porrectum fuiſſe, repentina quorundam mors ſuſpicioni anſam præbuit. Idem in cibo quoque vſu veniſſe, quandoque coniecturæ minimè dubiæ fidem fecerunt. In ouo ſorbili etenim cuidã venenum datum fuiſſe viri cuiuſdã magni teſtimonio nouimus. Mulſum antiqui tanquã ſaluberrimũ potionis genus cõmendabãt. atqui in eo cuidã venenũ exhibitũ, Cicero ſcriptũ reliquit. Venenũ item aliquãdo paſtæ ex ouis & lacte confectæ immixtũ fuiſſe, innumeroſq. ex vſu ipſius, omni prius tormentorum genere adhibito, perijſſe deprehenſum eſt. Fungi nonnullis hodie in delitiis ſunt. at

ex ijs

ex iis quidam toto genere exitioſi ſunt, mortemque, niſi maturè ſuccurratur, accelerant. quod facilimè contingit, cùm non ea, qua debent, diligentia colliguntur. Claudius Cæſar ob fungum venenoſum, quem illi talium ciborum auidiſſimo Agrippina obtulerat, è viuis exceſsiſſe à Suetonio ſcribitur. Quis prætereà neſcit ſaluiam, alioqui ad multa vtilem, quandoque reddi exitioſiſſimam, cùm nimirum eam bufo venenatus viroſo halitu ſuo, peſtilentique ſaliua conſpurcat? interim tamen ad robur capiti addendum, eam in vino immergi à multis videmus. An non ſæpè in iuſculis cicuta pro petroſelino, ab imprudentibus tamen, hauritur; vt Franciſco Trapolino, viro ſui ſeculi phænici contigit, cùm ab ancilla eſſet appoſita: qui amens, ſine ſopore, diſcipulis triſte ſui deſiderium reliquit? Animalibus quibuſdam tamē tantùm ſoporis induxit, vt pro mortuis abijcerentur. At ea poſtea experrecta, primùm attonita fuêre diu: mox inſano, ac præcipiti curſu, eoque vago, atque interdum vertiginoſo ſeſe proripuerunt. In Liguribus tamen Taurinis eius radices pro deliciis habentur in acetariis, addito etiam elogio ſalubritatis. Vrinas enim ciere validè admodum. In valle Polyzela ci-

curæ radix effoſſa pro petroſelino, à vinitore in prandio per initia ieiuniorum appoſita imprudenter, amentem fecit Nazarium. Baſſanum equitem fortiſſimũ, qui Ludouici deinde Laziſij medici opera liberatus eſt. Quo fit, vt multi ignoto genere mortis pereant, cùm ſæpenumero æger ſuccumbat, antequã morbus cognoſcatur exactè, cùm alij alias cauſas atque occaſiones in medium afferant. Non intellecti autem nulla eſt curatio morbi. Taceo quòd eorum nebulonum qui venena ſpargũt, tanta eſt improbitas, vt cùm facultas ſcelus perficiendi data eſt, & veneno aliquem auferre, vitamq́ue eripere decreuerunt, tanta ſolertia id aggrediantur, vt etiam peritiſſimo cuique imponant. Ephippia veneno infecta fuiſſe, hiſtoriæ noſtrorum temporum teſtantur. Hac enim ratione peremptum ferunt Ioannem Galeazium Mediolani Ducem, qui virtutum comes prius fuerat vocatus: cùm plures ante illum in ſella mortui quoque eſſent inuenti, vt quidam fide digni referunt. Et quod magis eſt, aſſerit quidam è medicis haud obſcuræ famæ & nominis, eſſe genus quoddam veneni, quod ſua partium tenuitate ad cor vſque abſque contactu penetret, itaque leue videatur, vt qui id hauriant, ſine

dolore

dolore intereant. eouſque hominum ſcelera-
tiſſimorũ malitia proceſſit. Quid quòd inter
animalia domeſtica quædam ſunt, à quibus
ſæpenumerò non leue periculum imminet?
quid canis fidelitate erga patronum celebra-
tum magis? atqui in rabiem actus nemini ma
gis infeſtus eſt. Sed & famulos, & heriles li-
beros, atque etiam heros ipſos à domeſticis ca
nibus laceratos memoriæ proditũ eſt. Quàm
ſæpè item fit, vt dum incautè aliqua ſub arbo-
re Siriis ardoribus mederi volentes quietem
capimus, à venenatis animantibus, ſerpente
videlicet, ſcorpione, aut araneo impetamur?
vel illa ipſa clanculum in vaſa in quibus vel
vinum, vel aliquid aliud ad quotidianum vi-
ctum neceſſarium continetur, ſeſe demittant,
vel è ſublimi delabantur? An non iuglandis
vmbra ſi non omnino exitioſa eſt, vitio tamẽ
non caret? quemadmodum taxi quoque le-
thifera eſt. Scribit Matthiolus, paſtores neca-
tos, qui aſſandis auiculis, napelli caule teme-
rè pro veru vſi ſunt. Quemadmodum verò
rariſſimè contingit, vt priuatis, aut obſcuro lo
co natis, ſeu infimis ac tenuiſſimis homini-
bus inſidiæ à veneficis, facinoroſiſſimis ſica-
rijs, & nefariis peſtibus, parentur: ſic ferè ſem
per, aut plerumque certè magnos viros, & in

 ſummo

ſummo dignitatis gradu conſtitutos homines ab iis non modò ad certam mortem, ſed in extremum etiam vitæ diſcrimen non ſemel, ſed iterum atq; iterum adduci occulto quodam odio, aut hominum quorundam peſſimorum ſuaſu, qui vel alienæ gloriæ ſplendorem ferre non poſſunt, vel ipſi alienos honores affectant, videmus. Quod etiam, me tacente, ſuperiorum temporum hiſtoriæ abundè teſtantur. Alexander Macedo ab Iola prægustatore Antipatri ad regnum aſpirantis filio, veneno ſublatus eſt. Cuius tanta vis fuit, vt ferrum quoq; exurere diceretur. Curtius id per Caſſandram fratri Iolæ traditum aſſerit. Conſtans præterea fama eſt, Carolum Gallorum VIII. Regem, Volaterrano quoque aſtipulante, veneno ſuffocatum. Quod à veritate non ita alienum videtur, cùm in ſphæriſterio, nihil eiuſmodi cogitans, ac prorſus nihil ſibi timẽs, exanimatus propè concidiſſe, ac paulo pòſt mortem, cùm eum iam ſanguis, vireſque deficerent, cùm vita commutaſſe dicatur. Sic Conſtantinus Imperator Heraclij filius, cùm per vnius ſolùm anni ſpacium rerum ſumma potitus eſſet, Martinæ nouercæ dolo & inſidiis venenum hauſit, quo ſuffocatus eſt. Carolus præterea Caluus Imperator, & Gallo-

rum

rum rex veneno à Sedechia medico Iudæo veneno occiſus eſt per interualla, cùm Mantuæ primùm in morbum incidiſſet, ac ſatis vehementer, diuq́ue ægrotans, tandem veneno in venas, atque omnes corporis partes permanante, maximo cum dolore mortuus eſſet. Sed hoc, quod ſequitur, omnẽ immanitatem ſuperat. Henricus è Lutzelburgo oriundus, cùm Imperator iam à Clemẽte Pontifice poſt Albertum deſignatus eſſet, Hetruria tota ferè iam ſubiugata, atque in poteſtatem ſuam redacta, Florentinos etiam, qui iamdudum omnem de ſalute ſua ſpem abiecerant, adoriri, ferroq́ue & igne vaſtare decreuiſſet, nihilq́ue aduerſi accidere ſibi poſſe; vt qui tãtùm opibus & auctoritate valeret, in poſterum certò ſibi perſuaderet: anno Imperij quarto veneno in ſacra communione corporis & ſanguinis Chriſti dato, animam edidit. Quod aliqui opera & conſilio Roberti Siciliæ regis factum affirmant. Quid ad hanc crudelitatem poſt hominum memoriam maximam addi potuit? aut quis hoc auderet vlla in Scythia tyrannus? Eodem ferè modo periiſſe ſuſpicio eſt Victorem III. Pont. Max. cùm vnicum annum Eccleſiæ præfuiſſet. Lotarius denique Gallorum rex, Ludouici IIII. filius,

veneno ſublatus eſt, ab vxore adultera, vt fertur, parato. Eius quoque filius Ludouicus V. Blanchæ coniugis opera eodem modo perijt, vt Volaterranus refert. Antharis poſtremò Longobardorum rex Theolidæ maritus, cùm imperium per ſex annos adminiſtraſſet, domeſticorum inſidiis extinctus eſt apud Ticinum venenato poculo, vt Paulus Diaconus affirmat de geſtis Lõgobardorum. Quæ cùm ita ſint, hodieque tam multa, tam varia, tam peſtifera venena recenti hominum ſcelere ſint inuenta in communem perniciem, quæ prorſus omnia remedia à veteribus tradita reſpuunt, tanquam prioribus ſeculis inaudita: hoc maiore profectò ſtudio Principes elaborare oportet, vt venenorum non tantùm exactam notitiam habeant, ſed modum quoque quibus ſe ab iis tueri, & ſi fortè damnum aliquod acceperunt, illatam noxam propulſare queant, calleant. Quæ cauſæ Dioſcoridem quoque, Galenum, Paulum, Aetiũ, Auicennam, Serapionem, Halyabbatem, Rhaſem, & qui hos ſecuti ſunt noſtri temporis medicos impulerunt, vt de venenis ſcriberent. E quorum numero quamuis Dioſcorides palmam obtinere videatur, vtpote qui diligentiſſimè hoc totum negotium ſit perſecutus,

ſecutus, multa tamen à poſteris addita ſunt deinceps, quorum ille ne meminit quidem, quæ tamen præſtantiſſima eſſe ad venena auxilia, experientia compertum eſt. Pertinet porrò hæc tota de venenis tractatio præcipuè ad eos medicos qui Principum magnorum cuſtodiæ præficiuntur. Sæpè etenim (quemadmodum ſupra quoque facta eſt mentio) in magnatum conuiuiis dulcia & ſuauiter condita edulia, ſub quibus tamen venenum latitat, apponi ſolent. qua in re medicum ſagacem eſſe, & ſolertia vti oportet. Qui verò hæc ignorat, quomodo, obſecro, ritè ſuo fungetur officio? aut quomodo aliquando de iis, quæ morbos comitantur, accidentibus, iudicabit? aut quomodo denique grauiſſimis affectibus medebitur? cùm prius cauſa ſit abſcindenda vnaquæque, antequam ad intemperiem, quæ morbum peperit, accedamus. Neque verò medicus de venenis agit, vt ea vel doceat, vel pondus illorum cuiquam communicet, vel damnum inferat (qua in re à venefico differt) ſed vt iis qui fortè vel ex morſibus, aut ictibus venenatis, vel veneni, aut lethiferi vaporis hauſtu, in extremo vitæ periculo ſunt conſtituti, opem ferat. Quis enim tam ab omni humanitate alienus eſt, vt

venena

venena præſentiſſimam mortalium peſtem, mortiſque ineuitabilem cauſam, conſultò vel ipſe detegat (quæ tamen æterno ſilentio ſopiri magis expedit) vel literis eam mandare non toto pectore exhorreſcat? Atqui cùm tot ſceleratorum hominum maleficis artibus mundus abundet, & noua ſubinde venenorum genera ab improbis excogitentur: neceſſarium profectò erit viam oſtendere, qua quis ab iis vel cauere ſibi, vel ſi iam ab iis incommodum aliquod accepit, priſtinam ſanitatem recuperare poſſit. Hinc prudenter Ariſtoteles Alexandrum regem hortatus fuit, vt à coitu puellæ, forma quidem elegantiſſimæ, ſed napello, pernicioſiſſimo veneno è longa conſuetudine abſque vlla valetudinis noxa enutritæ, abſtineret, quam rex Indorum non alio conſilio certè, quàm vt ex illius congreſſu interficeretur, dono miſerat. Infinita huius generis præcepta à medicis & cautelæ non vſquequaque aſpernandæ, aut floccipendendæ, vt vulgò fieri conſueuit, ſunt excogitatæ. E quibus vna è præcipuis eſt, vt Monarchæ, ſeu Principes, & quoſcunque diuinus fauor ad ſummum honorũ faſtigium euexit, atque in altiſſimum gradum poſuit, ita ſe erga ſubditos gerant, vt & iuſtitiam debitè

admini-

adminiſtraſſe, nullaq́ue contumelia affeciſſe
eos vnquam, ſed æquitatis rationem perpe-
tuò habuiſſe, eorumq́ue libertatem & com-
moda pro virili defendiſſe videantur, quos illi
viciſſim omni genere beneuolentiæ comple-
ctantur, debitaq́ue ijs & honoris, & officij
munera præſtent. Proximum eſt, vt eiuſmo-
di miniſtros deligant, qui & honeſto loco na-
ti ſint, & educati liberaliter, ſtirpisq́ue nobi-
litate atque præſtantia, morumq́ue candore
& integritate ceteros antecellant. Arcean-
tur ex aulis Principum inuidi, auaritiæ addi-
cti, faſtu turgidi, atque immoderata ſuperbia
elati, gloriæq́ue cupiditate flagrantes. Non
parua quoque ad diligentiam & fidem mini-
ſtrorum, è crebra beneficiorum qualiumcun-
que collatione, fit acceſſio. Requiritur deni-
que medicus, qui in hac artis parte ſit exerci-
tatiſſimus. nam & varia eſt, & à paucis, quod
ego ſciam, excepto IACOBO GREVINO
medico & philoſopho Pariſienſi doctiſſimo,
huius libri à me primùm latinitate donati au-
ctore, pro dignitate tractata. Scio quoſdam
fore adeò ſuperciliofos, vt nec ipſi, nec mihi
interpreti, magnam gratiam ſint relaturi. Sed
quid illa me mouent? & quis ex æquo om-
nibus ſatisfaciat? hoc ſaltem dolendum, eos

omnium

omniũ maximè aliorũ ſcripta carpere, petulanterq́; inſectari ſolere, qui vel eruditionẽ ſuam falsò apud alios iactitant, inanemq́. rumorem aucupantur, vel nihil quicquã in cõmunẽ vtilitatẽ, tanquã ſi id quod ipſi norunt longè præſtãtiùs eſſet, quàm quod vulgò innoteſcere deberet, operæ conferre ſtulta quadã arrogantia cogitant. Sed vt ad rem redeam (neque enim inſtituti noſtri eſt in vitia quorundã hominũ plus quàm intolerabilia aſperius inuehi) neceſſe eſt medicum nõ tantùm exactã cognitionem venenorum habere, ſed antidotorum quoque & alexipharmacorum conficiendorum rationem exquiſitè callere: neque enim vbique legitimè præparantur. cùm plerunq. ea quorum maximi intereſt ſimplicia vel deſiderentur prorſus, vel falſa pro veris ſubſtituantur. quemadmodum in vſu quoque & administratione illorum, Theriacæ & Mithridatij pręcipuè, cautum & induſtrium eſſe oportet, ne pro medicamento venenum, cùm videlicet modum exceſſerit, offerat. Quæ pręcauendi ratio omnium tutiſſima (vt mea fert opinio) videtur. Et quia venena facilius in vaſis pretioſis occultantur, quàm vitreis aut fictilibus, opera danda erit, vt egregiè ab omnibus ſordibus expurgentur, nitidaque & munda conſeruentur, & hominibus probatæ

ſidei cuſtodienda tradantur. Eorũ deniq. integritas neceſſaria qui culinæ curam gerunt. Sint itaq. fideles, incorrupti, mũdi ac prouidi, quoad eius fieri poteſt. Innumeri ſunt præcautionis modi, quos conſultò prętereo, ſed hi pręceteris mihi arrident. Illud tantùm addendũ eſt, vt is qui veneno inſidias parari ſibi ſuſpicatur, à cibis varia arte elaboratis, diuerſoque modo cõditis abſtineat, omnémq. ſaporẽ palato vehementer gratũ, tanquam noxium reſpuat. Sub his etenim venenũ quandoq. deliteſcit, fraudulẽtérq. à veneficis, hominibus ex omni ſcelerũ colluuione natis, ne dolus deprehendatur, fucatur. Quo fit vt à voracitate quoque & nimia in cibi aſſumptione celeritate cauere ſibi debeat. Neque verò à propoſito alienum eſt, vt ſemper aliquid præaſſumat, quod illius vires retundat, inefficacéſq. reddat: vt caricas pingues, cum iuglandibus, & rutæ foliis, ſalíſque grumo. quæ antidotus mirifica eſt. Huc citri quoque poma, napi ſemen, Lemnia terra, mithridatum, & theriaca referri poſſunt. Sed finem faciam, ne M. V. hac nimia verborũ prolixitate moleſtiam afferre velle videar, & cauſas duntaxat adiungã, quibus impulſus hoc de venenis opus, M. V. ſummóque orbis terrarum monarchæ dedi-

care

care conſtitui. Quarum hæc prima fuit, quòd hac ratione futurum exiſtimaui vt hoc opus. M. V. fauore & clementia tanquam inexpugnabili arce vndequaque munitum, facilè ab inuidorum morſibus, & obtrectatorum calumnijs tutum futurum, & quæuis acerbiſſima etiam conuicia nihili facturum eſſet. Quis enim alioqui affectibus ita temperet, vt ea perpetuò æquo animo ferat, vel id genus hominum non aliquando vocis libertate perſtringat? Accedit amor M. V. in bonas literas, earúmque cultores ſingularis propè, eáſque prouehendi incredibile ſtudium, quæ duo in M. V. omnium maximè admiratione digna ſunt. Taceo ceteras verè Imperatorias virtutes, pietatis & religionis ſtudium feruens, pacis & publicæ tranquillitatis, ſalutíſque deſiderium ſummum, amorem in bonos incredibilem propè, humanitatem cum ſumma grauitate coniunctam: quæ profectò non leue incitamentum mihi fuerunt, vt hoc qualecunque opus M. V. tamē non indignum prorſus, à me conuerſum ſub auſpicatiſſimi M. V. nominis tutela atq; defenſione, in publicum prodire paterer; mihíque certò perſuaderem hunc qualemcunque laborem M. V. pro ea qua animi lenitate prædita eſt, non ingratum planè

planè futurum, eamq́ue mittentis animum potius, quàm operis dignitatem perpẽſuram, cõtraq́ue inuidos & iniquos iudices defenſuram. quam DEVS OPT. MAX. ad Chriſtiani orbis ſalutẽ & dignitatem, quàm diutiſſimè incolumem & florentem conſeruet, atq. indies ad maiora prouehat, atque ita ei perpetuò adſit, vt & piè ac feliciter in his maximis turbinibus ac fluctibus vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ imperet, & populi ipſius libenter & officiosè pareant. Auguſtæ Vindelicorum, Cal. Martij, Anno à Chriſti in carnem aduentu cIↃ. IↃ. LXIX.

V. M.

addictiſſimus

Hieremias Martius D.

Priuilegium Cæſareum de verbo ad verbum ex originali M.S. deſcriptum.

MAXIMILIANVS *ſecundus diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtenbergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Notum eſſe volumus vniuerſis. Cùm honorabilis doctus noſter, & ſacri Imperij fidelis dilectus* Hieremias *Martius* Medicinæ *doctor nobis quàm humilimè ſignificandũ curauerit, ſe in Reip. artisq́ medicæ ſtudioſorum vtilitatem, librum quendam de venenis, in lingua Gallica conſcriptum, in Latinum ſermonem tranſtuliſſe, eundemq́ librum conſtituiſſe in lucem edere, ac typis excudendum tradere, maximisq́ precibus ſupplex orauerit, vt dignaremur hoc ſuum magni laboris, & multarum vigiliarum opus benigno ac firmiſſimo priuilegio contra æmulorum fraudes, ac dolos munire, atque promouere, ne fortaſſe vel auctor ipſe, vel calcographus, qui huius operis imprimendi curam ſuſcipiet, debito emolumento defraudetur. Nos ſanè tam præclarum eiuſdem* Hieremiæ *Martij ſtudium ac operam non ſolùm clementer probauimus, verùm etiam auctoritate noſtra Cæſarea prouehendum eſſe duximus. Quocirca ſcienter, atque animo benè deliberato, & ex auctoritate noſtra Cæſarea diſertè vetamus omnibus ijs, qui in ſacro* Romano *Imperio, & Regnis Prouinciisq́ noſtris hæreditariis, vel imprimendis vel vendendis libris, ſeu quacunque alia ratione librariam negociationem exercent, ne quis eorum præmemoratum de venenis librum, poſtquàm dicti Martij ſtudio atque opera Latinè in lucem prodierit, per totum decennium ab editionis abſolutæ die numerandum, intra ſacri Romani Imperij, & omnium Regnorum ac prouinciarum noſtrarum fines, eodem vel alio charactere recudere, aut vbicunque recudendum dare, vel alibi impreſſum adducere, vendere, vel diſtrahere, palàm vel occultè, auſit. Quiſquis verò aliter fecerit, & interdictum hoc noſtrum ſpreuerit, aut violauerit, is debebit non ſolùm eiuſmodi libris impreſſis, quos nimirum præfatus* Martius, *vel eius hæredes, aut ab eo mandatum habentes, auxilio magiſtratus eius loci, aut ſua quoque auctoritate apprehendere, & ſibi vendicare poterunt, verùm inſuper etiam decem Marchis auri puri noſtro Imperiali fiſco, fraudis vindici, & dicto Martio, eiúsue hæredibus ex æquo ſoluendis & numerandis mulctari:* Dummodò *tamen prædictus* Martius *eiuſdem operis ſui ad minimum exemplaria duo, ſumptibus ſuis, in aulam noſtram Cæſaream, ad* Imperialem *cancellariam noſtram* Latinam *tranſmittat.*

Proinde mandamus vniuerſis & ſingulis noſtris, & Sacri Romani Imperij ſubditis, & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis & ſecularibus, cuiuſcunque gradus, Status, ordinis, & conditionis extiterint; præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu conſtituti ſunt, atque vel ſuperiorum ſuorum, vel ſuo ipſius

nomine ac loco iuris, & iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam hoc priuilegium ſeu interdictum noſtrum impunè violare, ſpernere, aut negligere patiantur: ſed ſi quos contumaces compererint, præſcripta pœna plecti, & quibuſcunque rectè fieri poteſt modis coërceri curent, quatenus & ipſi grauiſſimam indignationem noſtram, ac eandem mulctam incurrere noluerint. Quòd enim hæc rata & firma ſint, hiſce literis noſtris teſtatum eſſe voluimus, quas dedimus manus noſtræ ſubſcriptione, & ſigilli noſtri impreſſione roboratas in noſtra ciuitate Vienna, die nona menſis Nouembr. Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo octauo. Regnorum noſtrorum Romani & Hungarici ſexto; Bohemiæ verò vigeſimo.

MAXIMILIANVS

Sigillum Imperatoris

V^t Zas.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium

M. Singkmoſer.

LECTOR HIEREMIÆ MARTIO.

NON *ſatis eſſe mali miſero nunc credis in orbe,*
Martis alumne, niſi dira venena ſeras?
Deſine: meſſis adeſt ſcelerum, quæ Gargara vincat.
Deſine: lethifero ſemine turget humus.
Nónne vides tuus vt malè ſæuiat vndique Mauors?
Triſtis vt exultet nónne Megæra vides?
Atra fames potis eſt Plutonia regna replere:
Tot morbi poſſunt extenuare domos:
Ergo ſalutiferas potius, bone, conſere ſtirpes:
Quæ pellant morbos, impediantque necem.

MARTIVS LECTORI.

NON *ideò flammas cæleſti ſede Prometheus*
Attulit, humanas ſæuus vt vrat opes:
Non ideò gladios (quiſquis fuit ille) parauit:
Vt mortale genus mors violenta necet.
Non ideò natura veneni ſemina fecit,
Vt foret exitij munere cauſa ſuo:
Sed quia flamma nocet, ſuccurrunt flumina tectis:
Ne penetrent gladij, tegmina pectus habet.
Ne dirum virus ſpecie te fallat amica:
Néue ſuas vires liuida noxa gerat:
Hæc tibi ſcripta fero, miſeræ ſolatia vitæ:
Quæ procul inſidias, & mala quæque fugent.
Hoc igitur debes nobis pro munere grates,
Si tibi ſalua domus, tutáque vita placet.

H. *VV*. F.

DE VENENIS, LIBER PRIMVS:

In quo de natura animalium venenoſorum, & de Theriacis, hoc eſt, contra morſus illorum remedijs, agitur: autore Iacobo Greuino, Medico Pariſienſi, & Hieremia Martio, Medico Auguſtano interprete.

De venenis in genere. Capvt I.

ANTEQVAM aggrediar tractationem de natura animaliùm venenatorum, & venenorum, neceſſarium eſſe duco, intelligere primùm quid ſit venenum: ne vbi longius in hac materia proceſſerimus, in pleno ſermone retardemur: id quod ad alterius quoq; libri intellectum, in quo de venenis, & alexipharmacis acturi ſumus, faciet. Etſi enim veneni vocabulum admodum familiare ſit vulgo, eo tamen ſæpenumerò abutitur, & ad res tam bonas, quàm malas transfert, nullo diſcrimine habito, nec cogitat aliquando etiam id quod ori, ſeu palato gratum eſt, venenum eſſe, quemadmodum ſuo loco demonſtrabimus. Neceſſarium præterea eſt inuenire viam quandam facilem & certam (quam Græci methodum appellarunt) ad intelligendum naturam & differentias venenorum; ne, cùm à principio quamlibet veneni ſpeciem non poſuerimus ſuo ordine, eandem rem pluries repetere cogamur. Quod vbi fecerimus, facile deinde erit latius diſſerere, & abundè edocti erimus de præcipuis huius tractationis capitibus; quod in vniuerſum ad duos ſcopos referri poteſt, ad generalē nimirum explicationem eſſentiæ & naturæ veneni, quæ ratione Philoſophica, & cōtemplatione rerum naturalium, quas generatim loquendo cælum ſuo amplexu, & media terrę pars comprehendit, fulcitur. Neque verò ſimplicem tantum vocabuli explicationem, ſed deductionem quoq; præcipuarum quarundam actionum eius, quæ rationibus Philoſophicis innituntur, & de quibus in hoc primo libro verba facturi ſumus,

mus,intelligi velim. Alter ſcopus conſiſtit in cognitione hiſtorica, & diuerſas ſpecies & differẽtias rerum venenatarum proponit. Appello autem cognitionem hiſtoricam eam, quæ ſubiecta eſt iudicio ſenſus, ad quam referri poſſunt aſpides, viperæ, & reliquæ feræ venenoſæ. Neque verò eas hîc imitabimur, qui veram notitiam methodi, ad docẽdas artes ſe habere iactitant, & nihil minus tamen quam boni Methodici ſint, cùm doctrinam perſpicuam confundãt, & quod dici ſolet Gallico prouerbio, anguillam deſquamaturi à cauda incipiant. Sed nos huic rationi docẽdi, quæ & ſola & præcipua eſt, inſiſtemus, quæ tota perficitur in diuiſione rerum vniuerſalium in eas quæ minus ſunt vniuerſales, & ab his ad ſingulas ſpecies progrediemur, & poſtremò ad particulares naturas, quas Dialectici Indiuidua vocant. Medici porrò, quicquid ad medendi ſcientiam pertinet, in tria membra vt plurimum diuiſerunt, in res ſcilicet naturales, non naturales, & in eas quas contra naturam vocant. Per naturales intelligunt eas, è quibus corpus humanum eſt compoſitum (quod ſolũ pro ſubiecto habent) quales ſunt, elementa, temperamenta, membra & corporis particulæ, humores item, & quędã alia. Non natutales verò eę ſunt, quę etſi nihil faciunt ad corporis ſtructuram & conformationem, vim tamẽ habent, prout quis vel malè, vel bene ijs vtitur, id vel conſeruandi, vel offendendi, è quarum numero ſunt, alimẽtum, medicamentũ, venena item, quatenus ea vel exortu, vel natura ſua conſideramus. Per res verò contra naturam & morbos, eorumq́; cauſas & accidẽtia, quę toto genere naturę noſtræ aduerſantur, intelligunt. Sed vt ad inſtitutum redeamus, parum huic ſecundæ parti Medicinæ, quæ ſub ſe res nõ naturales comprehendit, immorari nos oportet, quæ ex ſimplici ſua eſſentia & natura, hoc eſt, non trãſlatæ, vel adhibitę intra corpus humanum, nec bonæ, nec malæ ſunt, vtrunq; tamen eſſe poſſunt. Verbi cauſa, vinum per ſe nec bonum, nec malũ eſt, nihilominus tamen, ſi quis eo moderatè, &, quantum ſatis eſt, vtatur, nutrit: quemadmodum ſi quis idem intemperantius ingurgitet, morbos procreare ſolet, & inter eas res poni, & numerari debet, quas contra naturam appellari diximus. Pari modo venenum quoq; nec bonum, nec malum eſt, ſed ad

corpus tranſlatum, fit contra naturam. Quamobrem dicemus venenum, quatenus per ſe conſideratur, eſſe rem nõ naturalem, & ſiquidem corpus humanũ ingreſſum fuerit, cauſam eſſe vel perfectæ corruptionis, vel maximæ in eo noxæ allatæ, idq; vel ob qualitatis exuperantiã, vel proprietatem naturalem & occultam, aut certè ob omnimodam conſpirationem, vel communem naturæ ſuæ conſenſum. Latini vocabulo mutuato à Græcis Deleteriũ appellant. Sed antequam vltra progrediamur, notare oportet, hæc vocabula Pharmacum Græcè, & venenum Latinè, quandoq; & in bonam & in malam partem accipi, vt videre eſt apud Actium Poëtam Tragicum, qui à Nono Marcello allegatur, & Caium Iureconſultum, qui ſcribit, cùm veneni fit mentio, ſemper debere addi vel bonum vel malum, vt de quo nam loquamur intelligi queat. Martianus præterea Iurecõſultus libro decimo quarto Inſtitutionum, cùm de venenis & medicamentis loquitur, perpetuò malum ad differentiam boni addit. Homerus inſuper libro quarto Odyſſeæ, in eodem verſu pharmacum, & bonum & pernicioſum appellat, quemadmodum alio quodam loco occiſorem hominum, ſeu homicidam. Diuerſæ tamen hæ ſignificationes hodie apud Gallos non ſunt in vſu. Veneni enim vocabulũ ſemper in malam partem accipitur, quamuis per illud Latini aliquando cantiones intellexerint, Cicero videlicet in ſuo Oratore, cùm ſcribit memoriam ſibi cantionibus & veneficijs fuiſſe ſurreptam. Sumitur quandoq; hoc vocabulum pro tinctura, propterea quòd (vt ego quidem exiſtimo) vulgò creditur herbas venenoſas ad eam adhiberi, in qua ſignificatione Vergilius ſecundo Georgicorum vſurpauit, cùm ait:

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.

Veneni definitio.

Diuerſa vocabuli veneni ſignificatio.

RECEPTVM eſt etiam apud Gallos Italorum vocabulũ, Boucon ſcilicet (ſed vtinam ſimplex vox tantùm à nobis retineatur abiecto eo quod ſignificat) per quod peculiariter veneficus venenum, quod præbet, intelligitur, & quod à Gallis propriè Poiſon dicitur, & ſub hoc nomine vt plurimũ venenũ, quod per os aſſumitur, comprehendũt etiam, & eum qui dat, veneficum appellant. Nos verò in hac noſtra definitione imò toto hoc capite, ſub vocabulo Poiſon, veneni no-

 men

men comprehendemus, per quod aliquando etiam eas res, quę nec qualitatibus ſuis, nec mixtionis ratione vitioſæ ſunt, intelligimus. Quæ & ipſæ tamen, cùm corpus ingreſſæ fuerint, naturá, accedente aliquo incõuenienti, lædere conſueuerunt, qua ratione nec taurinus ſanguis, nec lac, nec vinum, vllo modo venenoſa ſunt: Priora tamẽ duo vbi in ventriculo in grumum rediguntur, ſuffocationi cauſam præbẽt, quemadmodum poſtremum liberalius ſumptum, præcipuè cùm quis adhuc æſtuat magnis morbis. Nũc de re ipſa diſputare oportet, quam vt exactius intelligamus, notare oportet naturam venenorum, alimento quo nos communiter vtimur, omnino, & tota quidẽ ſua ſpecie contrarium eſſe: inter quod medici Medicamentũ quoq; collocatũt. Quemadmodum enim tres ſubſtantiæ illæ corporis, ſolida nimirum quæ eſt veluti fulcrum aliarum, humida & ſpirituoſa alimento conſeruãtur & ſuſtentantur: ſic à veneno expugnãtur, & tãdem vincuntur etiam. Medicamentum quod vtriuſque naturæ participat, accidentia quæ naturæ inimica ſunt, corporiq; ſuperuenire ſolent, corrigit atq; emẽdat. Sic itaq; venenum & nutrimentũ optimo iure ſub eodem genere comprehendũtur, cũ toto genere ſibi inuicem ſint oppoſita, diuerſo tamen modo. Nam quas Medici res non naturales appellant, dupliciter diuidi poſſũt, propterea quod quædã ex illis ad vitę cõſeruationem neceſſariæ ſunt, & vitari non poſſunt, è quarum numero ſunt, aër, cibus & potus, exercitium, quies, ſomnus, vigilia, retẽtio & expulſio excrementorũ, & animi perturbationes: quædam verò non ſunt neceſſariæ, & vitari poſſunt, vt enſes, venena, medicamẽta, beſtiæ furore percitæ & venenatæ, & id genus alia: quarũ cognitio propriè & in genere ad Philoſophos, præcipuè verò ad eos, qui de qualibet earũ ex profeſſo tractãt, pertinet: quemadmodũ notitia venenorum ad veneficum, quam apprehendit vt malignè & fraudulenter enecet: non, vt Philoſophus, vt maieſtatẽ & vim naturæ cognoſcat. Medicus autem in medio horũ amborum veluti conſtitutus eſt, & ab hoc notitiam & contemplationem animalium venenatorũ, & venenorũ omniũ, vt hac ratione vniuerſalem eorum naturã agnoſcat, ediſcit: ab illo verò, vt certus ſit de effectibus, & proprijs accidẽtibus, quę vſum illorum in cor-

in corpore humano comitari ſolent: non vt ad eum finem, quo veneficus, vtatur, ſed vt tueatur corpus, cuius miniſter eſt & cõſeruator,& cuius tutelæ & defenſioni totus eſt addictus, nõ ſecùs ac veneficus deſtructioni illius totum ſe deuouit. Tantũ igitur diſtat Medicus à venefico,quantũ alimentum à veneno: hoc etiã plus amari,defendi & obſeruari,quo veneficus magis odio haberi, expelli, & ignominioſa morte affici debet. Accedamus nũc ad differentias venenorũ,quod fuit ſecundum tractationis noſtrę caput. Diuidemus itaq; venena in duas partes principales, ſepoſitis hac ratione differẽtijs,quæ ſumuntur à propria eſſentia, & natura illorũ. Venenum corpus eſt. Sed omne corpus vel ſimplex eſt & naturale: vel compoſitũ & artificiale,quo fit vt venena ſimplicia & naturalia primum membrũ huius diuiſionis noſtræ, artificialia verò ſecundũ cõſtituant. Venenũ porrò naturale voco, quod aut pars eſt quatuor elementorũ,aut ex ijs conſtat abſq; vllo artificio. Alterum verò id eſt,quod ad arbitrium venefici,vel alterius opificis, mixtum eſt, quale eſt arſenicũ, ceruſa, & id genus aliæ compoſitiones periculoſæ,quarũ ignorãtia doctrinæ loco nobis ſeruire debet. Primum itaq; diuiſionis membrum tot habet differentias, quot habent corpora naturalia. Nam inter venena naturalia quædã ſunt ex elementis, quæ ob qualitates externas vel corrumpũtur,vel inficiuntur,qualis eſt aër, quem reſpirãdo attrahimus: qui aliquando inficitur vel à malignis vaporibus, vel ab aquis putridis, vel cadaueribus, vel à paludibus fœdũ odorem emittentibus, quandoq; etiam ob tempeſtatis mutationẽ, & ob influxum corporum cæleſtiũ,hinc omnia morborum genera in genus humanũ, qui communi nomine peſtiferi & populares appellãtur,ſparguntur,de quibus copioſè Hippocrates & Galenus in libris Epidemiorum tractauit. Ad eundẽ modum aqua interdũ à cauſis externis quibusdam infici poteſt, & tũ ad primam differẽtiam referri debet. Reliqua venena naturalia ex quatuor elemẽtis ſunt compoſita, & numero plurima ſunt. Quædam enim ex ipſis vita deſtituta; quædam ea prædita ſunt: priora omnia ferè ſunt metalla,vt gypſum, calx, plumbum,argentũ viuũ,& reliqua. Quæ vita fruuntur,eorũ quædam ex animalibus,quædam ex plantis ſumũtur. Animalia

Quatenus venenorũ noticia ad medicum ſpectet.

Diuerſæ venenorum ſpecies.

Venena naturalia.

porrò venenata ſunt aut integra, vt hirudo, aut excrementa quædã eorũ tantum, vel particulæ quędã, vt tauri ſanguis, aut morſu tantũ venenoſa ſunt, vt quędã ex volatilibus, aquatilibus & reptilibus. Ad plãtas aũt referri debẽt arbores, herbę, fructus, radices, ſemina, liquores & gummi. De quibus omnibus copioſè in primo & ſecũdo libro agemus, exceptis tamẽ morbis peſtilentibus, & venenis, quæ artificioſè componũtur, & cùm à Nicandro eorũ fuerit facta mẽtio, vt ceruſa: nam ſi de alijs loqui vellemus, occaſionẽ potius præbere ijs abutendi, quã remedia applicandi videri poſſemus. Curatio tamẽ eorũ nihilominus ex his commẽtarijs elici poteſt. Nolo præterea agere hîc de remedijs alterius veneni generis, quod Plato lib. XXXIIII. de Legibus veneficium appellauit, propterea quod, quẽadmodum ex inſtinctu & opera dæmonũ ſeu malignorũ ſpirituum perficitur, ita curationẽ quoq; ex ſola & plena illius poteſtate, qui totus illis eſt contrarius, hoc eſt, Deo, cuius opẽ implorare, & auxiliũ ab eo in huiuſmodi caſu expectare debemus, depẽdere exiſtimo. Operam etiã dabimus, ne in hoc decipi nos patiamur. Imperiti enim, cùm cauſas morborũ ignorant, eos ad dæmones, & veneficos, atq; veneficas transferunt. Antequã igitur iudicium feramus, diligenter prius doctos & bonos Medicos inquirere & conſulere oportet. Vt tamen lectori ſatisfaciam, quod ad veneficia attinet, paulò poſt de ijs loquemur.

Venena artificialia.

Qui morbi venenoſi ſint.

NVNC ſcire oportet, pro varietate venenorũ, duo etiam eſſe genera morborũ venenoſorũ, vnum quidem ſimpliciter venenoſum, alterũ verò contagioſum: cõtagioſum inquam, qui fit per contactum rerum externarũ, quæ venenatæ ſunt, & hic quidẽ facilè communicatur his qui cùm ægrotis habitant, vt peſtis. Simpliciter verò venenoſi morbi dicuntur ij, qui etſi fiant per contactum externorũ venenorũ, non communicant tamen illud his qui cum infectis habitant, qualis eſt morbus, qui è cicuta ebibita oritur.

Tres eſſe venenorũ ordines, & quæ ſint periculoſiora.

QVIBVS rebus breuiter explicatis, redibimus ad generalem venenorũ conſiderationẽ, quę triplici natura conſtare diximus, & primã appellauimus propietatem occultam, quę ſpecificæ cuidam & occultæ quatuor elementorũ mixtioni innititur. Secunda eſt quæ vim ſuam in qualitatum exceſſu

exercet.

exercet. Tertia eſt ea quæ his duabus eſt oppoſita, & omnium maximè periculoſa eſt: propterea quod etſi quãtitate ſit minima, ſubitò cùm intra corpus fuerit aſſumpta, parua mora interpoſita, peſtifera accidentia infert. Quibus de cauſis Auicenna hanc propriè venenum appellat, libro ſecundo de medicamentis cordi cõferentibus. Hoc etenim propriũ habent nõ ob exceſſum tantũ caloris, vel frigiditatis, vel ſiccitatis, vel humiditatis, ſed peculiaré quandam malignitatem, vt quidam exiſtimarunt, quam ex influxu ſigni alicuius cæleſtis acceperunt, nihilominus tamẽ qualitatibus etiam ſuis iuuantur & ſuſtinẽtur. Quod verò ad ſecundi generis venena attinet, non tam periculoſa ſunt, cùm non niſi in maxima quantitate munus ſuum exequi, & virus oſtendere poſſint, & à calore noſtro natiuo facilè ſuperentur, & coerceantur, quæ vt à primi generis venenis vincuntur, ita etiam ijs quæ tertio ordine poſita ſunt, inferiora ſunt. Ea autem talia ſunt, vt quamuis nullam habeant qualitaté excedenté, nihilominus tamen ſpeciali cuidam corporis particulæ ſeſe affigant. Id quod experientia videre licet, cùm medicamentorũ quędam peculiariter cordi, quædam verò iecori familiaria ſint. Sic Cantharides veſicam potiſſimum, quemadmodũ lepus marinus pulmones reſpiciunt, imò quod magis eſt, inter omnia venena quædam ſunt, quorũ ſymptomata primùm, vel in cerebro, vel iecore, vel corde in conſpectũ veniunt, vt de hyoſcyamo legitur, qui ſtatim per cerebri læſi ſymptomata cognoſcitur, quemadmodum ephemeri colchici partium naturalium, hoc eſt, per alui fluxum, in quo excrementa ſimilia loturæ carnis recenter mactatæ apparent. Sed hoc tamen pro explorato habere oportet, etiamſi vni corporis particulæ bellum inferant, perpetuò tamen cordi, ſi non in principio, in fine tamen pertinaciter adhærere. Nam cùm conſtet venena conſpiraſſe veluti in omnimodam corporis humani euerſionem, veriſimile eſt, illis vltimum hunc ſcopum eſſe propoſitum, vt principem arcé, in qua vita ſedem ſuam poſſidet, euertant & deſtruant. Sed antequá eò perueniant, vel eam adoriantur, partes primùm illi ſubiectas deſtruere conantur: Symptomata enim morborum aut à principio cordi ſunt communicata, aut alijs quibuſdam particulis.

Venena præcipuè cordi inſidiari.

Taceo quod non omne venenum eas vires habet, vt locum tam celebré cor nimirum, quod à natura in meditullio, veluti regni cuiuſdã vndiquaq; fortibus propugnaculis cincti, collocatum eſt, quæ primũ expugnare antequã vlterius progrediatur, oportet, obſidione cingere, vel vim illi inferre poſſit. Nihil minus tamẽ venena quędã ſunt, quę, neglectis quaſi reliquis omnibus corporis partibus, cordi vitæ fulcro primo impetu ſeſe applicant, vnde repentina mors, quandoq; paucorum dierũ ſpacio, quandoq; etiam paucarum horarũ & oculi momento quaſi ſequitur, id quod in reliquis tam ſubitò euenire non poteſt. Etiamſi enim ob aſſumptum venenum homo aliquãdo vel motũ, vel vocis vſum, vel ſenſus amittat, aut etiam partes coctioni, & cibi diſtributioni deſtinatæ omnino ſint labefactatæ: non tamen inde ſequitur, hominem ſubitò, nulla quaſi interpoſita mora debere mori. Cordis verò actione deperdita, neceſſaria omniũ membrorũ diſſolutio ſequitur. Ab eo etenim ita reguntur & ſuſtentantur, vt illorũ vis & efficacia non aliunde, quàm ab hoc vitæ fonte dependeat. Et quia in hanc materiam incidimus, rationes aliquas ſermonis noſtri generales in medium afferemus. Minimè dubiũ eſſe debet, pro naturæ varietate quatuor primarũ qualitatum, calidi, frigidi, ſicci, humidi & aliarum, quas Philoſophi ſecundas vocant, duri videlicet, mollis, grauis, leuis, tenuis, viſcidi, venena aut citò, aut tardè agere. Videm⁹ enim naturę quodam inſtinctu res calidas, molles, leues, aut tenues citius quàm frigidas, duras, graues, & viſcidas actiones ſuas perficere, quemadmodũ Gal. lib. III. Simplicium medicamentorũ ſcriptum reliquit, cùm inquit: Venena quædã eſſe, quæ longo tempore poſtquàm fuerunt aſſumpta, interficiant, præcipuè ea quæ viſcidam & terreſtrem naturã habent. Quo fit vt exiſtimem, venena quæ ſtatim occidunt eſſe calida, tenuia & leuia. Qua ratione etiam facilius & venas & arterias ingrediuntur, & inde ad cor. Hanc porrò caliditatem, tenuitatem, & leuitatem opifex compoſitione & mixtione magis auget, quemadmodum legimus apud Suetonium in vita Claudij Neronis Cæſaris, de muliere quadã, cui nomen erat Locuſtæ, quæ, cùm venenum quod fortaſſe ſegnius erat, perfectius coqui curaſſet, repentinæ mortis Britannici cauſa fuit,

De ſubita & tarda venenorum operatione

fuit,cui hoc venenum ex Neronis mandato oblatũ erat : id quod admiratione afficere neminẽ debet, cùm hoc in venenis arte paratis,in Italia præcipuè, vſu venire ſoleat. Hæc enim ob ſuá tenuitaté tam fluxa ſunt, vt in ſtapedibus etiam in minima portione,& quá ſenſu vix percipere licet,expanſa, ſoleas ocrearum ad cutim vſq; perforent, & per ea foramina carnem ſubintrẽt,ita certè vt breuiſſimo temporis ſpacio totum corpus inficiant. Eadem quoq; ſunt efficacia ea,quibus in quibusdam regionibus,imò in Gallia etiam, portarũ peſſuli illinuntur, & quibus vt plurimũ infelix hominum genus quoddam,venefici nimirum,vtuntur,quibus deniq; milites, ad imitationem Indorũ, qui ſagittas ſuas eodem modo tractant,globos ſuos inficiunt, de quo Paulus Oroſius libro tertio ſcribit, cùm ait, Alexandrum hac ratione magnam exercitus ſui partem, cùm vrbem quandá obſideret, amiſiſſe. Id quod olim Galli & Scythæ,vt Plinius lib.25.refert,& Celſus quinto etiam factibát. Suſpicio preterea fuit Germanos proximo bello idem feciſſe. Eadem fortaſſe vi prædita erant venena, quæ in ſcrinio Caligulæ Imperatoris fuerunt inuenta, quæ cùm in mare fuiſſent coniecta, tam ſubitò illud infecerunt, vt piſces inde quoque morerentur. Id quod Suetonius in Caligulæ vita ſcriptum reliquit. Neque verò tardam aut ſubitam operationẽ ita venenis aſſcribere debemus, vt nullum ad illius qui ſumit naturam habeamus reſpectum. Neq; enim dubitare oportet, quoſdam ea eſſe natura, vt diutius veneno reſiſtant, nec eos tam citò quàm alios poſſit conficere. Verbi cauſa, ſi quis venenum cuiuscunq; generis eadem quantitate,duobus diuerſo temperamento præditis,exhibeat,comperiet alterum hora citius,vel die,vel ſeptimana etiá, & menſe integro moriturũ altero,prout calorem naturalem vel debilem, vel robuſtum habet, non ſecùs quàm ſæpenumerò in medicamentis quæ ægris offeruntur,contingere videmus. Duæ etenim drachmæ rhabarbari in vno quandoq; plus,quàm quatuor in alio quopiam efficient. Id quod nulla alia de cauſa fit,niſi quod qui aſſumunt,diuerſo ſunt temperamẽto. Vt igitur ex his omnibus aliquid certi eliciamus, dico eos qui ſunt tẽperamento calidi, facilius & citius à venenis calidis & ſubtilibus,qualia ſuperius deſcripſimus, quam

qui natura frigidi ſunt, confici, propterea quod venas & arterias, & ob hoc etiam vias ductuũ largiores habent: quo fit, vt venenum quod portas veluti apertas inuenit, ingrediatur, & cum aëre attractum ob continuum cordis & arteriarũ motum facilius feratur. Quod deinde ad eos attinet, qui ſunt temperamẽto frigidi, certũ eſt, eos vehementius, quàm qui calidi ſunt, venenis reſiſtere, non tam ob cauſam dictá, quàm quòd frigidiores ſunt. Id quod profectò de venenis, quæ natura frigida ſunt, intelligi non poteſt. Quòd ſi cicuta propterea homini venenũ eſt, quod venas & arterias amplas habet, cibuſq; ſit nõ coturnicibus tantũ, ſed alijs etiam quibuſdam auibus, quæ has partes anguſtiores habent, vt Gal. III. ſimp. medicamentorũ refert: videtur ſequi homines calidos ſi cicutá biberint, citius, quàm qui contrariá naturá ſunt ſortiti, debere mori. Id quod falſum mihi eſſe videtur. Hoc enim abſq; exceptione conſtat, hos citius extingui, quòd calorẽ natiuũ habent imbecilliorẽ, quàm illos qui longiore tempore reſiſtũt: nec ſat eſt dicere illos habere vias ampliores & apertas, etſi enim facilius ſit per magnũ quẽdam alueũ, quá paruum, ingredi: nihilominus tamen cicuta cũ ſegnis ſit & grauis, ita fluere non poteſt, quemadmodũ nec reliqua venena, & natura frigida medicamenta. Amplitudo enim venarũ & arteriarũ, grauitate & ſegnitie veneni, cõtra quá calor naturalis & ad extremũ vſq; ſpiritũ pugnat, compẽſatur. Verũ quidem eſt, quemadmodũ dixi, eum qui ſit temperamento calido, & venenũ frigidum hauſerit, non minus quàm eum qui contrà ſit natura frigidior, & venenũ calidũ ſumpſerit, diutius id poſſe ferre. Et hoc quidem pacto, id quod anteà diximus, intelligi debet. In quo certè Galeni ratio, quam in mediũ adducit, mihi neutiquá ſatis facere videtur. Sequeretur enim cicutá hominem qui calidiore eſſet temperamẽto, & calorẽ tamen ad reſiſtendum imbecilliorem haberet, citius peremptturá: id quod III. ſimplicium medicamentorũ, vbi de hac materia tractat, ſed abſq; euidenti ratione, meo quidem iudicio, concludit. Nam vt ipſemet in eodem loco teſtatur, fieri nõ poteſt vt venenũ interim, dum vim ſuam in corpore exercet, nõ aliquid ab humoribus qui intus continentur, patiatur. Vbi igitur humor in corpore calidior fuerit, neceſſe eſt venenũ multũ pati, & conſequenti ordine non tam citò

Diſputatio contra Galenum.

vince-

vincere, quàm ſi nihil prorſus pateretur, quãuis ob inſignem calorẽ breuiſſimo temporis ſpacio cicuta extenuetur: nihilominus tamẽ eam coquit veluti, & aptã quaſi ad nutriendũ corpus reddit. Id quod idẽ calor in homine temperatura frigido, præſtare nõ poteſt. Quamuis enim vim habeat eam attenuandi, virtus tamẽ eò vſq; extendi non poteſt, vt eam aliqua ex parte, quemadmodũ alter, infringat. Sed antequã ab inſtituto digrediamur, prius obiectioni, quã quis mouere poſſet, quod ad venena ſua natura frigida attinet, reſpõdebimꝰ. Qui nimirũ fieri poſſit, vt cicuta, quę frigida, denſa, et veluti ad motũ pigra eſt, naturæ ſuæ inſtinctu per venas & arterias (nam vt cordi virus cõmunicetur eam viam ſequi oportet) primum, & ab his ad partes principes vſq; prolabatur? videri enim eam vt per hos canales ingrediatur, neceſſe eſſe iuuari quadã re, quę eam protrudat veluti, & vim habeat eã attenuandi. Id quod abſq; vlla dubitatione verũ eſt. Venena enim, præcipuè verò frigida, & medicamẽta eadẽ temperatura prędita, vt vires ſuas exerceant, à calore noſtro propelluntur & ſtimulãtur, qui cũ quicquid illi eſt oblatũ, in propriam ſuam ſubſtantiã conuertere conetur, hominẽ contẽtioſum & moroſum repræſentat. Qui quòd primus enſem arripit, alterũ vt ſe tueatur, cogit, qui dum ſe defendit, & ſuperior eſt, eum lædit & lethali damno afficit. Calor itaq; naturalis, cũ cicutam aggreditur, in cauſa eſt vt attenuetur, & facilius ad cor vſq; deducatur. Oportet enim omnia medicamenta frigida hac ratione attenuata per corpus cõduci, id quod Gal. XVII. & XVIII. ca. li. III. Simp. medicamentorũ ſcriptũ reliquit. Nihilominus tamen hic calor, cùm vel parum vel nihil ſit auctus, aut fortior redditus, frigiditatẽ veneni, tantũ abeſt vt infringat, vt potius eam adiuuet. Quam ob cauſam antiquitus Athenienſes, cùm cicutam ijs qui ſceleris alicuius conuicti eſſent, exhibere vellent, exiguam vini tenuis portiunculam, vt calore illius iuuaretur imbecilliore, & facilius totum corpus permearet, admiſcere ſolebant. Hoc verò in loco quæſtionis cuiuſdam in mentem mihi venit, quæ à quibuſdam vetuſtioribus medicis, præcipuè Arabibus, & per eoſdem tanquam vera approbata & in medium adducta fuit, vtrum videlicet fieri poſſit, vt homo longo accedente vſu & conſuetudine nutriri poſſit veneno? Et quod Auicenna ſcripſit

Actio venenorũ frigidorum calore iuuatur.

libro

Verum venena pro nutrimēto adhiberi poſſint.

libro IIII. tract. I. Fen. VI. id poſteritas ſecuta eſt, & pro explorato habuit: quamuis hæc propoſitio nullo modo de venenis in genere intelligi poſſit. Etſi enim verum ſit, pro nutrimento neceſſariò vti nos cibis dulcibus, & corpori quod nutriri debet, ſimilibus: aut certè qui tales facilè concoctione efficiantur: & naturaliter humana corpora, & reliquorū animantiū omniū calida ſint & humida (vita enim in calore, & humiditate temperata fundatur) nemo eſt profectò, modò ſano ſit iudicio, qui nō dicat, venena extremè calida & ſicca nō poſſe conuerti in propriū nutrimentū corporis: taceo quod ſi huiuſmodi eſt, nec dulce eſſe, ideoq; nec nutrire poteſt. Id quod indubitáter verū eſt, etiam ſi hiſtoria quæ puellá quandam venenoſa herba Napello ſcilicet, nutritam fuiſſe affirmat, vera eſſe à quibuſdam exiſtimetur, quod tamen pro vero accipi nō debet, cùm ea herba calida & ſicca, & à tota ſua ſubſtantia naturæ humanæ cōtraria ſit. Et vt demonſtrē hoc fieri nō poſſe, eius rei rationē commodá, & quæ abundè ſufficiat, afferá. Dico itaq; ſi homo nutriretur veneno à tota ſubſtantia ſibi cōtrario, neceſſariò ſequeretur hominem nō amplius eſſe hominē. Nam quicquid nutritur, ſuo ſimili nutritur. Quòd ſi homo veneno nutritur, neceſſe eſt vt ſit ſimilis veneno. Atqui ſi venenū tale eſt, quale diximus, hoc eſt, naturæ humanæ contrariū: rectè ſequitur, hominem cùm veneni naturá induerit, nō amplius eſſe hominem: Sed quod homo viuus degeneret in aliquid ſuæ naturæ contrarium, id verò abſq; omni ratione dicitur, taceo quod hæc propoſitio neceſſaria eſt, particulare non poſſe naturam cuilibet ſpeciei ſuæ contrariam poſſidere. Quod verò ad venena frigida & humida attinet, quæ talia ſunt ob exuperantem qualitatē tantùm, vt cicuta: fieri profectò poteſt, vt aliqua ex parte in propriam quod nutriri debet corporis ſubſtantiam conuertantur, quod Galenus loco iam citato oſtendit, vbi ſcribit anum quandam ſeu mulierem Athenienſem aſſuefeciſſe ſe, vt primùm minimam quantitatem, & paulatim maiorem abſquæ periculo ſumeret, idque toto vitæ ſuæ tempore, quæ certè quantitas ad interimēdum alium abundè ſatisfeciſſet. Id quod fieri non poteſt abſque inſigni excrementorum redundantia, ob materiæ pertinaciam & inæqualitatem.

Hinc

Hinc itaq; concludimus, idem poſſe contingere in venenis calidis, præcipuè tamen iis, quæ & ſubſtantiæ proprietate, & qualitatis exceſſu nobis aduerſantur. Neq; verò propterea dico hominem nõ paulatim ſe ad vſum venenorum, eorum etiam quę tota ſubſtantia illi ſunt cõtraria, aſſuefacere poſſe, non vt iis nutriatur. Natura enim vbi primùm paruam, deinde maiorem paulò quantitatem veneni è corpore expellere conſueuit, ita profectò deinde ad hoc faciendum longa experientia & vſu inſtitui poteſt, vt etiam ſi deinde in maiori quantitate illi offeratur illud, tamen etiam foras propellat. Sic Ponti Rex Mithridates ſeipſum veneno interficere non potuit, ſed ab extero quodam neceſſitate poſtulante occidi ſe voluit: propterea quòd paulatim ſe ad vſum venenorum aſſuefeciſſet.

SED quando in quęſtiones quę in genere de venenis moueri ſolent, incidimus, non alienũ erit ab inſtituto, inquirere, num humores putreſcentes intra corpus certa quadam & noua putredine in venenorum ordine collocari debeant: vt quidam arbitrati ſunt: qui in medium poſuere ſemen putreſcẽs in proprijs meatibus, menſes item muliebres ſuppreſſos, & humorem qui cauſa eſt luis venereæ, & eum qui leprã generat. Neque enim dubitare oportet, in morbis qui hinc oriuntur, admiranda fieri ſymptomata, quæ profectò in generali humorum putredine minimè fieri conſueuerunt: cuius rei infinita teſtimonia apud Galenũ habemus: præcipuè verò VI. De locis affectis, vbi humores putridos ſcorpionis ictui & phalangiorum comparat. Diligenter tamen animum aduertere oportet ne hac ratione naturas rerum autoritatibus veterum ſiniſtrè intellectis, confundamus. Videamus itaq; quid medicus quidam noſtri temporis, & è doctioribus, de hac quæſtione in medium adduxerit. Vult enim venena quędam extrinſecus aduenire, quædam verò intrinſecus, & in corpore generari. De accidẽtalibus enim non dubitamus: Sermo enim nobis eſt de intrinſecis, quæ ex ſua propria origine, ceu primo naturæ ſuæ ortu, venena eſſe negat: Sed tẽporis tantum proceſſu talia fieri autumat. Nam quemadmodum (inquit) ex varia putredine humorũ, quę corpori vel ex intemperie, vel alia quadam cauſa accidunt, diuerſæ febriũ

Num humores in venena cõuerti poſſent.

Fernelius taxatur li. 2. de abditis rerum cauſis, de morbis venenatis.

ſpecies

ſpecies excitantur : ita quoque ex longa putredine, aut alia quadam cauſa occulta, venenum in corpore generari poteſt: quæ verba ſi vera ſunt, fateri nos facilè cogēt, omnes morbos in corpore ortos ex venenis originem trahere : bona etenim pars eorum ex putredine ob intemperantiam qua quotidiè vtimur, longo tempore collecta oritur. Et profectò nihil ad rem facit, quod hūc Galeni locū pro ſuę ſententiæ confirmatione citat. Galenus etenim eo in textu qui legitur VI. de locis affectis, primùm vult reſpondere iis qui credere non poſſunt, tam paruam ſeminis retenti portionem in vaſis ſeminariis adeo ſæua poſſe excitare ſymptomata, vt capitis dolorem, appetentiæ deperditionem, febres et alia. Ob oculos enim proponit illis ſcorpionem, qui & ſi ſuo ictu exiguam prorſus veneni portionē eiaculetur, breuiſſimo tamen tēporis ſpacio efficit, vt magna in toto corpore ſubſequatur mutatio. Inueſtigat deinde num aliquid tale in corpore generari poſſit, quod qualitatibus ſuis, & efficacia malignitati veneni correſpondeat. Et continuando eam materiam iuxta opinionem aliorum quorundam medicorum, vt commodius poſſit intelligi, concludit tandem ſæpenumerò in corpore ob exiguam humoris putridi quantitatem non minus certè quàm veneni, ſæuiſſima concitari ſymptomata. Et quod ad illud attinet, quod vult Galenum velle hanc humoris portionem eſſe venenoſam, idque exemplo probat canis rabioſi, reſpondeo (præter id quod Galenus loquitur de promptitudine & humoris actione, qua aptus eſt ad agendum id, quod agit) non propterea ſequi, cùm canis inter reliqua animantia omnia naturam habeat peculiarem, eaque tota ita immutetur, cùm antea homini familiaris eſſet, nunc quemadmodum aſpis, & baſiliſcus capitali odio proſequatur : non propterea ſequi, inquā, vt idem quoq; in hominis natura præſtari poſſit. Quòd ſi ſolus canis inter reliqua animātia omnia ob humorum corruptelam in tantam rabiem agitur, vt etiam excrementa illius venenata ſint & contagioſa: qui fit, obſecro, vt hic humor qui iam cor, iecur, & cerebrū occupauit, eum non ſtatim interimat? quod profectò facere deberet, ſi ſola humorū corruptela in cauſa, et venenoſa potius qualitas quędam eſſet : ſed non dicit humores rabioſi canis venenum

eſſe

eſſe homini, & non cani, qui eos aliquandiu etiam in principibus corporis partibus retinet. Vt itaque probet humores putreſcentes intra corpus non poſſe conuerti in venenum, non ſat fuit citare canem rabidum. Multo enim rectius eſſet, inſiſtere rationibus naturalibus, ſiquidem haberi poſſunt quam ad ſimilitudines, vel ad proprietates quas occultas appellant, recurrere. Quod verò anſam mihi præbet, vt dicam, nec ſemen, nec menſes retentos, nec humorem qui lepram generat, venenoſa eſſe, eſt, quod venenum tale dici non poteſt (præcipuè illud è quo quis non ſolùm ob qualitates manifeſtas, ſed etiam totam ſubſtantiæ familiaritatem, peculiarem quandam malignitatem procedere cognouit, è quorum numero hæc erunt, ſi venena appellari debent) ſi non quatenus in cordis deſtructionem principaliter coniurarunt: alioqui enim (quemadmodum diximus) ſingulæ morborum cauſæ venena eſſent. Quod verò ad illud attinet, cùm ait, venena quædam aliis membris eſſe infeſta, vt cantharides veſicæ, leporem marinum pulmonibus, & quod hoc pacto falſa ſit hæc regula. Certum eſt eam niſi vberius explicetur, recipi non poſſe. Quamuis enim in iis membris ſymptomata præcipuè & primùm appareant: cor tamẽ tanquam vltimus ſcopus, ad quem collimant, illis propoſitus eſt, & vim ſuam malignam non tantùm in his membris, ſed pluribus aliis etiam exercent. Vnde Nicander ita de cantharidibus loquitur:

[illegible] *hauſtum*

Qui bibit hunc multo perſuſum humore, moleſtos
In labiis morſus, atque ima ſentit in aluo,
Nec minor exercet mediam dolor: horrida ſurgunt
Vlcera veſicæ, compreſſum pectus anhelat,
Quà ſuper oſſa cauo incumbunt molliſſima ventri:
Ira venit vehemens, & plandiculatio corpus
Diſtendit defectum animo. Vis dira veneni
Præualet, & miſeros, præter ſpem paſcitur artus.

CVM etiam de marino lepore loquitur, plura alia ſymptomata deſcribit, quã ea quę pulmonibus ſuperueniũt, quorũ ille ne meminit quidem. Ad hæc locus ille Galeni v. Simpl. quo ſuam ſententiam probare cogitat, ſatis oſtendit, venena

quædam

quædam aduerſati cerebro: Sed quod illius tantũ reſpectu talia ſint, prorſus nihil legitur. Humores porrò, de quibus quæritur, venenoſos eſſe, idque à tota ſua ſubſtantia, & cor quemadmodum venena oppugnare, id verò à veritate alienũ eſt. Etſi enim aliqui vapores, è quibus deinde capitis dolores, & animi deliquia proficiſcũtur, eleuẽtur: & quandoq; ab extremo pede aura eleuata morbi comitialis ſpecies quędam excitetur: non tamen hoc ita nouum eſt, vt non idem quoq; alijs de cauſis, ijſq; quã plurimis euenire queat, quemadmodum capitis dolor ab humore quodam pungente: animi deliquia à pituita aquoſa & frigida defluente à cerebro in ſtomachum: morbus comitialis ob vaporum copiam ad cerebrum delatorum, qui in pituitam conuerſi, aut ventriculos illius aut meatus, per quos ſpiritus vitalis tranſmiſſus à corde defertur obſtruunt. Non diſputemus igitur de differentijs ſymptomatũ ſuperuenientiũ: Sed potius de vehementia illorũ, quandoquidẽ communia eſſe ea videmus: & caueamus ne ad res incognitas, cũ naturalis ratio reddi poſſit, ea referamus. Quis verò eſt qui vel parum ſit in re medica exercitatus, qui nõ dicat, pro varietate humorũ naturaliũ, non diuerſam quoq; ineſſe in illis putredinem, cùm innata bonitate relicta, naturæ contrarij euadũt? Quis præterea eſt, qui non fateatur maioribus opus eſſe viribus ad debellandũ, & vincendũ aliquid, quod tota ſua natura contrarium eſt ei, qui id aggreditur? Sequitur igitur cauſam, quę eos euicit, lõgè maioris eſſe efficaciæ, quatenus illis omnino eſt cõtraria. Et ex conſequenti etiam accidentia quę ſequentur, quia à cauſa fiunt maiore, grauiora & periculoſiora erunt. Præterea ſi cauſa illius morbi, quem Latini vteri præfocationẽ appellant, ideò venenoſa eſt, quod vt plurimum ex ſeminis putridi cohibitione fiat, qui fit vt cùm crebrò reuertatur, tam longo quandoq; tempore in mulieribus duret, vt Celſus lib. IIII. ſcriptum reliquit? Nam quod ad humorem, qui ab extremo pede ſurſum ad cerebrum vſq; fertur, attinet, eadem prorſus eſt ratio. Reliquum eſt vt de lepra & lue venerea, qui duo morbi contagioſi quidem ſunt, quemadmodum peſtis, ſed nõ ſimpliciter & per ſe venenoſi, reſpõdeamus. Lepra enim primò fit ex humore melãcholico, terreo, qui quòd frigidus

Cauſa Lepræ.

& ſiccus

& ſiccus eſt, ita partium naturale temperamentum labefactat, in easque ſe inſinuat, vt ob ſui contumaciam, & ſpecialem quandam iecoris conſtitutionem prorſus corrigi nō poſſit, cùm iam corporis diſpoſitionem, vt dixi, immutauerit. Neq; tamen venenoſum eſſe propterea concludemus. Videmus etenim quotidie leproſos quandoq; ad longū tempus vitam producere, & in vniuerſo corpore graſſari luem illam, antequam vllū vllius incommodi cordi illati ſignum appareat. Eadem eſt ratio luis venereæ, quę relicto corde, vt plurimum oſſibus, membranis & aliis membris pertinaciter adhæret. Verum quidem eſt, quod hoc cum venenis commune habet, vt quemadmodum virus beſtiarum venenatarū corpori per contactū, ita illa quoqu e communicetur: neque tamen exiſtimare oportet ideo quicquam illam cùm illorum operatione commune habere. Num igitur dicemus, vtrumque morbum cum illorum cauſa in diuerſa humorum putredine figatur, eſſe venenoſum? Poſſem eius rei infinitas rationes in medium proferre, ſi has ipſas non ſuffecturas arbitrarer, tantum nimirum inter venena & naturam eſſe odium, vt eam ab iis iuuari poſſe impoſſibile prorſus ſit, aut vt ex tali aliqua re ſit compoſita, quæ apta ſit aliquo modo, vt in venenū degeneret: præcipue cùm veneni vocabulum proprie de iis rebus quæ exterius incidunt, intelligi debeat: Hinc Auicenna dixit, venenum eſſe tale medicamentum, quod temperamentum hominis corrumpat, non contrarietate tantum ſua, ſed naturali & certa quadam proprietate Quod ſi in his humoribus qualitas aliqua venenoſa continetur, vnde procedit? neceſſe enim eſt vt ex noua quadam & peculiari quatuor elementorum mixtione proueniat. Atqui noua illa commixtio fierine poteſt in ſimplici putredine hac, in qua nulla vera generatio fit, ſed reſolutio tantum quædam humiditatis & caloris naturalis, quo fit vt ſemen refrigeratum (quemadmodum ſanguis quoque eum locum in quo eſt, refrigerat) continuatione quadam reliquum quoque corpus refrigeret? An ignoramus forſan, Symptomata quæ in vteri ſtrangulatu ſuperueniunt, à cauſa manifeſta, hoc eſt, à ſeminis frigiditate & humiditate oriri? Qui vult alias quoq; cauſas apud Hippocratē lib. IX. de compoſitione medicamētorum ſecundū loca ſcriptum reliquit? Aut denuo ne ad in-

 fluxum

fluxum aſtrorum redibimus, quę ob hoc ipſum certé deploranda erunt, ſi quotieſcũque ſanguis in corpore putreſſit, vt influxus illorũ ſuppetat, parata eſſe debẽt? Sed de his hactenus. Reliquum eſt, vt oſtẽdamus, quod quáuis ea quæ de venenis diximus ſint vera, fieri tamé aliquádo vt natura ab his iuuetur. An non videmus ipſi plurima ex medicamẽtis quibus vtimur, à venenis eſſe deſumpta? & quod magis eſt (id quod in principio ſecũdi libri noſtri dicemus) alexipharmaca ipſa ſæpenumero ex venenis mixtis cum alijs ſimplicioribus, conuenienti tamen quantitate, eſſe cõpoſita? Imo, quod maiore admiratione dignũ eſt, venena quædá reperiũtur, quorũ alterũ alteri remedio eſt, & alexiterium veluti. De quo lepidum apud Auſoniũ Epigráma legitur ſub hac verborũ ſerie:

Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum:
Miſcuit argenti lætalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum pocula noxia certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus et vacuos alui petiere receſſus,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum? prodeſt crudelior vxor:
Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

Ratio auté ob quam hæc ita fiunt, vel ad contrarietatem, quam inter ſe poſsident, vel ſimilitudiné vel correctionem accidétium diuerſorũ corpori ſuperuenientiũ referri debet: contrarietate quidem, ſubito cùm inuicem ſibi obuiam fiũt, ita profecto inter ſe committuntur, vt neceſſe ſit alterutrum ſuperius eſſe, aut ambo certè à natura expellantur, quæ hoc plus virium & roboris in ea habet, quo hoc ſuo certamine debiliora facta ſunt: ita ouem ob alterius lupi aduentum ſubterfugere videmus, qui luctando primum ita defatigat, vt facilimum ſit oui, interim dum quádoque inuicem ſe interficiunt, fuga ſibi conſulere. Secunda porro cauſa quæ conſiſtit in ſimilitudine, hinc oritur, quod venenum mixtum cum aliis medicamẽtis contrariis, illis loco ducis inſeruit, eáque ad eum locum, in quo venenum in corpore continetur, deducit.

deducit. Venenum enim ſuum ſimile, quemadmodum cæteræ quoque res naturales, appetit. Ita Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem, cantharides per ſe veſicam exulcerare, mixtas tamen aliquibus medicamentis eiuſdem morbis mederi, ſcribit. Infinita alia ſunt exempla, quæ de phalangiis in vino ſumptis, & crocodili adipe aduerſus ictus illorũ, in medium adducit. Et quamuis horum venenorum malitia mixtione hac corrigatur, ita certè, vt ex ea tertia quędã fucultas, quę aliqua ex parte cõtraria eſt veneno, reſultet, nihilominus tamẽ præcipua mixtionis illius cauſa, qua alexipharmacis cõ miſcentur, ad ſubſtantiæ ſimilitudinem referri debet. Cuius ope veneni aliqua portio, quæ aſſũpta eſt intrò, repetẽs priorem ſuam naturam, vna cum cæteris medicamentis fertur, quemadmodũ dixi, vt eam deinde in alio veneno reaſſumat. Et quod ad ea attinet, quę humores purgãt, id fit ob eam quã cum iis ſimilitudinẽ habẽt, ob quam vnà cum iis attracta, in cauſa ſunt vt cùm natura vnum, alterum quoque deinde expellat, idque ſubitò. Venenoſa enim & innata qualitas illorũ qua prędita erant, aut correctione, aut Medici mixtione fuit refracta. Et quod ad contrariam correctionẽ in corpore, quæ tertia fuit cauſa, attinet, ea per venena quæ talia ob qualitatũ exceſſum ſunt, perficitur. Nã cùm in corpore excitatur magna inflammatio, commodè frigida ad temperandũ calorem applicari poſſunt. Quod Galenus eodẽ libro de Theriaca aſſerit, de papaueris ſucco, quem etſi natura ſua venenoſus ſit, plurimis tamẽ morbis auxilio eſſe, ſomnumq; in phreneticis conciliare, eosque à morte tueri ſcribit. E quo loco colligere poſſumus non omnia venena per os aſſumpta talia eſſe cùm exterius applicantur, & in primis ea quæ qualitatum exceſſum ſunt ſortita: id quod contra conuerti nõ poteſt. Omnia enim venena externa, vt animalium venenatorum, per os quoque aſſumpta, talia ſunt. Nũc verò quæſtionẽ ſatis dubiã diſcutere oportet, nõ quod per ſe eiuſmodi ſit, ſed quod Matthiolus vir doctus eam in dubiũ vocarit, idq; abſq; parũ firma ratione. Quæſtio autem hæc eſt: num ſerpentes ſua natura frigidi vel calidi ſint, & num venenum etiam ipſorum tale ſit. Nunquam profecto crediſſem hoc in controuerſiam reuocatum iri, cùm abunde argumenta ſuppetant, imò ſub aſpectum oculorum cadant, quibus de natura eorum frigida

De natura ſerpentum cõtra Matthiolum.

certi eſſe poſſumus. Primum enim in iis quos Gallia noſtra profert, maximum ineſſe frigus experimur, ſi manibus tractentur, idque in media etiam æſtate: quod bona fide affirmare poſſum. Memini enim cùm aliquando ſub finem menſis Iulij febri ardente decumberẽ, eſſe quendam ex amicis, qui vt à maximo æſtu, quẽ in manibus percipiebam me liberaret, ſerpentem inſigni magnitudine & longitudine obtulerat, quem perpetuo inſtar glaciei frigidum eſſe ſentiebam, etiam ſi continuo manibus tractarem, & in lecto voluens & reuoluens eum calefacere conarer, id quod quotidie experiri licet. Et quod ad rationes naturales attinet non ignoramus frigida, calida, ſicca aut humida dici relatione, ſeu collatione facta ad id, quod toto genere temperatum eſt, vt Galenus affirmat. Atqui quod toto genere inter animantia temperatum eſt, homo eſt. Videamus itaque num ſerpentes homine vel calidiores vel frigidiores ſint. Vniuerſalis regula eſt in cognitione temperamẽtorum, corpus omne quò plus aut minus abundet ſanguine, hoc plus etiam vel minus habere caloris, ita vt non tantum inter animalia diuerſarum, ſed vnius etiam ſpeciei, ea quæ minus ſanguinis habent, frigidiora æſtimentur: hocque pacto ſanguineus pituitoſo calidior eſt. Quis verò eſt, qui ignoret ſerpentes in ſua ſpecie, & proportione minus ſanguinis quàm hominem habere? Quis item neſcit eos in eorum numero, quæ parum ſanguinis habent, collocari? Sed progrediamur vlterius, & quia de temperatura diſputare incepimus, rationes noſtras ex rebus euidentibus, & quæ oculis cerni poſſunt, deducemus, vt ab extima corporis parte, cuius pellis vbi laxior fuerit, poroſque ſiue meatus apertos habuerit, eam temperamento calido eſſe iudicabimus, quemadmodum contrà ſi pori clauſi fuerint, frigido: proprium enim caloris eſt, iuxta Philoſophos, dilatare & aperire, quemadmodum frigidi reſtringere, & indurare etiam diſſimiles res. Sic videmus fæminas, natura viris frigidiores, ſolidiore & nitidiore carne plerunque eſſe. Sed quis obſecro non perſpicuè videt carnem ſerpentum duram eſſe & denſam, & tam ſolidam, vt hoc vnum adiuncta frigiditate, quam perpetuo comitem habet, pro argumento abundè ſufficiat? Qui fit, amabo, vt cùm vnicè prædæ ſint addicti, & voraces appellentur, parumque bibant, vt Ariſtoteles in ſua de Animali-

malibus hiſtoria affirmat, non ſint etiam frigidi? An fortaſſe neſcimus appetentiam frigiditate ſtimulari, & quo ventriculus frigidior eſt, hoc plus cibi, etiamſi concoquere non poſſit, appetere? Sed accedamus ad id, in quo veluti ſumma diſputationis noſtrę conſiſtit, quo tamen Matthiolus tanquam clypeo ſe munire cogitat. Dicit ſerpẽtes hyeme quòd calidi ſint, latitare, et frigus tanquam ſuæ temperaturæ contrarium fugere, veluti & piſces quòd frigidi ſunt natura, quàm primum aëris caliditatem ſentiunt, mori ſubitò. Contrario itaque modo reconciliari poſſumus. Ego enim ideo ſerpentes hyemem fugere exiſtimo, quod frigidi ſint, & piſces extra aquam mori, non ob aëris caliditatem, quæ illis eſt contraria, ſed quod non amplius ſunt in loco proprio, quemadmodum homo etiam in aqua, vt in aëre viuere nequit. Itaque hæc ſimilitudo altero pede claudicat: & prima huius quæſtionis pars tam ex Hippocrate, ſectione III. Aphoriſmo II. quàm ex Galeni in eundem commentario probari poteſt. Naturarum aliæ, inquit, ad æſtatem, aliæ hyeme, vel benè vel malè habent. Ita qui temperamento frigidi & humidi ſunt, multo melius æſtate quàm hyeme, quemadmodum contrà calidi & ſicci hyeme quàm æſtate habent. Nam cùm temperamentum augeatur ſuo ſimili: iamque limites excedere inceperit, morbos procreat. Ita bilioſos hyeme optimè, & æſtate peſſimè valere videmus. Serpẽtes igitur natura frigidi hyeme latitant, ne huius frigiditas inſuper adiuncta, in illis calorem natiuum, qui interim ſopitus veluti iacet, extinguat, illoſque mori ſtatim faciat. Quo fit vt ſi quis fortaſſe hyeme ſerpentes in cauernis illorum, vel ſub lapidibus inueniat, facilimè capiat: ob magnã enim caloris imbecillitatem mouere ſe non poſſunt. Et libenter equidẽ Matthiolum interrogarem, cùm ſerpentes ita calidi ſint, vt ipſe vult, quî fit vt integros tres, aut quatuor menſes, hoc eſt, toto illo tempore, quo deliteſcunt, abſque cibo viuant. Et tam inſignis calor fierine poteſt, vt tandiu ſine alimento conſiſtat? An non in ſerpẽtibus, id quod in quibuſdam mulieribus vſu venit, quæ cùm plenę ſint humore pituitoſo & craſſo, & calorem naturalem (proportione tamen huic humori reſpondentem) valde imbecillum habeãt, longo tempore abſque nutrimento degunt? An non hęc eſt ratio, quam omnes Philoſophi de ſerpentum

cibi abſtinentia omnimoda protulerunt? ob hoc natura illis carnem & pellem ſolidiorẽ &craſſiorem ſuppeditauit,ne calor natiuus tam facile in illis euaneſceret,ſed in corpore permanens,vitæ pabulũ præberet. Hæ itaq; cauſæ ſunt,quas Albertus Magnus,Petrus Aponenſis,Simon Portius,& aliquot magni nominis Philoſophi de inſolita quarundam ſui temporis mulierum cibi abſtinentia,quæ toto decennio, imò viginti & triginta annis, præter aërem , quem attrahebant, nihil aſſumpſerant, introduxerunt. Et quod ad venenum ſerpẽtum attinet,ea prorſus eſt natura, qua pars vnde procedit, non quod operationem ſuam exerceat ob temperamentum vel qualitatis exceſſum, ſed ob peculiarẽ potius naturæ mixtionem quandam, vt eſt venenum omnium animantium. Quo fit vt illi decipiãtur,qui per ſymptomata tantum morſum illorum ſubſequentia, ſerpentum naturam frigidam eſſe probare voluerunt: nã poſteaquam non à temperamento illorum procedunt, nequaquam ad rationem tam malè fundatam recurrere oportet.

Sed ab hac quæſtione ad aliam tranſire oportet,& rationem inueſtigare, quare animantia quædam quadã ſui parte venenoſa ſint,& nõ integrè, quemadmodum plantæ etiam, quarum quædam radice tantum, quædam ſemine, aliæ fructu,aliæ folijs venenoſæ ſunt. Imò inter animantia ipſa, illa quæ in vna regione venenoſa ſunt, in altera non ſunt, id quod de plantis quoque dici poteſt. Prima itaque quæſtio de animantibus ad generalẽ naturę prouidẽtiam referri debet, quæ in cõſtructione & fabrica humani corporis certas quaſdam partes,quæ excrementa totius corporis ſuſciperent, deſtinauit, quæ ſicut corporis natura varia eſt, ita illa quoque malignitate variant: hoc eſt, aut totius ſubſtantiæ contrarietate,aut proprietate occulta, aut qualitatibus ſolis. Ita animantia,quorum natura aliqua ex parte hominis naturę contraria eſt, ob peculiarem quandam mixtionem, excrementa hoc plus pernicioſiora habent, quo magis in vnum ſunt coacta, & à diuerſis partibus eò demandata, quarum naturam quia deinde retinent,in vno loco,quod anteà per diuerſa ſparſum erat,poſſidet. Ita videmus vt quemadmodũ exercitus in vnum redactus multò difficilius vincitur, quàm qui hinc inde fuſus & diſſipatus eſt: ita venenum quoque ab

 omnibus

omnibus partibus collectum multò periculoſius, quàm cùm per totum corpus ſparſum eſſet, efficitur. Quamobrẽ hodiè quoq; quidam inueniuntur, qui ſerpentes, abſciſſis tamẽ prius capite & cauda, in quibus excrementa illa, de quibus dictum fuit, vt plurimum deliteſcũt, comedunt. Quemadmodum venenum ſerpentum in paruis cauernulis ſub dentibus latitat, & aliorum animantium in alijs quibuſdam partibus vnicuiq; ſecundũ ſpeciem ſuam deſtinatis. Partes autem illę coctione aut mixtione tam benè euinci, & temperari non poſſunt, vt aliæ, in quibus malignitas illa ſparſa facili negocio excutitur, & quod reliquũ manet, alimenti vel medicamenti idonei vicem ſupplere, quemadmodũ, iam diximus, poteſt. Et quod ad reliqua animantia attinet, quæ temperamento tantum excedunt, hinc fit, vel quod excrementa illorũ plus in qualitatum exceſſu, quàm reliquũ corpus vniuerſum delinquũt: vel etiam quod partes quaſdam habent vel calidiores, vel frigidiores: quæ reliquum corpus hoc magis ſuperãt, quo ad conſeruationem vitæ magis indigent. Ita fel calidorũ animalium ob caloris exceſſum, venenum eſt. Quandoque præter hanc cauſam peculiaris quædam mixtio eſt, quæ qualitatũ ope vtitur, vt videre eſt in cerui cauda, felle canis marini, & aliorum. Herbæ venenoſæ etiam ratione partium vel plus, vel minus venenoſæ ſunt, cùm alia altera plus veneni in ſe contineat. In quo certè vſus eiuſmodi herbarum, præcipuè radicis & ſeminis, non adeò tutus eſſe mihi videtur: nã quod per folia expanditur, id prius in radice fuit, & totum deinde in ſemine, quod aptum eſt vt tale aliquid generet, quale eſt integra planta, comprehenſum. Et hęc quantum ad primam quæſtionem dicta ſufficiant. Ratio autem ſecundæ tam è diuerſitate climatũ, quàm nutrimenti animantiũ, & plantarũ deſumitur. Nam vbi aër benignior, & mitior eſt, clima item temperatum magis, & conſecutione quadã terra quoq; melior: ibi certè tàm animalia, quàm plantæ, tàm mitia reddita ſũt, vt naturã prorſus immutaſſe videãtur, vt profectò aliquo modo faciũt: nam, vt cõmuni prouerbio dicitur, nutrimentũ ſuperat naturã. Sic Ariſtoteles ſcripſit, plurimũ morſus beſtiarũ differre ob locorũ & regionis diuerſitatẽ, id quod exẽplo ſcorpionũ probat, qui in Pharo & multis aliis in locis non ita peſtiferi ſunt. Dubitare tamen minimè oportet eos maligni-

tatis alicuius eſſe participes: ea autẽ ita eſt refracta, vt magna difficultate effectum ſuum præſtare poſſint. Poteſt et alia moueri quæſtio de venenis, vtrum nimirum animalia reperiantur, quæ ſola pręſentia & intuitu, vt de Baſiliſco fertur, aut contactu tantùm, quod de torpedine ſcribitur, homines enecent? id quod ſanius paulò intelligi debet, quàm vulgus credit. Neque enim dubium eſt contactum debere fieri inter duo corpora, antequam in ambobus fiat impreſſio. Si itaque cõtingit vt homo ſola Baſiliſci pręſentia, aut quod baculo torpedinẽ attigerit, inficiatur, id profecto fit ob malignũ vaporẽ, qui è corpore Baſiliſci egreditur, & vnà cum aëre attrahitur reſpiratione, & qui à torpedine exit, qui ſecundũ baculi longitudinẽ ad manũ vſque illius qui tenuit porrigitur.

Vtrũ quis ſolo quorũdam animalium conſpectu infici poſſit.

RELIQVVM nũc eſt, vt loquamur de incantationibus & veneficijs, quæ cognationem quandam cum venenis habere videntur. Veneficium appello magię quandam ſpeciem, quæ & ſi peculiariter ſub eo incantationũ genere, quæ verborum opera, & aliis quibuſdam ceremoniis, & medicamẽtis vtitur, comprehendatur: latius tamen aliquando patet, & pro omni magia tam natulari, quàm ſupranaturali capitur. Huius ope homines ita incantantur, vt cùm non amplius apud ſe ſint, & in vniuerſum ſenſibus careant, in morbos mirabiles & incognitos planè incidãt, & maximis cruciatibus afficiantur, ob quos tandem in perpetuo languore agunt. Hæc itaq; tam miſerabilis ligatio non tantum in homines, ſed reliqua quoque animantia, & quod magis in eas quoque res, quæ & vita & anima ſunt deſtituta, poteſtatem habet. Qui copioſe de occulta Philoſophia ſcripſerunt, homines harum incantationum virtute aut amore, aut odio capi, vel in morbos, & id genus affectus incidere, dicunt, idq́ue plurimis modis, hoc eſt per venena verbis mixta, collyria, vnctiones, potiones, alligationes, ſuſpenſiones, anulos, faſcinationes, fortes imaginationes animi, imagines, characteres, incantationes, imprecationes, lumina, ſonos, numeros, verba, nomina, inuocationes, ſacrificia, adiurationes, exorciſmata, conſecrationes, deuotiones, perq́ue varias ſuperſtitiones & obſeruationes, quibus imperitũ vulgus fidem adhibet. Sed quò facilior ſit hæc noſtra diſputatio, hos modos ad duos potiſſimũ, hoc eſt, ad medicamẽta & venena, & verba reducemus. Per illa autẽ quicquid

De Incantationibus et veneficiis.

quid corpori vel exterius applicatur, vel intrò aſſumitur; intelligimus: ſub his verò omne genus ceremoniarũ comprehendimus. Examinemus itaq; num fieri poſſit; vt quis à venefico verbis medicamẽtis adiunctis, aut nudis, aut ſimplici aſpectu, quem faſcinationem appellant, inficiatur. Infinita ſunt teſtimonia, è quibus veneficos medicamentis vti manifeſtum eſt. Quod Virgilius ipſe ſcriptũ reliquit, cũ ita inquit:

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Mæris: naſcuntur plurima Ponto.
His ego ſæpè lupum fieri, & ſe condere ſyluis
Mærim, ſæpè animas imis exire ſepulchris,
Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.

Idem quoq; à Lucano de muliere quadam Theſſala venefica ſcribitur:

Huc quicquid fœtu genuit natura ſiniſtro
Miſcetur: non ſpuma canum, quibus vnda timori eſt,
Viſcera non lyncis, non duræ nodus hyenæ
Defuit, & cerui paſti ſerpente medulla.

PLVRIMA item apud Apuleium teſtimonia extant, vbi de Pamphila venefica loquitur. Et quotidiè admirãda, quæ cum floribus mulierculæ efficiunt, experimur. Pleni item ſunt antiquorũ libri de miraculis paruæ illius carunculę: quę in fronte naſcentis pulli equini apparet: Latini Hippomanes appellant, vt & humorem illum, qui ex equarum inguibus defluit, quo mulieres amorem virorum ſibi conciliant, cuius Virgilius meminit:

Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum deſtillat ab inguine virus.
Hippomanes quod ſæpè malæ legere nouercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba.

Et Iuuenalis:

Hippomanes carmenque loquor, coctumque venenum
Priuigno datum.

OVIDIVS præterea & Tibullus huius in Elegijs ſuis meminerunt: & Virgilius omnium primò in alio quodam loco. Plurima item ſi Poëtas legimus, teſtimonia de verborũ, præcipuè verò carminis efficacia, cuius opera veneficos frumentum, vineas, & alia terræ bona corrumpere creditum eſt à nonnullis, inueniemus. Hinc Romæ vna ex duodecim tabu-

larum legibus fuit, qua hæc ſcelera prohibebantur. Seruius etiam in Commentario, quem in quartum Æneidos librum ſcribit, homines quoſdam fuiſſe aſſerit, qui hac ratione ſe ab aduerſa fortuna tueri, & præſeruare poſſe exiſtimarent: id quod hodie nonnulli in curatione morborũ quoque faciunt. Sannazarius Poëta doctiſſimus multos modos incantationũ in Poëmate quodam ſuo Hetruſco, Arcadia dicto, digno quod videatur, in vnum collegit, quod longo ante illum tempore Horatius quoque ſcripſerat, cùm ſydera verbis eſſe ſubdita pronunciauit:

Quæ ſydera excantata vocem
Lunamque cælo deripit.

QVIN etiã Virgilius alio quodã in loco id virtute carminis fieri poſſe oſtendit, cùm ita ſcribit:

Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam.
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis.

Ex his igitur teſtimoniis, & quam plurimis aliis manifeſtum eſt, veneficos multis herbis & medicamentis vnà iunctis vti. Quorum exempla, vt multorum aliorum apud Plinium naturalis ſuæ hiſtoriæ libro XVIII. videri queunt. Neq; dubium eſt malignitate medicamentorum, quibus vtuntur, homines quandoque infici & cruciari, quemadmodum Nicander, Dioſcorides, & alij ſcripſerunt: & quod vim habeant eos vel phreneticos, maniacos, lupiſque ſimiles, & qui more ferarum cicures reddi nequeũt, & perditos puellarum amatores efficiendi. Sed quod hæc verba per ſe præſtare poſſint, fundamento caret. Quam enim, obſecro, verba malignitatem habẽt, qua vel ſpiritibus, vel humoribus, vel ſolidis corporis particulis noxia eſſe poſſint? Verba etenim per ſe nihil poſſunt, quatenus etiam nihil aliud ſunt, quam voces proportionaliter lingua, palato, dentibus, & labiis reuerberatæ, quo fit vt nullam in corpore, etſi aër quoque ad eas pertingat, impreſſionem facere poſſint. Nam quam primum verbum eſt prolatũ, nihil præter materiam illius, quę aëri, quem reſpiratione quotidie attrahimus, nõ diſſimilis eſt, reliquum manet. Atqui proportio corporis agentis, cùm eo, quod patitur, talis eſſe debet, vt inuicem ſe tangant, ſiquidem vt actio

fiat, voluerimus. Quod ſi à veneficis adduntur, id certè non aliunde fit, quàm ex ſuperſtitione quadam, & minimè neceſſaria quadam mixtione: nam ratione eorundem venenorum eadem in morbis accidentia iis quibus dantur ſuperuenire poſſunt, imò ipſis quoq; veneficis. Id quòd probari poteſt per id quod Romæ tempore conſulatus M. Claudij Marcelli, & Titi, Valerij Flacci factum fuit, cùm venefici ab abſumpto veneno morerentur, quo anteà fortaſſe magná vrbis partem infecerant, & cum reliquis eodem modo acturos ſe exiſtimauerant. Sed in omni genere veneficiorum, vt & ligationum duo potiſſimum, hoc eſt, natura, & id, quod ſupra eam eſt, ſunt conſideranda. Naturæ autem actiones, & corporum naturalium manifeſtæ ſunt, quæ aut à primis aut ſecundis qualitatibus dependent, & quibus Philoſophi vt plurimum inſiſtunt. Sed cauſa effectuum, qui è virtute ſpecifica & latente proficiſcuntur, occulta quoque eſt. vnde magia naturalis, quam ſapientes ſummam ſcientiæ naturalis potentiam, & cumulum veluti, atque perfectionem Philoſophiæ naturalis vocant, eruta eſt. Hæc eſt illa, vt refert Cicero, quam qui antea non perceperat, Rex Perſarum eſſe non poterat. Et qui in hac excellunt, diligenter naturam inquirunt, & multa ante tempus à natura deſtinatum agunt, quod imperiti miraculosè fieri exiſtimant, cùm tamen naturæ opera ſint. Hæc agit autem per ſe, & ſua quadam vi, vt externa media omnino non requirat. Altera verò Magiæ ſpecies ſupernaturalis, alligata eſt, & ſubiecta fallacijs dæmonum ab eorumque communicatione originem ſumit: quapropter legibus quoque eſt prohibita. Appellatur autem Goetia, aut Necromantia & Theurgia, & profectò ea eſt, quæ verbis vt plurimum innititur: & ceremonialis maximè cùm ſit, inuocationibus, oblationibus, hoſtijs, ſacrificijs, & alijs ſuperſtitionibus, quæ profectò à dæmonibus non alio fine fuerunt excogitatæ, quàm vt fucum hunc verbis quibuſdam occultarent, perficitur. Quis enim vnquam cogitabit è diuerſis & contrarijs cauſis ſimiles poſſe ſequi effectus? Atqui hoc fieri oportet, ſi ceremoniæ neceſſariæ ſunt ad veneficiorum vſum, potiſſimum cùm ea verba, nomina & inuocationes, quibus antiqui Magi in incantationibus vtebantur, ad ea quibus hodie noſtri ad eundem effectum vtuntur conferre volumus.

volumus. Neque enim ea inter ſe diuerſa tantum, ſed contraria proſus reperiemus. Compoſitio etenim, conſecratio, & benedictio circuli, qua antiquitus ij qui ſub Paganiſmo ante Ieſu Chriſti aduentum viuebant, vtebantur, prorſus ab ea diuerſa erat, qua noſtri in eadem circuli compoſitione vti conſueuerunt. Priores enim illi in nomine Veneris, Martis, & Saturni: noſtri verò Ieſu Chriſti, & Mariæ virginis, & per aquam luſtralem conſecrant. Et ſanè libenter interrogarem, num priores illi nomine Dei Abrahami, Iſaaci, & Iacobi in conſecratione ſuffumigiorũ, vel ignis & ſpirituũ exorciſmo, & veſtis denique & pentaculi conſecratione, dierumq́ue coniuratione, quemadmodum noſtri, abuſi eſſent? minimè verò. Neque enim cognoſcebant illum, multò minus Miſſam S. Spiritus, de Introitu, qua tamen magna pars incantatorum abutitur. Nihil dicam de ſtultis ceremonijs eorum, qui ſe Chriſtianos profitentur, qui his in diuina potentia conſeruari ſe exiſtimāt: Taceo anulos, de quibus fama aliquando in Anglia percrebuit: omitto induſia incantata, nomina item ſacra & characteres quos in collo geſtant: Illud tantum dicam nihil eſſe commune Chriſto cum Saturno, Ioue aut Venere, vel Apollini cum Ioanne, vel Mercurio cum Maria virgine: niſi quis affirmare velit ceremonias, quibus hodiè in incantationibus vtuntur, ab Ethnicis eſſe ortas, & in hoc vno conſentiunt, quod vtræq; ad imponendum rudi plebeculæ ſunt inuentæ. Quia igitur è contrarijs verbis ijdem planè effectus proficiſcuntur, fateri profectò oportet, verba aut nullius eſſe momenti, aut contrarias cauſas eoſdem effectus habere, quod tamen ab omni ratione alienum eſt. Sed hoc fit opera dæmonum, vt hac ratione ſe diuerſis hominum intellectibus accommodent, ſuamq́ue tyrannidem ſub religionis prætextu ſtabiliant, minuſq́ue callidos ad ſe alliciant, & verbis tantum ſatiſfaciant, cùm ſtultè id quod dæmonum inſtinctu fit, ſè Dei & Sanctorum voluntate fieri, exiſtimant. Multa tamen magi operantur, per fumigia, collyria, vnctiones, & potiones, quæ rationibus naturalibus confirmari poſſunt: Quemadmodum enim maniaci & melancholici reuera id quod exterius imaginantur, videre ſe & intelligere putant, cerebro ab humoribus putridis læſo, ita vt metuant à quo metuere non debent, & falſò

credant,

credant, fugiantq́; nemine eos perſequente,& iraſcãtur abſque cauſa manifeſta: ita profectò plurimæ paſſiones, apparitiones,& imaginationes, per ſuffumigia,vnctiones, potiones in cerebro introduci poſſunt, etiamſi nullam cum dæmonibus & verbis affinitatem habeãt, cùm ex ijs rebus conſtent, quæ facultatem talia & ſimilia in corpore accidẽtia gignendi habent. Eadem ratio de potionibus amatorijs,quas Græci φίλτρα appellant, afferri poteſt, quæ bibentes ea calefaciunt,& in furorem agunt: cùm enim è medicamentis calidis componantur,ita profectò humores corporis adurunt,vt ſæpe numerò cum delirio & rationis amiſſione ſint coniuncta. Quod poëtę Lucretio temporibus Luculli & Caligulæ Imperatorum contigit. Quanta etiam potiones naturales aduerſus amorem,qui animi effectus eſt,efficacia polleant, Ouidius oſtendit, ad hunc modum concludens II. de arte amandi.

Sit procul omne nefas: vt ameris, amabilis eſto.

SED dicat quis. Quid? nullam ne aliam faſcinationẽ cauſam habere exiſtimas? an non eam verbis & ceremonijs, cùm nullus in ea ſit vſus medicamentorum, perfici putas? Atqui facilè nos ex hac quæſtione, vbi quid ſit faſcinatio intellexerimus. Faſcinatio itaque, vt artis Magicæ periti ſcribunt, fit ex ſpirituum, qui per faſcinantis oculos egrediũtur, radiiſ, & oculos eius qui faſcinatur, petunt, indeq́; in reliquum corpus effundũtur. Sed hæc faſcinandi ratio facilimẽ ex amoris cauſis intelligi poteſt. Marſilius Ficinus homo doctus & dignus admiratione in eo commentario, quem in Platonis Sympoſium ſcripſit, ſanguinẽ iuuenum (nam ad has præcipuè faſcinatio amatoria ſpectat) vt plurimum ſubtilẽ, clarum,calidum & mitem eſſe,radioſq́; viſorios eiuſdem naturæ procreare affirmat, qui ab oculis exeũtes facilimè illi, quem aſpicimus, communicantur. Et quia reliquis corporis humoribus permiſcetur, eundem affectum in intuente excitat. Quod videri poteſt in eo, qui ex oculis laborat, qui morbum illum intuentibus communicare ſolet: Hinc Poëtę oculos primos duces in amore appellarunt. Hinc Apuleius conquerẽs dicit: Doloris mei cauſa & remediũ ex te proficiſcũtur. Iſti oculi tui per meos oculos ad intima delapſi pręcordia acerrimum meis medullis commouent incendium.

Cuius

Cuius rei cauſam copioſè in carmine quodam meo Gallico exponere me memini, quod latinè ita verti poteſt:

Crudelis, quid feciſti? quid feciſti inimica?
An non humorem è tuis oculis exire vidi
Clarum & igneum, ſubtilem & ſuauem.
Qui eodem temporis momento vitam auferre mihi voluit?
Sanguinem habeo feruidum, & faciem pallidam,
Cor habeo incineratum, & corpus languidum:
Et perinde ac ſi malum eſſet contagioſum.
In me totum furorem ſuum relaxauit:
Et ſicut clarus erat, ita miſeri ſpiritus mei
Subitò & facilè capti fuerunt:
Et ſicut calidus erat, robur ſuum accendit:
Et quia ſubtilis erat, in cor meum ingreſſus eſt:
Hinc in vniuerſum corpus: & nunc ſua dulcedine
Loco tormenti mihi eſt, & cibi.

Et alio quodam in loco:

Chriſtiane, quis oculos tuos in amicæ meæ oculos coniÿcit:
Bibimus magnis hauſtibus humorem dulcem,
Qui per oculos noſtros ceu fluctuantes vndas delapſus
In profundum iecoris noſtri velut telum ſe ingerit.

Petrarcha etiam in quodam ſuo carmine teſtatur ſe ſtatim atq; Lauram ſuam inſpexiſſet, eodē protinus vitio correptum eſſe, perinde ac ſi morbus ſedem ſuam mutaſſet. Magna præterea vis illa oculorū, & ſpirituū excellētia in Auguſto probari poteſt, qui cū quis paulò propius & fixè illum inſpiceret, oculos demittere coactus eſt, perinde ac ſi Solis radios intueretur. Atqui huius aliqua videtur eſſe ratio: ſed affirmare velle veneficā ſolo aſpectu homini, aut alteri animali morbi cauſam præbere, aut alias paſſiones inducere poſſe, fundamento caret. Et quod attinet ad id, quod Vergilius ſcripſit: *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.*

Credo eum vulgi communem opinionem ſecutū, iuxta quàm ſæpè paſtores ſuos loquentes introducit. Non rarò tamē accidit, vt pueruli, quòd cum vetulis conuerſentur, in tabem ſeu totius corporis maciem incidant. Nam vt plurimum fædum oris halitum emittūt: & cùm ipſos oſculantur, ſæpenumero pulmones teneros & delicatos, offendiq́ue promptos tetro illo halitu corrumpunt, vnde tamen contabeſcunt,

beſcũt,& vulgò deinde creditur eos eſſe faſcinatos. Ita Ficinus ſcribit aſpectũ ſenis fædo halitu, aut mulieris menſibus laborantis pueros inficere. Imò Ælianus ipſe autor eſt, rubetam paluſtrẽ, de qua 11. lib. loquemur, tantã in aſpectu habere malignitatẽ, vt ſi quis eã intueatur, vel ipſa aliquẽ aſpiciat, ſubitò pallor faciem occupet. Aſſerit præterea auem eſſe Charadriẽſem, quã ſi quis intueatur, qui morbo regio laboret, vel ipſa aſpiciat, ſanari. Antiqui prȩtereà meminerũt Paletheobororum Ponti incolarũ, & Telchinorũ Rhodi, qui ſolo aſpectu efficere poterãt, vt homines in tabẽ inciderent, & omnia deteriora redderẽt. Fateor equidem veneficas quandoq; bruta interficere: Sed quòd hoc verborũ opera, & ob ſimplicem tantũ aſpectũ fiat, ratione caret. Magis tamen rationi conſentaneum eſt hoc per venena, quibus vtuntur, fieri. Quidã inſuper addunt, eas abſentes etiam homines quos nunquã viderint, interimere poſſe. Plurima Cardanus exempla adducit, ſed inter cȩtera vnũ de Scotiȩ quodã rege Duffo refert, qui incidit in languorẽ quendã, cùm tamen nemo ſciret vnde morbus hic originem duceret. Sudabat tota nocte, & ſomnũ capere non poterat, quæ cauſa fuit vt quidam eum faſcinatũ eſſe ſuſpicarentur, idq; per quaſdã vetulas Morauienſes fieri exiſtimarẽt, quod tandem ita ſe habere compertũ fuit. Clam enim cõprehenſæ fuerũt, & Regis effigies cærea, ligneo veru affixa ante ingnẽ paulatim liqueſcẽs inuẽta fuit. In circuitu illius ſimulachri venefica quædã erat, quȩ dũ carmina quȩdam recitaret, liquorẽ quendã ſuperaffundebat. Et quia tota nocte hoc facinus cõtinuabat, Rex toto illo tempore ſudoribus diffluebat, & totã noctẽ inſomnẽ ducebat. Affirmarũt Regem ſubitò ſimulachro fuſo penitus moriturum fuiſſe. Simile quid factũ fuiſſe legi cùm in procuratorẽ quendam Alanſonium animaduerteretur, ſub principium regni Franciſci regis primi, piæ memoriæ, à quodã qui ſimulachra quædam ad hunc vſum confeciſſe deprehenſus eſt. Qui vult porrò plura de hac cognoſcere, legat quàm plurimos & antiquorum & recentiorum tractatus, & præcipuè librum quendam contra veneficos ante ſexaginta vel octuaginta annos compoſitum, qui Malleus veneficarum inſcriptus eſt. Cauſa autem necromantiæ & incantamentorum aliò certè, quàm ad dæmones referri non debet, quorum opera hæc omnia,

non

non autem conſtantia & venefici affectione, vt quidam affirmant, perficiuntur. Affectio enim non agit, ſi non in eo in quo eſt. Quibus ita explicatis, vſum verborum & ceremoniarum nullo modo ad incantationes, tanquam cauſas neceſſariò agentes, requiri concludemus. Huc vſque itaque copioſè quicquid ad notitiam venenorum facit in genere, atque præmitti debet, excuſſiſſe mihi videor. Quod enim ad remedia vniuerſalia tam ad præſeruationem, quã ad curationem poſt venenum incognitum aſſumptũ facientia, attinet, de illis ſecundo huius operis cõmentario agemus. Nã tum commodior de his loquendi occaſio dabitur. Cùm potiſſimum eo in loco de venenis per os ſumptis locuturi ſimus. Et quod attinet ad modum præſeruandi ſe à morſu ſerpentum, de eo abundè in hoc primo libro, & capitibus ſequentibus diſſeremus.

DE VOCABVLO THERIACA, ET DE SERPENTVM ORTV.

CAPVT II.

QVANDOQVIDEM fons præcipuarum ſcientiarum à Græcis primùm ſcaturiginem veluti ſumpſit, & medendi ars ab Hippocrate & Galeno perfectè lingua ſua vernacula fuit explicata: ij qui deinde ſunt ſecuti, & id quod à primis autoribus perceperant, atque didicerant, Latinè reddere voluerunt, multa vocabula Græca, quæ commodè in aliam linguam transferri non poterant, aut certè ſi non conuerterentur, ſignificantiora eſſent, retinere coacti fuerunt. Id quod non tãtum Latinis, ſed Gallis quoq; cum de ſcientijs, quæ primùm tam à Græcis quàm Latinis in præcepta ſunt redactæ, agunt, vt aliundè verba quibus caremus, mutuentur, vſu venire ſolet, quemadmodum in vocabulo Theriaca, quod immutare nolui, cùm Latini quoq; illud retinuerint: taceo quod commodè Gallicè, niſi fortè quis iniuriam velit facere ſignificationi, qua omnia ea medicamenta, quæ tam ad prǽſeruationem, quàm curationem morſuũ animalium venenoſorum apta ſunt, denotantur, reddi non poteſt. Vul-

vene

gus appellat Triacles. Deſcendit autem à vocabulo Græco, quod feram venenoſam ſignificat, & Theriaca ideò componitur, quòd vim habeant hæc medicamenta, qua veneno illorum reſiſtant. Plinius lib. XIIII. hiſtoriæ ſuæ naturalis, vineæ cuiuſdam, quam Theriacam vocat, meminit, propterea quòd vinum, quod producit aduerſus vulnera à ſerpentibus illata faciat. Quam ob cauſam etiam compoſitionē quandam ſub Theriacæ nomine oſtendit, in quam tamen nihil è feris venenatis recipitur. Sic itaque Nicander primùm ſuum librum ſub Theriacæ nomine, idq́ue duabus de cauſis, inſcripſit, cùm vt modum ſuppeditet præſeruandi ſe à ſerpentibus, tum vt remedia curandi morſus illorum oſtendat, & quia excellenti fuit ingenio, & in Poëſi exercitatiſſimus, & de ſerpentibus loqui voluit, originem illorum, quæ à Poëtis illis aſſcribitur, diligenter inquirit, non quod ignoraret ſerpentes cum cæteris quoquæ animantibus creatos ſtatim: nam quemadmodum inſignis Poëta erat, ita fateri quoque oportet eum excellentem fuiſſe medicum: fabula autem, quam deſcribit, & quam ex Heſiodo deſumptam aſſerit, in ijs quæ hodiè extant operibus nullibi inuenitur: exiſtimo tamen eam eſſe in hiſtoria Aſtrorum, de qua Theon in ſuis in Aratū commentarijs meminit. Atqui hiſtoria hæc, ſeu fabula potius, à Poëtis eo modo, quo ſequitur, recitatur. Titan fuit frater primogenitus Saturni omniū Deorum antiquiſſimi, qui cùm videret imperium totius mundi ob ætatis prærogatiuam, & iure quaſi proprio ad ſe pertinere, & nihilominus tamen quod matri & ſororibus inuiſus eſſet regnare non poſſet, cū fratre Saturno ita pactus eſt, vt illi ius ſuū donaret, hac tamen conditione, vt nullam prolem maſculam ſuſciperet, ea de cauſa, vt quia ſpe regnandi exciderat, ſaltem liberi ſui imperare poſſent. Et cùm ita inter illos conuentum eſſet, Saturnus quoſcunque mares è ſua coniuge Opi ſuſceperat, comedere ſolitus eſt. Quæ cùm poſt multos annos gemellos peperiſſet Iouem & Iunonem, marito perſuaſit quòd Iunonem tantum habuiſſet, & Iouem clàm educandum ablegauit, quemadmodum paulò pòſt Neptunum quoque & Plutonem: aſtutia tamen illius tam bene celari non potuit, vt tandem non totum negocium Titani detegeretur. Qui cum hac occaſione fruſtratum ſe eſſe intelligeret, bellum

Heſiodus.

Titan.

Saturnus.

Opis.

contra liberos ſuos Titanes dictos ſuſcepit, in quo Saturnum fratrem vicit, eumque vna cum coniuge Opi in carcerem coniecit, qui tamen deinde à filio Ioue priſtinæ libertati ſunt reſtituti. Cognatos etenim ſuos Titanes interfecit, è quorum ſanguine deinde, vt autor noſter refert, omnia genera ſerpentum procreata ſunt. Quidam verò è quorum numero Ouidius quoque eſt in ſua Metamorphoſi, ſerpentes è Meduſæ ſanguine, poſteaquam illi caput à Perſea abſciſſum eſſet, ortos affirmarunt. Autor verò noſter continuando inſtitutum, Scorpionis generationem, pro ea qua fuit in texendis verſibus ingenij agilitate, quàm fieri potuit pauciſſimus verbis ita proſequitur. Orion filius fuit Iouis, Neptuni & Mercurij, qui cùm aliquando terram peragrare vellent neceſſitate coacti (nox enim intempeſta illos obruerat) apud pauperem quẽdam viduum diuerterunt. Quem vt tres hi Dij remunerarentur, optionem illi dederũt, vt peteret quicquid vellet, ſe voti compotem futurum. Miſer igitur qui in hac vita nihil magis expetebat quàm filiũ, & à nulla re magis quàm à ſecundis nuptijs, ceu labyrintho quodam, è quo nuperrimè euaſiſſet, abhorreret, ab hoſpitibus petijt vt hac in re voluntati illius morem gererent. Id quod præſtiterunt. Nam cùm ſimul in corium bouis, quem ſacrificij loco illis obtulerat, minxiſſent, in mandatis dederunt illi, vt humi ad nouem vſque menſes ſepeliret, id quod fecit, & conſtituto tempore ibi puerulum inuenit, quem Orionem appellauit, quaſi Vrionem ab vrina, quòd ab hac ortum ſuum cepiſſet. Qui cùm grandior aliquantum factus eſſet, animum ad venationem adiunxit, id quod plurimi ex paſtoribus ſui temporis factitarunt, & eò dementiæ proceſſit, vt omni conatu operam daret, quò Palladem, quæ Diana quoque & virgo Titania quoque dicitur, quod quidam eam filiam Hyperionis eſſe voluerunt, qui fuit vnus è ſex Titanibus, vi rapere poſſet: Illa quæ caſtitati totam ſe addixerat, tanto pudore ob hoc facinus fuit ſuffuſa, vt Scorpionem ea ipſa hora ederet: qui cùm ſub lapide quodam latitaret, & exiret poſt, Orionem in talo ita læſit, vt ex eo ictu moreretur. Sed Dij (tres ſui genitores, vt ego exiſtimo) eum in cælum extulerunt, & ſydus ex eo, quod adhuc Orionem vocamus, fecerunt. Et videtur profectò exactius diſpotionem ſtella-

Orion.

Pallas, Diana, virgo Titania.

ſtellarum contemplanti, è quibus hoc ſydus conflatum eſt, hominem qui venatum eat repræſentare. Noui equidem alios alio modo fabulam hanc recitare. Lucanus tamen libro IX. belli ciuilis, ſecutus autorem noſtrum, eodem planè modo retulit, cùm inquit:

Quis fata putaret
Scorpion, aut vires maturæ mortis habere?
Ille minax nodis, & recto verbere ſæuus,
Teſte tulit cælo, victi decus Orionis.

HORATIVS aſſerit eum à Diana ſagitta confectum fuiſſe. Varro lib. VI. de lingua Latina hoc ſydus collum appellat, propterea quod inter tres ſtellas, quæ caput veluti, & alias duas inferiores quæ brachia conſtituunt, longum videtur habere collum. Et ita Plautus in Comœdia Amphytrione quoque vocauit. Ob quam ſtellarum multitudinem autor noſter eum notatu dignum appellat, & quia non tam lucidæ ſunt quemadmodum reliquæ in circumferentia, obſcuro ſplendore eſſe ait. Neque verò ſilentio prætereundum elegantiſſimum cognomen, quo ſcorpionem grandinoſum vocat. Nam hoc modo dolorem, quem is qui ab eo ictus eſt, percipit, circunſcribere voluit. Eiuſmodi enim eſt, vt totum corpus refrigeret, quaſi quis à grandine percuſſus eſſet, quemadmodum ſuo loco dicemus. Locum præterea denotat in quo Heſiodus ſcripſit: Aſcræi enim incolæ ſunt parui cuiuſdam pagi Aſcræ dicti in Bæotia ſiti, prope Heliconem montem, ad Parnaſum fontem, & antrum Meliſſeenſe. E quo loco magnus ille Philoſophus & poëta Græcus Heſiodus oriundus erat.

DE TEMPORE ET LOCIS, IN QVIBVS VT PLVRIMVM SERPENTES PROSERPVNT.

Cap. III.

Per ſerpentes non tantùm ea animantia, quæ terra repunt abſque pedibus, vt colubros noſtros, ſed quæ vſum quoque pedum habent, intelligimus, idque tamen ita difficulter faciunt, vt repere potius videantur, veluti lacertę, & omne genus aliorum animantium, quæ ambulando non attollunt ſe. Sic Plinius Salamandram ſerpentem appellauit, & Celſus Scorpiones & Phalangia in ſerpentum numero collocauit. Quamuis ſi quis Plinium legat vocabulum Serpentis pro vna ſpecie ſumi reperiet, non ſecùs quã apud Gręcos pro Ο'φίς. vipera, quæ tamen ipſa inter ſerpẽtes ponitur, vt apud Opianum cùm de fremitu ſeu mugitu Murenæ, & ſerpentis, hoc eſt, viperæ, ſcribit. Ita quoque autor noſter, ſecutus licẽtiam Poëtarum in vocabulo Serpentis, per id non tantum animalia venenoſa, quę repunt, ſed reliqua omnia quæ hominibus exitioſa ſunt, eosque capitali odio proſequuntur, intelligit, quemadmodum nos in operis progreſſu videbimus, & quod hoc nomine etiã bufones & rubetas paluſtres in alexipharmacis comprehenderit. Sed priusquam ad remedia, quę peculiariter ad ea fuganda faciũt, accedamus, ad imitationem Nicãdri breuibus primũ loca, in quibus vt plurimum inueniuntur, aſſignare oportet. Hæc autem ſunt caulæ, caſę ruſticæ & ſcopuli, aut exiguæ valles, colles, prata quæ, prope lucos & ſyluas cæduas ſunt. De quo copioſe diſſeruit antequam ad particularem deſcriptionem ſerpentum accederet, cùm inquit: Sub Othri cauo &c. His etenim in locis paſtores vt plurimum, Vere præcipue, aliquando dormire coguntur. Serpentes enim quemadmodum quędam alia animalia natura frigida, vbi hyemem appropinquare viderint, in cauernis ſuis ſe recondunt; ibique per quadrimeſtre ſpaciũ, quod id tempus ferè omnium ſit frigidiſſimum, habitant ſemimortui veluti, quouſque ſol aërem excalefaciens, ſuumque calorem omni generi animantium communicans, eis nouam quaſi vitam reſtituit. Vnde Nicãder cùm deſcribit Ver, monet

net nos, eam eſſe ſerpentis naturam, vt cùm è ſua cauerna egreditur, in loco quodá anguſto ſeſe affricet, & pellem quandá, vel ſordes quaſdam potius in corpore muſci inſtar collectas deponat: non quòd ſit pellis naturalis: Plinius vernationé appellat, & è Latinis quidam Senectá. Hinc Tibullus ait:

Crudeles Diui, ſerpens nouus exuit annos
Formæ non vllam fata dedere moram.

Serpens etiam quòd oculis caligo veluti ſit offuſa, totaque hyeme terræ fuerit incluſus, fæniculũ vbiq; quærit, eoq; aſſumpto viſum recuperat. Quod à Plinio & ante hunc Æliano lib. IX. annotatum eſt: qui tamen eum oculos tantú fæniculo abſtergere ait. Virgilius vnam partem è loco autoris noſtri, alteram verò ex eo qui ſequitur deſumpſit, quá in III. Georg. tranſtulit, cùm de ſerpente verba faciens, ita inquit:

Ne mihi tum molles ſub Dio carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat iacuiſſe per herbas:
Cùm poſitis nouus exuuiis, nitiduſque iuuenta
Voluitur,

QVIBVS MEDIIS SERPENTES FVGARI DEBEANT, ET QVA RATIONE QVIS AB ILLORVM INIVRIA TVERI SE POSSIT.

Cap. IIII.

Non ſat eſt Medicum morbis qui iam radices in corpore egerunt, mederi poſſe, ſed etiá quibus rationibus euitari queant, ſingulos admonere oportet. Ars enim tuendæ ſanitatis non minus pars eſt medicinæ, quàm corporis notitia, & morborum quibus obnoxium eſt, curatio. Hinc Nicander à principio ſtatim ſui libri nos tam de vniuerſalibus, quàm particularibus rebus, quæ peculiariter ad præſeruationem à morſu beſtiarum virulentarum faciunt, commonefacit. Triplicia autem remediorum genera deſcribit. Primum ſuffitu, alterum per ea quæ ſubſternuntur, poſtremum vnguenta quibus corpus illinitur, perficitur. Suffitus itaque ſerpentibus duabus de cauſis inimiciſſimi ſunt: cùm quod ſerpentes natura frigidi facilimè ab odore feriuntur: nam vt Ariſtoteles in libro de ſenſu aſſerit, cauſa ob quam

odor proprius eſt homini,& is inter cætera animantia vt plurimum eo delectetur, è cerebri frigiditate proficiſcitur. Idem in ſerpentibus quoque (vt idem affirmat) vſu venire ſolet natura frigidis, non ſecùs quam in homine, qui dum prunis ardentibus incumbit, ſubitò capitis grauitatem percipit,& vbi diutius ibi perſeuerarit, periculum ſuffocationis incurrit. Sic itaque ſerpentes ab odoratis non alia de cauſa abhorrent, niſi quod mortem illorum accelerant: & quod ita ſe habent (quemadmodum Plinius lib. XII. cap. XVII. affirmat) ſerpentes in ſyluis odoriferis frequentiſſimi ſunt, eaſque non alia de cauſa, quàm homo ſequuntur: Quòd ſi contingat odorem illum eſſe acrem & pungentem, veluti, (qualis ignetum, cum vapor eleuatur, redditur) illique non fugiant, vel quòd naturam quam homo imbecilliorem habent, vel id quod iam in cinerem redactum eſt ijs tota ſua ſubſtantia aduerſetur, certum eſt eos breuiſſimo temporis ſpacio extingui & ſuffocari. Et quod de rebus combuſtis tota ſua ſubſtantia naturæ ſerpentum contrarijs dixi, altera cauſa eſt ob quam ſuffitus illi ſunt inimici. Quam plurima enim ſunt, quæ dum vruntur, vaporem emittunt acriorem quàm cornu ceruinum, non tamen propriè ad fugandos ſerpentes faciunt: hoc enim habet peculiari quodam naturæ dono. Nam (quemadmodum Plinius libr. VIII. cap. XXXII. aſſerit) ceruis cum ſerpentibus perpetua eſt pugna, veſtigant cauernas, nariumque ſpiritu extrahunt renitentes. Ideo ſingulare remedium abigendis ſerpentibus odor aduſti cornu ceruini. Quod deinde pluribus in lòcis repetit. Item Dioſcorides quoque ſcribit, cùm adipem ceruinum corpori illitum ſerpentum morſus impedire ait. Serenus item Poëta qui poſt Plinium rem medicam carmine perſecutus eſt, ſi quis nocte vel in pelle ceruina quieſcat, vel dentem illius geſtet, à ſerpentum morſu immunem eſſe aſſerit. Tantæ ſunt inimicitię inter hæc duo animalia, vt non viua tantum, ſed mortua quoque perpetuo odio inuicem ſe proſequantur. Eandem vim lapis Gagates quoque obtinet: qui nomen inde ſortitus eſt teſtibus Dioſcoride libro quinto, & Plinio XXXVI. quod prope Lyciæ quoddam oppidum Gagas dictum, enaſcatur. Cardanus libro quinto de rerum ſubtilitate lapidem Gagatem, id quod ambram nigram

Gagates lapis.

com-

communiter appellant, eſſe exiſtimat. Idem Leonartus Fuſchſius quoque facit, quod tamen dubium mihi videtur. Ea enim nec nigra, nec cruſtoſa eſt, quemadmodum Dioſcorides ſcripſit, & Galenus deinde IX. Simplicium annotauit. Gagates autem nihil aliud eſt, quàm lapis qui ex bitumne conſtat, vt Georgius Agricola libro IIII. de Ortu, & cauſis ſubterraneorum affirmat, & Cardanus ipſe loco citato. Et quia veluti ſuccus eſt concretus, facilè accenditur, ignemq́ue concipit, & vaporem emittit, qui cùm naturam bituminis retineat, inſtar ſulphuris, peſſimum odorem, & quo ſerpentes facilimè feriuntur reddit: nam hanc præ cæteris lapidibus facultatem habet inſignem, & præter qualitates manifeſtas peculiariter hoc ineſſe illi videtur, vt (ſiquidem Oribaſio credimus) is qui ſecum fert, nec ſerpentes, nec venena vereri debeat. Plinius etiam illius ſuffitu virginitatem deprehendi ſcripſit. Quod tamen credat qui voluerit. Plinius enim, & qui hanc ſuam opinionem ſequuntur, eam experientia, & non aliter confirmare debent. Nicander præterea vim quandam illi attribuit, quam apud illos, qui poſt eum ſcripſerunt, non legi, quòd ſcilicet ignis eum exedere non poſſit, quod tamen ita accipi non debet, quaſi eum prorſus ab eo conſumi non poſſe exiſtimemus. Quandoquidem teſte Georgio Agricola eodem libro, lapides qui è ſuccis pinguibus & bituminoſis conſtant, ab igne, quemadmodum Gagates conſumuntur. Sed hoc à Nicandro dicitur, propterea quod longo tempore reſiſtit, antequam conſumatur. Eadem facultas ſerpentes fugandi filici combuſtæ, quòd odore ſit vehementi, aſſcribitur, quam ob cauſam ad inſtitutum quoq; facit, quemadmodũ Roſmarini quoq; radix. Dioſcorides duo genera Roriſmarini ſtatuit: vnum quod ſimpliciter ita vocat, idq́ue duplex eſt. Primum fert ſemen, alterum abſque ſemine, flore, & caule eſt. Secundum Roſmarinum coronarium, ad Coronas vtile vocatur, eſtq́ue in hortis noſtris frequentiſſimum. Prius folia fœniculi habet, craſſiora tamen & latiora, cuius ſemen cachrys dicitur: quod Theophraſtus quoque in ſua plantarum hiſtoria teſtatur: & huius radicem quam cacnryn appellat accipi vult, quam ego Roſmarinum verti, primamq́ue ſpeciem:

Filix.

Roſmarini radix.

libanotidis à Græcis dicti, intellexi. Dioſcorides tamen de radice, non ea quæ autor noſter, affert: ſed eam cum melle contra ſerpentum morſus facere ſcribit. Eadem vi pollere dicit Naſturtium, quemadmodum & noſter autor, quòd ſit natura calidum & acre. Hinc Latini, Plinio ita libro IX. ſcribente, naſturtium à natium tormento denominarunt. Tam enim calidum & acre eſt, vt ſi quis in nares immittat, ſubitò ſternutamentum moueat: quemadmodum cùm accenditur vaporem eiuſdem naturæ ex ſe emittit. Cornu quoque Damæ eundem effectum præſtat, ob cauſas eaſdem planè, quas de Ceruino attulimus: quem ordinem ſecuti ſunt, qui poſt Nicandrum de hac materia ſcripſerunt. Eadem ratio de Sulpure nigella, & bitumine afferri poteſt, quæ de Gagate lapide & Filice propoſita fuit, ob quam ſuffitus facultatem fugandi ſerpentes obtinent. Bitumen corpus eſt limoſum, & terreſtre, idque pro loci, è quo deſumitur natura. Nam quod è mari mortuo, & alijs quibuſdam fontibus, in quibus colligitur, hauritur, limoſius: quemadmodum ſi in Syria, terreſtre magis eſt: atqui ambo ex eadem materia craſſa & indurata tandem conſtant. In mari mortuo etenim ex limo pingui & viſcido fit, qui aquæ innatans à vento & vndis ad ripam vſque pellitur, ibique figitur, & indureſcit. Babylonienſes tamen eo bituminis genere ad ædificia conſtruenda, quod è terra fit, vti ſolebant, quemadmodum nos calce & gypſo ad cogendos, & ligandos veluti lapides: è qua materia Semiramis quemadmodum Iuſtinus hiſtoriographus annotat, Babylonis muros erigi curauit. Quicquid ſit omnino ea vi, quam Nicander illi tribuit, ob vehementem acrimoniam pollet. Quod Plinius quoq; libro XXXV. ſcriptũ reliquit. Quòd ſi qui plura videre cupit, Georgium Agricolam lib. I. de cauſis & ortu ſubterraneorum legat. Thracius porrò lapis eiuſdem eſt naturæ, & nihil aliud eſt, perinde ac Gagates, de quo locuti ſumus, quàm bituminis ſpecies. In Syriæ quodam amne Ponto dicto naſcitur. Dioſcorides de hoc præter Nicãdri textum, qui à Galeno quoque IX. ſimplicium allegatur, nihil ſcripſit. Si quis tamen aquam ſuperaffundit, vlterius ardet ſicut & calx, & oleo extinguitur facilimè, vt & bitumen, cuius odorem cùm inuritur, imitatur. Nihil enim aliud eſt,

quàm

Naſturtiũ.

Cornu Damæ.

Sulphur nigella.

Bitumen.

Thracius lapis.

Pontus.

quàm bitumen lapidis modo concretum. Sed Agricolam conſulito. Vrtica quoque combuſta odorem acrem valde emittit, quam ob cauſam etiam ab autore noſtro commendatur. Idem Galbanum quoque præſtat, quod teſtibus Dioſcoride, Galeno & Plinio, nihil aliud eſt, quàm ſuccus magnæ cuiuſdam ferulæ in Syria naſcentis. Præthereà eam vim habet, ſi quis eo illinatur, vt ſerpentum morſus auertat Virgilius lib. III. Georgicorum, cùm remedia ſerpentis fugandi ſcribit, ſic ait: Vrtica. Galbanū.

Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graues nidore chelydros.

EADEM cedrus quoque vi pollet, quæ arbor vſta grauiter olet, quod reſina quæ defluit, & qua nos vtimur, teſtatur. Deſcriptionem illius apud Theophraſtum, Dioſcoridem & Plinium habes. Et hæc, quod ad ſuffitus, ſerpentibus infeſtos attinet, dicta ſufficiant. Qui certè è quàm plurimis alijs ſimplicibus medicamentis eadem vi, quibus ea, de quibus tanquàm præcipuis, & maximè ſufficientibus locutus eſt, præditis, parari poſſunt. Cedrus.

RATIO ARCENDI SERPENTES PER EA QVAE SVBSTERNVNTVR.

CAP. V.

QVandoquidem ijs qui ligna in ſyluis cædunt, agricolis & alijs id genus hominibus terram excolentibus, non perpetuò remedia, de quibus ſuperiori capite, Nicandrum ſecuti, locuti ſumus, ſuppetunt: de ijs herbis quæ ad formam iunci faſciarum ſparſæ ſunt, & naturæ ſuæ contrarietate, vel odoris vehementia ſerpentes arcendi facultatem habent, agemus. E quarum numero Calamintha, eſt humida à Nicandro dicta, non quòd per ſe talis ſit: tota enim aſpera eſt, calida & ſicca, vt Galenus VII. Simplicium ſcriptum reliquit, ſed quòd prope flumina proueniat. Dioſcorides libro III. tria genera conſtituit. Vnum folijs ocymo ſimile, ſubalbidum, ſurculos & caules anguloſos ferens. Alterum Calamintha humida.

pulegio ſimile, ſed maius, pulegium ſyluestre dictum, quod id odore repræſentet. Tertium menthaſtro cognatum eſt, folijs tamen oblongioribus, caule & ramis maioribus, quàm reliquá duo, ſed & viribus inefficacius: Nicander potiſſimum de duobus prioribus loquitur, quæ non tantum inſperſa & accenſa, ſed per os etiam aſſumpta, aut ſupra morſum adhibita, vt Dioſcorides citato loco affirmat, hac facultate vigent. Appellaui autem caulem criſpum, vel capillamentum, quod in ſummitate, vel eo in loco vbi fert florem, capillos repræſentet. Quod reliquis quoque herbis aut certé quàm plurimis ex illis commune eſt. Sæpè itaque comam, capillamenta, vel capillos foliorum, caulis & ramorum loco poſui. Vitex etiam ijſdem viribus, quas autor noſter illi tribuit, aduerſus ſerpentes pollet. Frutex eſt in arborem aſſurgens, quàm proximè ad ſimilitudinem ſalicis accedens, folia habens oliuæ, ſed molliora. Dioſcorides duo genera conſtituit vnum, quod album florem mittit cum purpureo: alterum tantum purpureum. Sed ambo eaſdem, quod ad venena attinet, cum calamentho vires habent. Polium præterea montanum eandem habet proprietatem. Herba eſt colore exalbido, dodrantalis, referta ſemine, capitulo in cacumine quandam corymborum ſpeciem præ ſe ferente, paruo, cano hominis capillo ſimili, grauiter olente. Hinc Nicander folia illius graueolentia, & odorem iniucundum appellat. Non eſt tamen prorſus ſine ſuauitate. Alterum maius eſt, non vſque adeò valens odore, & ob id viribus quoque infirmius. De quo Dioſcoridem libro III. & poſt Theophraſtum Plinium libro XXI. vbi videtur polium cum tripolio contra Dioſcoridis doctrinam qui ea diſtinxit miſcere, conſule. Echium quod alio nomine Bugloſſum ſyluestre appellamus, inter reliquas herbas omnes magnam contra ſerpentes vim obtinet, & à Græcis ob duas potiſſimum cauſas ita dicitur, vel quod ſemen proferat capitibus viperinis ſimile, vel quod viperarum morſibus medeatur. Et ex vino ſumptum eundem vſum præſtat.

Caulis criſpus.

Vitex.

Polium.

Echium.

præſtat. Et videtur profectò naturam de induſtria hominibus huius plantæ proprietatem patefacere voluiſſe, cum illi ſemen capiti viperino ſimile dederit. De quo copioſius in ſequentibus agemus. Folia item Origani, quod alioqui Maioranam ſylueſtrem appellant, eam quoque vim, quam dixi, obtinent. Eſt autem herba de qua non omnino antiquis ſcriptoribus, Theophraſto nimirum, Dioſcoridi, & Plinio conuenit. Eſt & trium generum vnum Heracleoticum dictum, alterum onitide, poſtremum ſylueſtre, vt Dioſcorides III. libro ſcriptum reliquit, vbi eaſdem vires, quas Nicander illi tribuit. Origanum autem Heracleoticum, ſeu Herculeum, cunyla quod omnia curet dictum, vt idem Nicander in Theriacis ſcribit, vbi aliam quoque aſini folium, quod aſini mirificè ea delectentur appellat. Abrotonum deinde ijſdem quoque viribus pollet, & duorum eſt generum, mas ſcilicet & fœmina, mas ſarmentoſus eſt, & ramis gracilibus, vt abſinthium. Fœmina arboris quadam ſpecie frutificat, quam in Gallia paruã cupreſſum appellamus, vel peculiari quodam nomine Garderobe, folia habet & ramos ſubalbida, vt abſinthium, & minutim inciſa floribus referta eſt, comantibus in ſummo, fulgore auri corymbis: & quia ramulos & folia exalbida habet, Nicander loca in quibus hæc planta floret, valles lucidas appellat. Serpyllum quoque ipſum & potu, & illitu contra morſus beſtiarum virulentarum valet, vulgo nota herba, cuius rami ſi quæ particula terram attingunt, paruas radices demittunt, & ſerpendo latè ſe extendunt, vt eleganter autor noſter annotat. Et hanc ob cauſam ſerpit etiam interea, vt ex ea tanquam ſollicitum de ſuſtentatione ſui ſuccum exugat. Dioſcorides nunquam dicit eam ſubſtratu abigere ſerpentes, ſed credo tamen eam hanc vim habere, propterea quod calidum ſit, & acre, vt Galenus VI. Simplicium ſcripſit. Pulicaria Latinis, Græcis conyza dicta, inde nomen accepit quod pulices necet, ſeu abigat. Trium eſt generum maior, minor, & inter vtranque media, omnes tamen folia oliuæ ſimilia habent,

Origanũ.
Abrotonũ.
Serpyllũ.
Pulicaria.

habent, hirſuta tamen parum pinguia & craſſa, florem luteo colore ferunt, qui in pappum abit, vt cardui, vel Senecionis flos, cuius capilli ad ventum euaneſcunt. Ex his tribus duo tantum Theophraſtus, magnum & paruum cognouit, quæ maris & fæminæ nomine denotat. Vim habent arcendi ſerpentes, & culices, & necandi pulices, idq́ue vel ſuffitu, vel ſubſtratu, vel illitu, hocq́ue præſtant vel ob grauieolentiam, vel Naturæ quandam proprietatem. Et quod

Onogyris. ad Onogyrin attinet, quam Nicander eadem vi pollere ait, nihil affirmare poſſum: nullam etenim herbam, quæ hoc nomine appelletur, noui, quamuis Heſychius cuiuſdam plantæ non diſſimilis meminerit, quam tamen non aliter declarat. Memini me aliquando cum hominibus doctis, & in hac medicinæ parte exercitatis eſſe, vbi quidam mihi perſuadere volebat hanc eſſe anagarin Dioſcoridis, propterea quòd Dioſcorides & Galenus eam grauiter olere ſcriberent: adduci tamen non potui vt crederem, cùm anagyris nec ſpinoſa ſit, nec dentata, quas duas notas Nicander

Malū Punicum. huic tribuit. Rami item mali Punici proprietatem ſerpentes fugandi potius (vt ego quidem exiſtimo) ob occultam quandam vim, quam manifeſtam qualitatem, habent. Cuius tamen Dioſcorides non meminit, cùm tamen non facilè quicquam eorum, quæ ad ea quæ Nicander de herbarum facultatibus memoriæ prodidit, ſpectant, ſilentio præterie-

Aſphodelus. rit. Aſphodelus etiam ſeu haſtula regia dicta planta eſt folijs maioribus porri, caule læui ferens in cacumine & infrà paulo florem pulcherrimum, à folijs ſeparatum, cubitali longitudine, vnde videtur eſſe quaſi paruum caput, longum habens collum. Hinc Nicander Aſphodelum πολυαυχέα vocat, quaſi collo longo. Hæc plāta in Gallia vulgaris eſt notitiæ, & vires habet, quas autor noſter illi tribuit, non ſubſtrata tantùm, ſed per os etiam aſſumpta pondere trium drachmarum, aut extrinſecus adhibita ſupra ſerpentis morſum,

Solanum. eos qui læſi ſunt, tuetur. Solanum etiam, ſi Nicandro credimus, ſerpentes pellere poteſt: ſed tamen nullam eius rei rationem naturalem inuenio, cùm ſingulæ eius ſpecies, à Dioſcoride libro IIII. deſcriptæ, frigidæ ſint: vt facilè ex effectibus illorum colligere licet, in quibus me herculè cum ſerpentibus, quamuis venenoſi ſint, conueniunt.

Exiſtimo

Exiſtimo tamen,& ita credere quoq; oportet,ſi autorem noſtrum defendere voluerimus, hoc fieri ob naturæ quandam contrarietatem,quam cum ſerpẽtibus habent, qua ſæpe hactenus in quibuſdam plantis fuimus adiuti. Erythrodanum verò, ſeu rubia tinctorum hanc vim ob qualitates ſuas obtinet. Nam teſte Galeno v i. ſimpliciũ, radicem habet acrem & amaram guſtu, vnde facilè conijcere poſſumus, eam eſſe calidam & ſiccam: taceo quòd Dioſcorides ſcripſit,ramos & folia eius ex vino ſumpta ſerpentũ morſibus mederi. Quemadmodum Plinius quoq; lib.x x i i i i. Hæc herba vulgo cognita eſt,ob frequentem eius in tingendo vſum. Nicander alterius facultatis, quam habet, obiter nos admonet, quod ſi, cũ Vere exurgit, bos aut taurus eam comederit, in furorem agitur. Quod ab his qui poſt eum ſcripſerunt,non eſt animaduerſum,in quo præcipuè Plinium miror,qui tam diligentem naturæ arcanorum indagatorem ſe iactat. Pinaſtellus, quem Græci & Latini Peucedanum appellarunt, herba eſt fæniculo ſimilis,flore luteo, radice nigra, craſſa, graui odore & ſuccoſa. Deſcribitur à Dioſcoride li. i i i. vbi ait eam incenſam ſerpentes abigere. Pinaſtellum appellaui,Græcos imitatus. Nam prima ſyllaba Pinum exprimit, à qua denominatus eſt. Nam folia habet ſimilia Pinui. Atqui remedia hæc pleraque & quæ ſequenti capite ponuntur, à Lucano quoq; lib. i x. belli ciuilis, cùm de Catonis militibus loquitur, qui cùm eſſent in Africa inter ſerpẽtes,has herbas,ne nocte damnum aliquod caperent,comburebant,deſcribuntur.

Rubia tinctorum.

Pinaſtellus

QVIBVS MODIS TVERI SE QVIS POSSIT A SERPENTIBVS PER VNGVENTA.

Cap. VI.

PER vnguenta hoc in loco non ea tantùm quæ propriè ita dicuntur, & ex oleo, aut adipe componuntur: ſed omnia liquorum genera, quibus in corporis frictionibus vti poſſumus,vt eſt ipſa humana ſaliua, de qua loquemur, intelligimus. Nicander itaque obſeruato eo ordine, de quo in

principio locutus ſum, poſteaquàm ſcripſit de ſuffitu & ijs qua ſubſternūtur tertium oſtendit modū tuēdi ſe per inunctiones à morſu ſerpentū. Primū Cedri fructum introducit, è quo reſina effluit, quæ peculiariter ad beſtiarū virulentarū morſus proficit. Quod efficacius lōgè præſtat ſi quis adipem, vel cerui medullam adiungat, quemadmodū Dioſcorides libro primo ſcriptum reliquit. Idem Nicander de Peucedano & conyza, oleo cum ſaluia permixtis, adiecto puluere ex Laſeris radice trita, aſſerit. Laſer autē herba eſt, teſtibus Theophraſto & Dioſcoride, caule ferulaceo, foliis apio ſimilibus, qua in Europa caremus, niſi in monte Parnaſo reperiatur. In Syria, Armenia, Media, & Lybia naſcitur. Græci σίλφιον, Latini Laſerpitium vocant. Quod ſi ampliorē huius herbæ expoſitionē deſideras, lege quę doctè à Petro Andrea Matthiolo in ſuis in Dioſcoridē Commētarijs ſcripta ſunt. Sed neque de Saluia, quæ vulgo cognita eſt, eam hūc effectum præſtare poſſe, cùm ſit calida natura, dubitare oportet: quod Plinius quoque ſcripſit, & ex Nicandro, vt mea fert opinio, deſumpſit. Saliua quoque humana præcipuè ieiuni, ſi ſuper ſerpētes & alias beſtias, quæ virulentia ſua hominis vitæ inſidiantur, ceciderit, eas tanquam ad feruentis aquæ contactum fugere facit, vt Plinius lib. viij. ſcriptum reliquit. Omnibus hominibus (inquit) contra ſerpētes ineſt venenum: quod ante ipſum Ariſtoteles quoque annotauit. Galenus lib. x. Simpl. de ipſius facultatibus diſſerens, autorem noſtrum adducit, & ait eam hanc vim ſortitam ex propria ſua ſubſtantia, præcipuè verò ieiuni hominis, vt dixi. Cuius etiam Lucanus libro ix. belli ciuilis meminit, cùm ita inquit:

Laſer.

Saluia.

Saliua hominis.

Nam primum tacta deſignat membra ſaliua,
Quæ cohibet virus retinetque in vulnere peſtem.

Et Lucretius quoque cùm ita ſcribit:

Eſt vtique vt ſerpens, hominis quæ tacta ſaliuis
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.

E QVO videre licet, quàm ſolicita ſit de nobis natura. Nam cùm nihil magis homini aduerſari, quàm ſerpētes, cognoſceret, medicamentum illi ſimul & alexipharmacum idoneum, quo ſe tueretur, ſuppeditauit. Qui plura de illius

viribus

viribus ſcire cupit, Galenum citato libro legat. Erucæ oleo mixtæ ſerpentes fugant, vt Dioſcorides lib. II. ſcripſit. Cuius rationem certè afferre minimè poſſem, niſi ad proprietatem eam, qua natura dotauit eas, recurrerem. Neque enim hoc ex proximo ſuo ortu habent. Nam teſte Ariſtotele libro quinto de hiſtoria animalium gignuntur ex herbis, maximeque ex braſſica. Malua item agreſtis, hoc eſt, quæ ſua ſponte naſcitur, neque in hortis colitur, eaſdem vires habet ob rationem ſuprà poſitam. Poſteaquàm igitur Nicander ſimplicia quæ ad feras venenoſas abigendas faciunt, enumerauit, medicamenta deinde quæ inſtituto ſuo ſeruiunt, componit. Et primum paſtillos ad hunc modum format. Accipe duos ramulos abrotoni, naſturtij pondus vnius oboli, ſeminis dauci, quantum manu comprehendi poteſt: omnibus in mortario cum oleo vel cerui medulla (quam tamen non adiecit, arbitrio medici illud relinquens) contuſis, paſtillos finge, quibus cum vſus neceſſitas incidit, vtere. Ad eundem deinde affectum præſtantiſſimum vnguentum deſcribit. Duos ſerpentes accipe (viperas intellige, nam in compoſitione medicamentorum contra venena, Galeno teſte in libro de Theriaca, ijs vti conſueuimus) cùm libidini indulgent, hoc eſt, ſub finem Veris. Neque enim per hæc verba tam ſtrictè vult intelligi, vt quis eas eo ipſo tempore, quo inuicem commiſcentur, capere debeat. Præterea medullæ cerui dragmas triginta, vnguenti roſati vncias triginta ſex, olei oliuarum crudi tantundem mixtis cum ceræ nouem vncijs. Modum inſuper oſtendit rectè conficiendi hoc vnguentum, hoc eſt, quomodo ſerpentes eò vſque bullire debeant, dum caro ab oſſibus ſeparetur, quæ auferre oportet, quia venenoſa ſunt. Nec diſpliceret etiam, ſi quis caput etiam & caudam, iuxta Galeni præceptum, quod in ijs venenum præcipuè contineatur, aufferret. Quæcunque enim calida & ſicca ſunt, vt anteà diximus, ſerpentum morſibus aduerſantur. Quod verò attinet ad oleum, vel vnguentum roſatum, cuius Nicander tria genera, hoc eſt, primum mediocre & quod omnino contuſum eſt, nihil aliud intelligit quam parandi modum, qui ſuo tempore vſitatus erat.

Erucæ. Malua agreſtis. Vnguentũ roſatum.

Primum erat leuis roſarum infuſio, alterũ fortior, tertium cum roſæ exactiſſime in ipſa infuſione exprimerentur.

MODVS VITANDI SERPENTES.

CAP. VII.

NICANDER, vt nihil eorum intermittat, quæ ad officium boni medici requiruntur, non tantum contentus eſt viam, qua quis ſe vel ſuffitu, vel ſubſtratu, vel illitu à ſerpẽtibus tueri poſſit, oſtendiſſe: ſed eos etiam, quibus remedia non ſunt in promptu, & ſæpenumero loca periculoſa peragrare coguntur, admonet. Primum cõſulit ne itineri ſe accingant, antequam cibũ ſumpſerint, propterea quod partes corporis nobiliores (quibus venenum præcipuè ſeſe immiſcet) nutrimẽto vacuę tueri ſe tam benè non poſſunt, quàm ſi ex alimẽto robur veluti accepiſſent: præterquam quod venæ & arteriæ nouo cibo nondum repletæ, venenum facilius admittũt: quod cùm veluti locum vacuum inueniat, partibus pręcipuis ſeſe inſinuat. Secundo loco iubet caueri ſibi à fæmellis, quod earum morſus quã marium periculoſiores ſint, ob fauces quas patentiores habent, & ob id etiam vehementius mordent. Vult præterea vt ſerpentes tum, cùm æſtas in ſummo vigore eſt, præcipuè fugiant: tum enim veneni multum habent, & æſtuantes aſperius mordent. Principium autem æſtatis per Pleiadum (quæ ſtellæ ſunt ſex in cælo apparentes) ortum deſignat. Primum itaque æſtatis initium circa ſeptimum ferè Maij incidit, quo die quędã conſpiciuntur, quemadmodum nono omnes apparent, Columella teſte. Quam ob cauſam eas Heſiodus ęſtatis nuncias, in verſibus ab Athenæo citatis, quos ex Aſtrologia ſua deſumpſit, appellat, tumque cùm apparent, tempus meſſis appropinquare dicit, terramque excolere, cum euanuerũt, pręcipit. Ea propter à Græcis pleiades ἀπὸ τοῦ πλέειν, hoc eſt, nauigãdo, quod nauigatio ſub æſtatis principium, & cùm apparent, ſecura ſit, dictæ ſunt. Sunt qui dicant eas Pleïades quaſi Pleîonas, hoc eſt, plures dici, quod quamuis ſeptenario numero ſint comprehẽſæ, nunquam tamen plures quàm ſex euidenter appareant, vt

Pleiades.

Aratus & Hyginus aſſerunt. Plures igitur ſunt numero, quàm quæ deteguntur. Quin etiam Nicander ait:

Cùm in cælo Pleiades vides oriri
Quæ numero paucæ lucidæ ſunt.

POETAE fingunt ſeptem fuiſſe ſorores Lycurgi filias, quæ à Ioue ideò inter aſtra ſunt relatæ, quòd Liberú educaſſent. Sunt tamen qui dicunt eas Atlantis & Pleionæ filias (vnde denominatæ quoq; ſunt) fuiſſe. Earum nomina peculiaria ſunt, Electra, Alcione, Celæno, Maia, Aſterope, Taygete, Merope, quarum poſtrema non apparet, præ pudore occultans ſe, quòd cæteræ ſorores omnes Dijs nupſiſſent, ipſa autem Syſipho homini mortali. Hanc aliqui Electram fuiſſe autumant, quę ideò ſe abdiderit, ne Troiæ ruinam aſpiceret, tumque non ampluis apparuiſſe. Ouidium conſule lib. IIII. Faſtorum. Nicander præterea de loco in quo oriri Pleiades conſueuerunt, nos admonet, qui eſt ſub Tauri cauda, hoc eſt, Cauda Tauri. parte poſteriori. Taurus enim Arato teſte, anteriorē partem tantùm habet, & poſteriorem imperfectam. Et pro hac caudam ad Poëtarum imitationem, intelligit. Poſteaquam igitur dixit ſerpētes, cùm æſtas incipit, ob rationes quas adduxi, eſſe fugiendos, prohibet nunc ne quis in eo loco commoretur, vbi dipſas cum ſuis catulis nidum habuerit: nam dum ſe defendere cupit, tùm verò omnium maximè nocet. Quod cum reliquis quoque animantibus cōmune habet. Cauere etiam morſus illorum oportet, cùm paſtum quærit, propterea quod morſus corpori hominis ieiuni infixus, periculoſior eſt. Nicander etiam in genere de ſerpētibus loqui volens, vnam ex his ſpeciem, hoc eſt, Dipſadem, quæ ſic dicta eſt, quòd ij Dipſas. qui ab ea morſi fuerint, ſiti cōficiantur penè, antea quam expleantur, delıgit loco omnium, de qua poſteà loquemur. Sed vt breuibus rem complectar, ſiue ieiuni ſerpentes ſint, ſiue ſaturi, ſiue nido inſideant, optimum eſt illis non fieri obuiam, præcipuè verò cùm ira excandeſcunt. Quod per fabulam à vulgo petitam (Poëtæ enim ſæpè numero verſibus de cōmunibus opinionibus ludunt, quamuis eas falſas eſſe non ignorent) quam tamen Galenus etiam ſequitur, & tanquam veram approbat in libro de Theriaca, vbi hunc Nicandri locum adducit, declarat. Sic itaque habet: Viperę cùm coëunt, ita ſeſe mutuò implicant, vt vnum corpus duobus tamē ca-


pitibus videantur, & dum mas caput in fauces fœminæ immittit, vt ſemen intrò eiaculetur: quæ excalefacta, & in rabiem veluti acta capite marẽ truncat, niſi cautè ſibi proſpiciat. Partus deinde tempore, catulis in vẽtre perfectè iam abſolutis, cùm nullum locum quo exeant, inueniunt, ventrem matris arrodunt, & obliquè ſibi exitum parant, vt de patris morte vindictam ſumpturi veluti videantur. Quam ab cauſam Ægyptij cùm vxorẽ quæ maritum odiſſet, & ob amplexos Venereos amaret tantum, ſignificare vellent, viperá pingebant, quemadmodum etiam cùm filium qui in matris necem conſpiraſſet, denotare vellent. Atqui hoc falſum eſt, & à Plinio arreptum, ob perperam intellectum Ariſtotelis locum. Ita enim ait: vipera è ſerpentibus vna animal edit, cùm intra ſe oua primum pepererit: ouum hoc vnius coloris & molle, vt piſcium fœtus ſupernè conſiſtit, nec cortice cõtinetur, vt nec piſciũ quidem, parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rũpantur. Euenit interdũ, vt qui in vtero adhuc ſunt, abroſis mẽbranis prorumpãt. Itaq; Ariſtoteles benè dixit, catulos quãdoq; rodere mẽbranas, quibus obuoluuntur, ſed non quæ matris ſunt. Quo plus credo Galeni & Plinij opinionem falſam eſſe, cui primũ experientia multorũ doctiſſimorũ hominũ, qui de hoc ſcripſerũt, & Philoſtrati autoritas reclamat, qui in vita Apollonij aſſerit, Apollonium ipſum viperá viuam, quę catulos lamberet, vidiſſe. Vnde profectò ſequitur, eam ab ipſis non fuiſſe interfectã. Sed Nicander continuando inſtitutum, de locis in quibus vt plurimum ſerpentes inueniũtur, nos admonet vt omnes modos eas fugiendi commonſtret. Et dicit eas eſſe ſub Othry (qui mons eſt Græciæ, & per hunc reliquos omnes ſubintelligit) in triuijs item, magnis vallibus, & lucis, petris, vbi Seps vt plurimum inuenitur (per quem autor noſter omnia genera Serpentum, quemadmodum anteà per Dipſadem intelligit) eaſque in vniuerſum diſſimili prorſus eſſe colore oſtendit. Quædá enim ex ipſis quòd tota hyeme ſub terra quàm profundiſſimè delituerunt, in pelle muſcum quendam terræ, in qua nidificarunt, ſimilem collegerunt. Quamobrem eas calore ſimiles eſſe terræ, in qua ſe abdiderunt, ait. Minores intra ſaxa, & lapidum fragmenta ſe continent, quæ antiquitus in compitis prope Mercurij imaginẽ colligi ſolebant, quemadmo-

Mercurij lapides.

admo-

admodum hodie crucis imagines in triuijs, ad monſtrandum iter peregrinãtibus, vt ego quidem exiſtimo, ſunt poſitæ. Aliç ſimiles ſunt colore conchis limacum, aliæ ſunt totæ virides, aliæ varijs & diuerſis coloribus quaſi pictæ, quædam etiam ſabuli colorem in quo volutantur, retinent. Hic itaque cautè agendum, ne hac diſſimilitudine colorum decipiamur, & ſerpentem cum vitæ periculo pro herba vel ſabulo pedibus attingamus.

DE ASPIDE. CAP. VII.



Ἀσπίς. Aſpis.

POSTEAQVAM in genere tam de remedijs aptis tuendi ſe à ſerpentibus, quàm de natura beſtiarum virulentarum locuti ſumus: iam in ſpecie diſſerere oportet, vt quia curatio quandoq; pro ſerpentum varietate diſſimilis eſt, vitam eò melius tueri poſſimus, & conſeruare, vbi naturam vnius cuiuſque ſpeciei, tam ex Nicandri deſcriptione, quàm ſymptomatis, quæ morſus illarũ comitari ſolent, cognouerimus. Primùm itaque de Aſpide loquitur, quam antiqui in tria genera diſtinxerũt: quędã enim ex eis χερσαῖαι, hoc eſt, terreſtres appellantur, quędã verò χελιδωνία, hoc eſt, hirundinaceæ, quòd hirundinũ modo in dorſo nigræ, & aluo candidæ ſint. Aliæ πτυάδες, hoc eſt, ſpuentes nominantur. Se dex Tria aſpidũ genera.

omnibus terreſtres maximæ ſunt, quandoq; enim ad quinq; cubitorum longitudiné, & vlnę etiam vnius ſe extendűt, vt Nicander aſſerit. Colore ſunt cinereo, & ſubuirides quádoq;, qualis eſt fraxini color. Hirundinaceæ longitudine cubitum non excedunt, & quemadmodű dixi, colore hirundines repræſentat, & vt plurimum circa fluuiorum, præcipuè Nili, qui obliquè Ægyptum perreptat, & per ſeptem oſtia in mare Mediterraneum effunditur, ripas inueniuntur. Et ſunt ſanè ea aſtutia, vel potius naturali quadam prudentia, vt triginta dies, antequam Nilus ſe exoneret, ripas illius cum catulis ſuis relinquant, & ad altiſſima loca, quæ fluuius attingere non poſſit, confugiant. Nilus enim quotannis extra limites excedens, totam Ægyptum alioqui ſterilem prorſus humectat. Ptyades reliquas magnitudine ſuperắt, cinereo ſunt colore viridique, & ad auri colorem inclinante. Et cum Ptyas alicui damnum inferre cupit, collum, quaſi ſpacium quod inter vtrunque eſt dimetiés, exporrigit, & veluti ratione prædita quam longè ſpuere debeat, aliquem vt attingat, conijcit. Ab harum trium vna, vt Ælianus aſſerit, Regina Cleopatra morderi ſe paſſa eſt, ſatius exiſtimans mori in dignitate Regia, quàm in triumpho tanquam captiuam circumduci. Morſus verò aſpidis terreſtris tam periculoſus & pernicioſus eſt, vt in horis ad ſummum quatuor mortem afferat. Quemadmodum hirűdinacea confeſtim, nullaq; mora interpoſita, & Ptyas tardius paulò quàm reliquæ interficiűt. Conſequitur autem primű viſus perturbatio, faciei tumor, ſurditas, deniq; mors. Tam periculoſa inſuper eſt, vt Moyſes incurabilem planè appellauerit in Canticis. Singulę tamen hoc commune habent, vt vulnus quod in cute reliquunt tam ſit exiguum, vt ſæpè numero oculorű etiam ſenſum effugiat, quod ob veneni ſubtilitatem accidit, cuius ope breuiſſimo quoq; temporis ſpacio in abditiſſima quæq; corporis penetrat. Et cùm cutim citò relinquat, nihil præter paruum foramen, puncturæ acus ſimile, amplius apparet. Non igitur abſq; ratione difficile fuit mortis Cleopatræ cauſam cognoſcere, quę de induſtria, & quo minus doloris moriendo perciperet, ab aſpide feriri ſe paſſa eſt. Hinc Nicander optimè dicit:

Nec tamen vlla vides impreſſi vulnera morſus:
Nec dignus fatu tumor ictum corpus adurit,

Sed qui læſus homo eſt citra omnem ſata laborem
Claudit, & ignauo moriens torpore fatiſcit.

Lucanus etiam ad viuum expreſſit hunc locum, cùm IX. libro ita ſcribit:

At tibi Lœue miſer fixus præcordia preſſit
Niliaca ſerpente cruor: nulloque dolore
Teſtatus morſus, ſubita caligine mortem
Accipis, & Stygias ſomno deſcendis ad vmbras.

ATQVI Ptyas hoc præ cæteris peculiare habet, quod non tantùm morſus ipſius, ſed ſaliua quoque quá expuit, venenoſa eſt. Tam enim ſubtilis eſt, vt cutis pori abundè illi pro penetratione ſufficiant. Hiſtoria tamen autoris noſtri, cùm de aſpide loquitur, ſi ad proprietatis ſingularum ſpecierum reſpiciamus, ad terreſtrem tantùm & Ptyadem referri debet. Deſcribit enim ſerpentem tardum, quãdoquidem tranſuerſum in terra tractum habet, & nunc ad hoc, nunc ad illud latus ſeſe voluit: quod profectò de hirundinacea, quæ longitudine cubitum non excedit, dici non poteſt. Verum quidem eſt, quod cùm perpetuò oculis cõniuere, ob calloſa quædam tubercula quæ in fronte habent, ſomnumq́ue fingere videantur, id omnibus rectè attribui, idq́ue naturæ beneficio factum videtur, quæ conſiderata noxa, quam hæ beſtiæ ſi viſu pollerent, illaturæ eſſent, eas hac viſus ſubtilitate priuauit quidem, ſed auditu tamen remunerata eſt. Dauid Pſalmo LVIII. hanc proprietatem illi aſſcribit, quod cùm vocem incantãtium percipit, aures caudæ extremo obturet, cui difficulter fides adhiberi poteſt, neque tamen prorſus abroganda etiam eſt, cùm fieri poſſit, vt Poëtico more tam ob cauſas ſuprà commemoratas, quàm mortis genus eorum qui ab ea læſi ſunt, locutus fuerit. Lucanus aſpidem ſomniferam appellat, cùm ita inquit:

Heu quæ prima caput mouit de puluere tabes
Aſpida ſomniferam tumida ceruice leuauit.
Plenior huic ſanguis, & craſſi gutta veneni
Decidit: in nullo plus eſt ſerpente coactum.

QVOD verò ad quatuor dentes, quos intra maxillæ concaua Poëta noſter radices fixiſſe ait, attinet, commune quidem hoc eſt omnibus, modò fæmellas intelligamus (mares enim duos tantùm habent, vt facilè ex Aetio colligere licet,

cùm inquit, vulnera bina exigua ex maſculi morſu, ex fœmellæ verò quatuor apparere) qui, quemadmodú reliqua quoque omnia ſerpentum genera venenum in parua pellicula, quæ ſub lingua eſt, & dentes aliqua ex parte cooperit, incluſum habent. Hinc Nicander etiam dixit, venenum ſub cute tantum apparere. Quod reliquum eſt, hoc quoq; de natura aſpidis addemus, tantum eſſe inter maſculum & fæmellam amorem, vt occiſa altera, quæ ſuperſtes eſt, eum qui morti cauſam præbuit, anteà perſequi non deſinat, quàm de morte alterius vindictam ſumpſerit. Et quod magis eſt non verebitur maximo hominum cętui immiſcere ſe, & occiſorem ſociæ ex omnibus inueſtigare. Hinc antiquitus Ægypti reges in coronis ſuis aſpides depingi curabant, vt quemadmodum aſpidis amor firmus eſſet & ſtabilis, ita regnum quoq; ſuum firmum & ſtabile, inter reliqua omnia imperia fore indicarent. Diximus autem à principio huius libri, è venenis quædam eſſe, quæ peculiariter certis quibuſdam corporis particulis ſeſe infigunt: quod optimo iure de hoc quoq; affirmare poſſumus, capitali cerebri inimico, vt ex accidẽtibus quæ id comitantur, facilè iudicare poſſumus: qualia ſunt ſecundum autorem noſtrum ſomnus, oculorum nictationes, quẽadmodum Dioſcorides ſcripſit, ſenſuum hebetudo, ſtupor, frontis totius pallor, refrigeratio, aſſidui hiatus, capitis grauitas & ſegnities, vt Æcius affirmat. Quæ etiamſi abundè ad dolorem excitandum ſufficiant, ab ægro tamen ob grauem ſomnum & veternum, veluti quo ligantur ſenſus, non percipitur. Sed vt lectori ſatisfaciam, hoc loco, quemadmodum in ſequentibus etiam omnibus capitibus, particularem curandi modum aſpidis morſum, quamuis Nicander vniuerſalem tantum docuerit, ſubijciam. Poſt generales itaq; regulas de vulneribus à ſerpentibus illatis, hoc eſt, poſt ſcarificationem cutis, cauteriũ, vel inciſionem (de quibus capite primo locuti ſumus) vulneri ſeu morſui centaurium cum myrrha, & papaueris ſucci pauxillo, vel Theriacam imponere oportet.

DE

DE MVRE PHARAONIS, ASPIDIS INIMICO. CAP. IX.



ἰχνεύμων, Ichneumon, Mus Pharaonis.

QVAMVIS non inſtituerim de alijs, quàm de animalibus venenoſis loqui, caput tamen hoc in loco per digreſſionem veluti inſeram. Compédium enim & aſtutia muris Pharaonis, vel Indaginis, etſi animal ſit exiguum, in cauſa fuit, vt quotieſcunque ſcriptores de Crocodilo & Aſpide ſunt locuti, eius quoque ſtatim facta fuerit mentio.

De hoc copioſè diſſerit Petrus Bellonius lib. obſeruationum ſuarũ II. cap. XXII.


MVS Pharaonis tam à Græcis quàm Latinis, qui idem nomen retinuerunt, Ichneumon appellatur, quod lingua noſtra ſeu Romana reddi poſſet, Inueſtigator vel Indagator. Hoc enim vocabulum Græcum ſignificat. Sic autem dictus fuit, propterea quod oua tam aſpidis, quàm crocodili inueſtigat, vt ea diſperdat & frangat. Sunt qui murem Indicum vocent, & vulgo murem Pharaonis. Animal eſt exiguum, roſtro longo, forma muſtelæ proxima, quemadmodũ doctè & eleganter Poëta noſter ſcripſit, cauda oblonga ad ſerpentum ſimilitudinem, vt Opianus aſſerit, victitans vt plurimum in arundinetis & paludibus Nili: Hinc aliqui Nili Lutram appellarunt. Quemadmodum enim in Gallia Lutræ partim in aqua, partim in terra degunt, ita Indagator quoque in Ægypto. Capitali odio aſpidem & crocodilum proſequitur, non viuos tantum, ſed oua quoq; eorum, quæ frangit & ſub terram condit. Hinc Ægyptij olim murem Indicum in magno honore habebant. Nicander quidem aſſerit, eum aſpidis oua humi mandare. Sed Ælianus tamen lib. VII. cùm ex

propoſito de eo agit, hoc fieri negat. conterere enim tantum oua, & hac ratione fœcunditatem eorum impedire, quæ alioqui ad totam Ægyptum implendã ſat eſſet. Cum aſpide itaque pugnaturus limo ſe, & cùm hoc deeſt, in aquis immergit, & corpore fundum petit (quem Nicander Tartarum appellat, quo vocabulo omnis profunditas ad inferni imitationem, quem Poëtæ Tartarum vocant, ſubintelligitur) ibi cœno tergora defædat, & ad ſolem (quem Syrium, vocãt ab exiccãdo) deſiccat, & quia videt ſe lorica quaſi munitum, quæ à ſerpentis dente deprimi non poſſit, pugnã cum aſpide init, quæ linguam exerens (vel iuxta Nicandrum lambens) fruſtrà ſe defendit. Cùm enim hoſtis vndiquaque ſe obductum videat, faucibus eam arripit, vel cauda inuoluit, itaque in vndas demittit. Sed pugnæ modus, qua cum Crocodilo congreditur, eumq́; euincit (ſiquidem verum eſt quod ſcribunt aliqui) maioris ſolertiæ eſſe videtur, & plus admirandæ fraudis. Primùm enim in terra iacet, & loco vbi videri non poſſit, ibique tam diu moratur, dum Crocodilum faucibus apertis ſomnum capere animaduertit, in quas pleno ſaltu ſe immittit, & hinc à faucibus nimirum ſatis latè patentibus & hiantibus ad ima vſque viſcera deſcendit, hocq́; facilius quo limus Nili, cum quo corpus defœdauerat, anteà ob ſubſtantiæ leuorem magis ſeruit: tum inteſtina arrodere, miriſque modis affligere eum incipit. Dolore tandem igitur tam magna beſtia victa, nunc in Nilum ſeſe proijcit, nunc littus repetit, omnibus tamen vijs ad ſeruandũ ſe tentatis malo, quo afficitur, mederi non poteſt. Interim alter intus latitat abſq; vllo prorſus incõmodo & doloris ſenſu: vehementius inteſtinis, quæ ſuauis cibi loco illi ſunt, & tandiu ſeſe infigit, dum Crocodilo interempto, ad locum priſtinum ſeſe conferat. Hæc pugna à Plinio primùm libro VIII. & à Strabone, XVII. cũ de Iuriſdictione Arſemitiadica agit, deſcripta eſt. Vtraq; tamen ad viuum, & elegantiſſimè ab Opiano & Æliano libro tertio eſt expreſſa. Quod vt videre poſſis, Græcos verſus ex Opiano tranſtuli, qui libro III. de venatione leguntur. Omiſi autem de induſtria pugnam cum aſpide, propterea quod autor noſter copioſè eam deſcripſerit.

Ichneumon

Ichneumon breuis eſt, verum æquiparandus honore,
Et magna virtute feris atrocibus vnus,
Corpore quàm lateat ſolertia tanta puſillo:
Quippe dolis vafris criſtatos enecat angues.
Et crocodilos immanes ſeptemplice Nilo
Progenitos, audax miranda fraude trucidat,
Dum mulcet recubans crocodilus membra ſopore,
Faucesq́ue immenſas reſerans, & labra triſulca
In vacuas auras ingenti pandit hiatu:
Callidus Ichneumon verſutas inſtruit artes,
Obliquis oculis obſeruat donec anhela
Bellua tranquillo ſomno perfuderit artus:
Et compertum habeat dormire ſopore profundo:
Tum demum è cœno ſquallenti turbidus exit.
Lataq́ue peruadens temerarius inuolat ora.
Hinc miſer à ſomno tandem expergiſcitur alto
Saucius, ima ferens diram per viſcera peſtem,
Bacchaturq́ue amens animi, fluuiosq́ue pererrat,
Nunc limoſa petens, ruit in vada gurgitis alti,
Littora nunc repetit, corpusq́ue volutat arena,
Tetro feruentes expirans ore vapores.
Sic agitur furijs accenſa feruidus ira.
Talia flocci facit lætus, talesq́ue furores
Negligit Ichneumon, dum fibras tabe fluentes
Lancinat, & iecori accumbens epulatur opimo,
Optatis dapibus pluſquam ſatiatus Ichneumon,
Abſilit ex adyto linquens exangue cadauer.
O magne Ichneumon, magna virtute ſtupende,
Hui quantum facinus? quàm audaci corde peractum?
Qui ambiguam obijcias in tanta pericula vitam?

DE VIPERA.
Cap. X.



Vipera.

VIPERA ſpecies eſt ſerpentis diſtincta in marem & fœminam, quamuis vt vtrunq; ſexum ſignificaremus: hoc vocabulum Latinos ſecuti retinuerimus. Quemadmodum infinita alia ſuppetunt, quibus vterque ſexus comprehenditur, qualia ſunt columba, ſimia, muſtella, & id genus alia. Quod tamen Græci (qui verbis quàm nos ſunt locupletiores duobus vocabulis ἔχις & ἔχιδνα. ſub primo marem, altero verò fœmellam intelligentes, denotarunt. Latini viperam quaſi viuiperam appellarunt, propterea quod è ſerpentibus ſola catulos viuos pareret, quemadmodum Nicander ſcriptum reliquit, cùm de vipera loquitur.

Sola etenim viuo grauidatur vipera fœtu,
Mortua cum reliquum paſsim genus oua reponat.
Squammigeroſque greges per inhoſpita teſqua propaget,

Quare ob regionis diuerſitaté homines & reliqua amantia vel maiora

QVEMADMODVM itaque homines pro regionum varietate, & ſtatura & proceritate differunt, idque ratione caloris natiui, qui in alijs imbecillior, in alijs magis vegetus eſt: ita animantia quoque & quicquid vitæ particeps eſt, pro climatum

climatum diuerſitate diſcrepant inter ſe. Hinc Nicander viperas quandoque magnas, quandoque paruas eſſe dicit. Europa paruas & breues habet, proptereà quòd cùm ſint frigidæ natura, vt reliqui quoque ſerpentes, & Clima etiam hoc quàm Aſiæ frigidius ſit, caloremque qui alioqui exiguus, & in quolibet animante incrementi cauſa eſt, incluſum veluti habeat, & offuſcet penitus. Quod tamen in hominibus in frigida regione conſtitutis, qui vt plurimum reliquis proceriores ſunt, euenire minimè ſolet, propterea quòd homo natura calidus, ab ambientis frigiditate, ita in vnum veluti coarctatur, vt calor fortior redditus pabulumque habens proportionatum, ita ſe in corpore diffundat, vt vnà ſecum ſingulæ quoque partes ſtatim incrementum ſuſcipiant. Quod profectò aliter ſe habet, in his qui loca calida incolunt. Ambientis enim caliditas excedens, cutis meatibus reſeratis, calorem innatum euaporare facit, qui cùm intus coerceri debuiſſet, in ſudores deinde, & alias inſenſibiles tranſpirationes reſoluitur, & ex conſequenti tantum alimenti, quantum ad particularum incrementum requiritur, concoquere non poteſt. Sic qui regiones frigidas inhabitant, quòd calorem habeant robuſtiorem, vt dixi, multò plus, quàm qui calidas, cibi aſſumunt. Pari quoque ratione Aſiæ caliditas naturæ frigidæ viperarum defectum ſupplet, quemadmodum frigiditas Europæ incrementum earum remoratur, impeditque. Sed cùm autor noſter viperas candidas appellat, hoc eſt, pallidas, & albi coloris æmulas magis, quàm nigri, & quæ ſunt cornutæ circa narium foramina, de Ceractis loquitur, de quibus proximo capite loquemur, qui à viperis nulla alia re, quàm quòd cornuti ſunt, differunt. Atqui his omnibus viperarũ ſpeciebus Europæ montes, Sciron videlicet, Pammonia, Aſelenus, Corax, Riphæus, abundant. Inter quas Sciron mons eſt ſaxoſus, Athenis in Græcia ſitus, ſic dictus quòd oſſa latronis cuiuſdã Scironis in hunc fuerint conuerſa, poſteaquam à Theſeo fuit victus, quemadmodũ Poëtæ ſcribunt. De quo Ouidium libro VII. Metamorph. conſule. Lõgiſſimas viperas Ægages, Bucarteron, & Cercaphus Aſiæ montes alunt, adeò vt ibi quædam cubitali longitudine inueniãtur. Imò, quod magis eſt, in Troglodyte regione Æthiopiæ,

vel minora ſint.

Europæ montes. Sciron.

Aſiæ montes.

opiæ, decem & ſeptem cubitorum, & Strabone teſte, nouem longitudine in Iuda reperiuntur. Viperæ autem non tantum ob loci, ſed & ſexus diuerſitatem variant: fæmina enim ceruice, & ventre quam mas latiore eſt, caudamq́ue habet mutilam veluti, & breuiorem, & duris ſquamis plenam, nec paulatim extenuatur, ſed vno momento decurtatur, & tardè per dumeta reptat, quod breuior ſit, tarditatem tamen illam, quoad eius fieri poteſt, cauda recompenſat. Quo fit vt Nicandri verſus, qui ſequũtur ſtatim, de fæminis tantùm, non autem maribus intelligi debeant.

quorum ſatis ampla pateſcunt,
In latum capita, & ſummæ circa vltima ſpiræ
Fæmina pone trahit ceu mancam vipera caudam
Perpetuò duris horrentem tergora ſquamis
Et per opaca pigrum raptat dumeta volumen.

In gingiuis prætereà quatuor dentes habent, quibus morſum infligunt, hinc autor eas ex toto ore virus eiaculari affirmat. Mas tamen à fæmina differt, quod caput habeat acutum magis, & corpus longius, (quamuis inter mares alij alijs longiores ſint) ceruice item ſit magis elata, ventre tenuiori, cauda magis extenſa, quæ procul incipiens verſus inferiora ſe extenuat, plenus ſquamis, quibus vtitur vt robur in rependo acquirat, eaſq́ue inſtar canis ira commoti vel apri ſurſum erigit. Cùm irritatur, oculos habet coruſcantes, & lambendo, hoc eſt, linguam exerendo, eam bifidam veluti oſtentat. Hinc iter facientes, ſeu viatores eum antiquitus Cocytum appellabãt, quod vocabulum ſtudio fuit excogitatum, qualia infinita apud vulgus ſunt, quæ non ſunt in vſu apud eos, qui ſermonis elegantiæ ſtudere putantur. Quam ob cauſam etiam, qui in Nicandrum commentariũ Græcum ſcripſit, verſum qui ſequitur: Viperá ſcilicet à viatoribus Cocytum appellari, autoris noſtri eſſe negat, eumq́ue à quodam imprudenter, nulloq́ue adhibito iudicio additum eſſe affirmat.

Si quis tamen eo modo quo dixi, intelligat, huc quoque accommodari poteſt. Prætereà mas binos tantùm caninos dentes, reliquis omnibus in gingiuis deliteſcentibus, quemadmodum fęmina quaternos, ſicut oſtendimus habet.

Qui

Qui autem non in viperis tantùm, ſed hominibus quoque dentes apparent, vulgo quòd oculares dicuntur, quòd radice ſint alta, & euulſi doloris ſenſum quendam oculis inferant, illi (inquam) propriè à Græcis κυνόδοντες, hoc eſt, canini, quòd ſimiles ſint ijs qui in canibus ad veru ſimilitudinem conſpiciuntur, vocantur. Atque Poëtæ noſtri deſcriptionem ita quoad fieri potuit, facillimè expoſuiſſe mihi videor. Et quod ad binas, quas ſuprà poni curaui, effigies attinet, ad viuum expreſſæ ſunt duæ viperæ, quibus Ioannes Lignarius huius vrbis Pharmacopola dono nos affecerat, eaſque de induſtria cum multis alijs Pictauio apportari curauerat, ijſque in conficiendis paſtillis theriacalibus vſus erat. Et planè ad Nicandri deſcriptionem accedebant, quo fit vt eas veras non tàm ob formam, quàm ſymptomata, quæ deinceps declarabuntur, fuiſſe exiſtimem. Poſteaquam igitur Nicander vtrunque viperarum ſexum, hoc eſt, & marem & fœminam deſcripſit ſymptomata enumerat, quæ mox ab ictu apparere conſueuerunt. Primum è vulnere liquor oleoſus, quandoq; cruentus, interdum etiam ad pallorem, vt medius ſit inter album & nigrum, declinans, emanat: id quod ob veneni contagium accidit. Cùm enim corpus iam occupauit atque obſedit, humores partium nutritioni deſtinatos corrumpere incipit. Tota præterea particula in tumorem attollitur, non ſola tantum, ſed vniuerſum quoque corpus, quemadmodú Dioſcorides affirmat, id quod ex humoré aſſatione procedit: Quáprimum enim à calore quodam præter naturam plus iuſto incaleſcunt, intumeſcunt & efferueſcere veluti iam incipiunt, & in bilem degenerant, vt ex calore cutis manifeſtiſſimè patet, quæ nunc vireſcens, quandoque purpuraſcens, interdum etiam meri coloré repræſentans, qui in vniuerſum omnes putredinis indices ſunt, conſpicitur: quod ex veſicis etiam, quæ ſimiles ſunt ijs, quæ per ambuſtionem exoriuntur, cum cuticula à carne ſeparatur, & in cadaueribus vt plurimum euenire, animaduertitur, colligere licet. Et licet ſingultus ſit veluti conuulſio ventriculi, quæ fit vel ob magnam humorum copiam, vel inſignem aliquam euacuationem, ſeu repentinam & inæqualem repletionem, vel quia humor in eo continetur acris, qui morſum infert, vel quia frigiditatis ſenſum aliquem percipit: fieri tamen profectò nequit

Dentes canini.

nequit vt ventriculus, cùm humorem veneni malignitate corruptum ſentit, non totis viribus id quod noxium eſt expellere conetur: & cùm hoc onus nimis importunum excutere integrè non poſſit, ita contendit, vt ſingultu repetito ſonitum in faucibus excitet. Ab hoc maligno deinceps humore, ad caput vſque malignus vapor effertur, qui vertiginem & capitis grauitatem inducit, ibiq; fixus, perque vniuerſum corpus expanſus neruos & ægrum ita debilitat, vt ſe ipſo media propemodum parte grauior videatur, taceo quod grauitas illa hinc quoque oritur, quod ob veneni malitiam humores in qualibet parte colliqueſcunt. Et quia venenum (vt dixi) propriè partibus nobilioribus ſeſe inſinuat, ad maiores venas, quæ ſecundum renum longitudinem ſitæ ſunt, delabitur, tandemque iecur inuadit, ibique tantum ardorem inducit, vt in ea parte non dolorem tantum maximũ concitet, ſed ob febrem ardentem, pulmones & reliquas partes vicinas ita exiccet, vt ſitim extinguibilem excitari omnino ſit neceſſe. Et poſteaquam hæc peſtis integrè corpus obſedit, naturaque ſuperior facta eſt, ſtatim victoriæ ſuæ fructus, ſigna videlicet propinquæ mortis profert: vngues etenim, tam ob caloris natiui, quam ſpirituum qui eum deducunt, defectum refrigerantur, & quia ad partes nobiles, vt eas defendant, retroceſſerunt, non tantum ibi tanquam captiui detinentur, ſed miſerabiliter etiam ſuffocantur, quo fit vt corpus exterius refrigeratum, grandinem veluti congelantem ſentiat, quæ tamen tremorem concitet, quod ſemper in his partibus adhuc portio aliqua humoris mordicantis contineatur, neruiſque moleſta, tam vehementis tremoris anſam præbeat. Hinc Nicander hybernam grandinem exuberantem appellat. Hæc affectio non prorſus diſſimilis eſt tremori, & ſtridori dentium, qui tum fiunt cum tertiana febris aliquem apprehendit: niſi quod huius cauſa non tam venenoſa quàm illius eſt. Ad hunc itaque modum omnes partes debilitatæ, imo quod magis eſt, euictæ penitus, facile quod in ſe habent effluere ſinunt, quo fit vt cum ventriculus plenus ſit humore bilioſo, in quem venenum hoc totum ſanguinem tranſmutare poteſt, non in eo generato tantum, ſed à iecore quoque (quod hac ratione exonerare ſe cogitat) tranſmiſſo, hunc malignum grumoſum, & coa-


gulatum

gulatum veluti humorem, penitus derelinquere incipiat. Quemadmodum reliqua quoque viſcera, exiguum alimẽti quod adhuc ſuppetebat, exire ſinunt, quod in ſudorem cõuerſum frigidum, ad niuis ſimilitudinem per vniuerſum corpus effluit. Atq; tum color apparet plumbeus, quandoque cæruleus, interdum etiam perfectè viridis, vt flos æris fuſilis. Quæ omnia pro varietate temperamenti morituri, citius quam in ſeptem horarum ſpacio perficiuntur, præcipuè ſi vipera quæ vulnus inflixit, fœmina eſt, & iuuenis ſeu amoris ſtimulis exagitata, & ventriculo ieiuno, quemadmodum ſuprà, cum de ſerpentum morſu in genere ageremus, comprehenſum fuit. Quod ſi mas ſit multorum annorum, frigidus & cibo ſaturatus, & homo ſit bona corporis conſtitutione, profectò is non tam citò diem ſuum obibit, ſed plus ſpacij ad curationem habebit. In quolibet igitur ſerpentum ictu, ſexum, ætatem, iuuentutem, rabiem, ieiunium, magnitudinem, robur, & locum denique, in quo educatæ & enutritæ, tempuſque in quo læſio contigit, conſiderare oportet. Æſtate enim, & cùm locus in quo enutritæ ſunt ſiccior eſt, ipſæque magnæ ſunt & robuſtæ, procul dubio pernicioſiores etiam erunt. Horum accidentia plæraque, in pharmacopola quodam, qui fortè ab vna viperarum quarum effigiem ſupra expreſſimus, læſus erat, videre licuit. Nam cum è plaga vix duæ ſanguinis guttulæ (magnitudine enim vix caput acus referebat, effluxiſſent, per integram ferè horam nihil incommodi percepit, qua elapſa propè, digitus non tantum cum vehementiſſimo dolore intumeſcebat, ſed tota manus etiam citiſſimè, & nulla ferè mora interpoſita, & inflatio tantum proceſſerat, vt niſi ex conſilio Medici, qui tum vocatus fuerat, remediaque idonea adhibuerat ſupra brachij iuncturam compreſſa fuiſſet, atque impedita, breuiſſimo temporis ſpacio totum corpus occupaſſet. Nihilominus tamen deinceps ſex horis elapſis, vomitus amaræ bilis, & totius corporis refrigeratio, manibus & brachijs exceptis cum valida expiratione, quæ tamen non ita diu durauerat, quod maturè occurreretur, ſecuta ſunt, quod hoc magis admiratione dignum fuit, quod clima noſtrum frigidum, & hyems præterea eſſet.

QVAE

QVAE verò ad ſerpentum morſus remedia faciunt, ſtercus caninum eſt ex vino ſubactum, extrinſecus plagæ ad cataplaſmatis formam inductum, laurus item, abrotonum, galbanum, origanum viride, pulli gallinacei diſſecti, & protinus impoſiti, & infinita alia à Dioſcoride lib. VI. deſcripta. Quantum verò attinet ad ea, quæ per os ſumuntur, conuenit coagulum leporis ex vino oboli vnius pondere, ſeu vnciæ decem ſucci porrorum, & porrum ipſum, allia, item & cœpæ, præcipuè verò theriaca quæ in officinis pharmacopolarum hodie paratur.

DE CERASTE. CAP. XI.



Κεράστης Ceraſtes.

CEraſtes, quem Gręci primum, & Latini deinde ad imitationem illorum ita appellarunt, hoc nomen inde ſortitus eſt, quòd in fronte duas paruas eminentias inſtar Cochlearum habeat, niſi quòd ſolidiores ſunt, & robuſtiores, quemadmodum Ælianus lib. IX. ſcriptum reliquit, & Nicander de vipera (nam & Ceraſtes è genere viperarum eſt) affirmat cùm inquit:

Nac pare conſimiles forma ſit vbique Dracones
Cernere, nam gignit noſtra hæc Europa minores:
Tum qui molle ſupra prætendunt cornua guttur,
Et quodam candore micant.

ET quemadmodum Arabes teſtantur, quidam quatuor, interdum octo ſimilibus planè cornibus reperiuntur, quibus tanquam eſca ad paruas aues alliciendas vtuntur. Noti enim

enim ſe in ſabulo aſcondunt, & quo facilius auiculas alliciant, præter cornua nihil oſtendunt, ad quæ tanquam ad eſcam ipſis idoneam, vno impetu aduolát: quam ob cauſam etiam Nicander eum aſtutum & inſidiatorem vocat. Eſt autem cubitali longitudine, lõgiſſimus duorum cubitorum, colore cinereo, qualis omnino eſt leproſorum. Ventrem habet ſquamis ex ordine tectum, quapropter ſonũ in ſerpendo ſibilo ſimilem edit. Et videtur ſane Nicandrum duo genera Ceraſtũ cõſtituere voluiſſe, cũ de ijs ex profeſſo agens, ita ait:

Sed quatuor aut duo profert
Cornua, cum mutila videatur vipera fronte.

QVOD ab expoſitore etiam eſt obſeruatum, cùm locum hũc interpretatur, & affirmat eſſe quoddá Ceraſtum genus, à Græcis mutilum ſeu imperfectum dictum, quod cornibus careat, aut ſi ea habeat, non ita in conſpectum prodant, ſicut aliorum. Quæ expoſitio certè non vſque adeo aliena eſt à propoſito, & eam ego quoque quàm aliorum ſequi mallem. Auicenna enim lib. IIII. Cap. de Ceraſte, ita inquit: Genus quoddam Ceraſtis eſt, quod curtum ſeu recuruum dicitur propterea quod cornua habet breuiora, vel quia iam deciderunt: præterquam quod alijs breuius & exilius eſt, maxillas autem reſpectu aliorum grandiores habet, & ob id maxillare vocatur. Quæ ſi quis ad viperas accommodare voluerit, per me liberũ erit. Nam & autor noſter viperá cum Ceraſte cõfert, vt hac ratione cõmodius inuicẽ diſtingui queant. Vipera enim cum obuiũ aggredi properat, recto tramite ſerpit, cum craſſa ſit & breuis, nec tam facile in gyrum agi poſſit. Ceraſtes verò cum ſquamas ordine inuicem diſpoſitas habeat, vt carpus. Facilè ad formá literæ. S. incuruatur, non ſecùs quam nauis à vento Affricano agitata, à recto itinere declinare cogitur, & hinc inde errabunda ad venti arbitrium, à quo nunc huc nunc illuc pellitur, titubat. Quamobrem Lucanus cùm de his ſerpentibus agit, ita inquit:

Spinaque vagi torquente Ceraſtæ.

ATQVI non alienũ erit ab inſtituto hoc in loco, ea quæ ab antiquis de natura ſerpentum cornutarum memoriȩ prodita ſunt, cùm earum naturam in vniuerſum explorare animus nobis ſit, adiungere. Ælianus itaq; Ceraſtas Pſyllis (qui incolæ ſunt Lybiæ non procul à Garamantis diſſiti) tanta fa-

miliaritate deuinctos ſcribit, vt nunquam eorum morſum ſentiát, quos tantum abeſt vt offendat, aut noxius illis ſit, vt per ſe eam vim habeát, vt percuſſis medeantur. Quã non in Ceraſtas tátum ſed alia omnium ſerpentũ genera ſi iure ijs quæ Plutarchus in vita Catonis ſcripta reliquit, fidem adhibere poſſumus, obtinent. Cato etenim cùm exercitum Iulij Cæſaris fugiẽs per Lybiæ deſerta iter faceret, ſeq; in ſummo periculo ob ſerpentes, qui ſingulis ferè horis milites ſuos interficiebant, conſtitutum videret, melius certè ſibi conſulere non potuit, quàm vt auxilium à Pſyllis peteret, qui vulneratorum ictus exugerent & incantamentis quibuſdam ita ſerpentes faſcinarent, vt nullũ deinde morſum inferre poſſent, Lucanus huius meminit, cùm ait:

Gens vnica terras
Incolit à ſæuo ſerpentum innoxia morſu
Marmaridæ Pſylli: par lingua potentibus herbis
Ipſe cruor tutus nullumque admittere virus,
Vel cantu ceſſante, poteſt, natura locorum
Iuſſit, vt immunes miſti ſerpentibus eſſent.

IDEM à Nicandro quoque vti aſſerit Ælianus XVI. lib. qui verſus quoſdam ipſius adducit, deſumptos, vt mea fert opinio, è libro, quo his temporibus caremus, ſcribitur. Et niſi idem à Plutarcho, Herodoto, Aulo Gellio & Crinito confirmaretur, admirádum plane & incredibile ferè videri poſſet, ſimile prorſus à Plinio de quibuſdam Italiæ incolis Marſis appellatis, qui ſaliua ſola ſerpentum ictibus mederi poſſunt, ſcribitur: quod tamen à veritate alienum mihi videtur: Præterquam enim quod hodie nemo in tota Italia, qui hác vim poſſideat (ſi impoſtores quoſdam, qui è Diui Pauli progenie ortos falsò iactitant excipias) inuenitur: apud Galenũ etiam in lib. de theriaca legimus, Marſos ſuo tẽpore nihil eorum, quæ hac in parte illis aſcribuntur præſtitiſſe. Et ſi qui hodie inueniuntur, qui viperas & reliquas omnes ſerpentes, abſque vllo incommodo & noxa manibus tractant, id profectò fraudulenter, & non ex occulta vi qua polleant, fieri, quicquid tamen glorientur falſo, credendum eſt. Galeni etenim tempore quidam viperas, multo poſt vernationẽ capiebant, & cùm peſtiferum venenum magna ex parte reieciſſent, captas deinde aſſuefaciebant, & ita cicures reddebant, vt per cibos

non

non ſolitos, naturam venenoſam aliqua ex parte mutarent, præterea vt venenum dentibus extraherent, magna carnis fruſta mordenda apponebant,& alijs compoſitionibus, quas ilico etiam exhibebát meatus per quos venenum reijci conſueuerat,obſtruebant:ita certè vt quáuis morſum infligerét, periculo tamen vacaret. Hac ratione itaque tanquá miraculosè hæc fierét, admirationem ſibi pepererunt, ſed vt ad Ceraſtas noſtros redeamus,id quod idem Aelianus,& alij quidá de familiaritate eorú cum Pſyllis affirmant,adiungam.Cùm enim de coniugum pudicitia dubitant,vel in leuem quandá ſuſpicionem veniunt,& ne liberi ſpurij ſint verentur,infanté de quo dubitant, in dolium plenum Ceraſtis imponere conſueuerunt, ſi itaque infans è legitimo thoro conceptus fuerit,nihil ſiniſtri patietur: ſin minus,ſitq́ue ſpurius à ſerpentibus interficietur. Ad quod alludens Poëta quidam de Atiro quodam, è Pſyllorum géte prognato, hunc in modú ſcribit.

Atir ſerpentes veneno ſpoliare nouit
Dryinosq́ue tardos incantare,
Poſtremo cùm Ceraſtis prolem explorabat,
De qua dubitabatur.

QVIBVS ita explicatis, ad id, de quo præcipuè in hoc opere agere decreuimus, redeamus. Et quia copiosè de natura Ceraſtis diſſeruimus, reliquum eſt, vt de ſignis, quæ à morſu ipſius apparent, & de quibus ſuperiore capite locuti ſumus,loquamur.Eadem enim accidentia in Ceraſtis morſu quæ in viperæ cótingunt,& in nulla re differunt,niſi quod illius ſymptomata & grauiora & ſæuiora,vt Aetius aſſerit,quá huius ſint,propterea quod Ceraſtis, venenú vigoroſius agit, ſed nó tam ſubitò:nam qui ab eo attingitur,nouem ſolis radios,vt Nicander loquitur,hoc eſt,nouem dies vita frui,quéadmodum qui à vipera morſus fuit, triduum tantùm poteſt. Præter hæc verò Symptomata, quæ communia habent cum viperis, peculiaria quædam ſortiuntur,hoc eſt,duritiem paruam ſimilem cordi (ita autem vocatur tumor quidam durus,rotundus, inſtar capitis claui intra pedis articulos) quod non aliunde, quàm ex veneni malitia partem læſam indurantem, contingit. Et profectò hoc in loco Auicenna,& qui hunc ſecutus eſt Ardoynus, perperam Nicandri ſententiam intellexiſſe videntur, cùm ait:

Is ſi fortè grauem ſerpens impreſſerit ictum,
Fit ſimilis clauo tumor.

VIDENTVR enim hoc intelligi voluiſſe,de dolore pungente, perinde ac ſi acus vel clauus infixus eſſet, atque hoc modo accipi nõ poteſt,aut authoris noſtri ſententia falſa eſt, cùm morſum non ita magnum inferre dolorem aſſerit,quod profectò fieri non poſſet,ſi ſimilis eſſet illi,in quo quis in mẽbro clauum veluti infixum habere credit. Pręterea nec Dioſcorides nec Aetius, vllam huius ſymptomatis mentionẽ faciũt, ſed Nicandrum de verbo ad verbũ ſecuti alia quædam, quorum ille non meminit, addunt. Quod autem attinet ad dolorem inguinum,& poplitis, qui & ipſe vnum eſt ex accidentibus quę ſuperueniunt,id fit ob retractionẽ magnorum neruorum, qui has partes perreptant, & quod humores illorum colliquantur & mortificãtur.Cauſa autem puſtularum, & coloris liuidi totius corporis, quæ à morſu accidunt,è præcedente capitulo huc referri poteſt. Mentis porrò alienatio, & viſus hebetudo, & labiorum inflatio è capitis humiditatibus quæ colliquantur, & per totam cerebri regionem ſparguntur, & ad labia deſcendunt, procedunt. Genitalis verò erectio, quemadmodum reliquarum quoque partium, fit ob neruorum affectionem, ob quam contrahuntur, & plus ſolito tenduntur,ob malignum calorem,qui exiccat eos,non ſecus quã videre eſt in magnis æſtibus chordas in inſtrumẽto muſico, quod teſtudinẽ appellant, extendi, & rumpi quandoque penitus. Mox igitur à morſu particula læſa præcidenda, vel curbitulæ, ita vt cutis quoque incidatur adhibendæ, & medicamentis cruſtam inducentibus, & ijſdem remedijs, quæ ad viperarum morſus ſanationem faciunt, vtendũ erit.

DE HÆMORROO. CAP. XII.



Αἱμόῤῥοος. Hæmorrhous.

Hæmor-

HÆmorrheus ita & à Græcis & à Latinis dicitur, vocabulumq́ eſt ex duobus, hoc eſt, ἀπὸ τȣ̃ αἵματος, id eſt, ſanguine, & ῥοὸς vel ῥȣ̃ς, id eſt, fluxu compoſitum, quaſi ſanguinis fluorem, vel ſanguifluum dicas. Ratio autem, ob quam ita appellatus fuit, eſt, quod ſanguis percuſſi per omnes corporis meatus effunditur, vt pòſt dicemus. Hæmorrhous itaq; paruus ſerpens eſt ex genere viperarum, vt Aelianus affirmat, & in cauernis petroſis habitat, longitudine pedem inſtar Ceraſtæ æquat: quod verò ad latitudinem attinet, à capite (quod Nicãder flammeũ vocat, propterea quod oculos habet igneos, & locuſtæ ſimiles, vt Aetius ſcriptum reliquit) vſque ad caudæ extremum ita in tenuem, & anguſtam figuram deſinit, vt & longitudine & latitudine multò minor ſit vipera. Colore eſt ſplẽdido, quandoque cinereo & arenoſo, vt Aetius & Auicenna teſtantur. Arena enim vt plurimum cinerem colore repræſentat. Auicenna præterea addidit, habere dorſum multis maculis nigris & albis variegatum, collo eſt conſtricto viperæ reſpectu, & cauda ab vmbilico incipit, quod ex eo cognoſcitur, quod eo in loco ita in arctum ſeſe contrahit, vt veluti reliquam corporis partem præcidiſſe ſibi videatur, vt autor noſter affirmat.

Vnum longa pedem, totoq́ue gracillima tractu,
Conſtrictumq́ue ſatis collum, & tenuiſsima cauda.

DVPLICI verò ratione cum Ceraſte conuenit, de quo ſuperiore capite locuti ſumus: primùm quod in fronte bina cornua parua, & candida habet, quæ velociſſimè nunc huc nunc illuc verſat, magnaq; cupiditate noxã inferendi flagrat. Deinde quod nõ recto tramite incedit, quemadmodũ de vipera diximus, ſed riuuli inſtar in pratũ aliquod effuſi reptat, & figuram literæ. S. vt Geraſtes etiam, repræſentat. Præterea non aliter quàm nauis quæ mare ſulcat, hoc eſt, prout vndæ vel aſſurgunt vel deprimuntur, reptat. Anteriorẽ enim partem attollit, cùm poſterior eſt depreſſa, & contrà. Ob quã ſimilitudinem Nicander nauigij vocabulo, vt ingreſſum hæmorrhoi aptè exprimeret, vſus eſt, cùm ita inquit:

Ex medio videas appellere dorſo
Paruum nauigium, terit imam lubrica terram,
Aluus.

Ad eundem modum millepedes etiam, & alios hortorum vermes, quaſi clumbes eſſent, repere videmus, ná cùm fluctuando veluti partem anteriorem protruſerunt, ventrem in terra firmant, & poſteriora deinde etiam trahunt. Dignoſcitur autē mas à fœmina non ſolum per ſymptomata. Mas etenim ſemper collo extenſo incedit, & ventri innititur, & poſteriora deinceps trahit: contrà fœmina caudæ incumbit, & anteriora trahit. Inter accidentia verò, quæ ſtatim maris morſum comitantur, primum eſt color particulæ læſæ, quì toto genere pręter naturam eſt, & ad nigredinem accedit, ob caloris natiui, veneni malitia, capitalis illius inimici extinctionem. Hanc cordis, hoc eſt, ventriculi dolor, excipit. Ventriculum autem cor appellarunt antiqui, quemadmodum hodie etiam vulgus, cùm dolorem in ore ventriculi percipit, cor affici dicit. Ad hunc modum Nicander de aconito in alexipharmacis loquitur:

Craſſantur circum præcordia ſumma grauiq́ue
Errore infeſtant, morſus in corde moleſtos.
Oreq́ue ventriculi pariunt ſublata patenti,
Qùod cor ventriculi quidam cellamq́ue vocarunt.

Oritvr autem hic ventriculi dolor, propterea, quod cum vna ſit ex partibus principibus, facillimè tã venenum, aduerſiſſimum hoſtem ipſarum, quàm anxietatem aliarum partium ſentiat, omnium maximè verò in morbis venenoſis, quemadmodũ in peſte vſu venire videmus, quam ſtatim vomitiones inſequuntur, quæ certè non aliunde, quàm ex mala qualitate quam ſentit, proficiſcuntur. Præterea, quod magis eſt, ventris fluor accedit, quod ab autore noſtro cùm ventrem aqua refertum effluere dixit, obſeruatum eſt. Cum enim ad Poëtarum imitationem ventrem humidum appellare vellet aqua plenum, quod ea nihil ſit humidius, dixit. Hoc autem fit non tantum, quod ventriculus mirum in modum debilitatus officio fungi ritè non poſſit, ſed etiam quod venæ per inteſtina ſparſæ, ijſq́ue inſertæ, ſanguinem, qui deinde cibis non perfectè cõcoctis permixtus fluori alui anſam præbet, effluere ſinant. Præterea ſanguis ex omnibus corporis meatibus non naturalibus tantum, vt naribus, ore, quod contiguum eſt faucibus & pulmonibus, ſed non naturalibus etiam effunditur: imò ſi quis fortè vulnus

longo

longo ante tempore accepit, quamuis ſit cicatrix inducta, iam eam tamen aperit, & ſanguis denuò emanat: quod ex veneni ab ictu ſerpentis in vulnere relicti proprietate contingit. Hinc Galenus libro de Theriaca, hæmorrhoum vnum è ſerpentibus eſſe aſſerit, qui ſuis ipſorum nominibus, ſimilem hominibus perniciem afferant. Quod eleganter à Lucano ſequentibus verſibus fuit expreſſum.

Impreßit dentes hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo, iuueni, miratoriq́ue Catonis.
Vtq́ue ſolet pariter totis ſe effendere ſignis
Corycij præſſura croci: ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lachrymæ, quæcunque foramina nouit
Humor, ab ijs largus manat cruor, ora redundant,
Et patulæ nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.

RATIO autem, ob quam vulnera olim accepta recrudeſcunt, ab autore noſtro deſcribitur. Nam præterquam quod venenum vim habet eliciendi ſanguinem (quod fit, vt ego exiſtimo, quòd eum fundit & diſſoluit) eam quoque facultatem obtinet, vt carnem & cutim ita exiccet, vt præ ingenti ſiccitate rumpantur. Quemadmodum æſtate, & in magnis caloribus terram findi, & rimas agere, in eo præcipuè loco, vbi antea fuit diſrupta, idq́ue ob calorem intenſum, videmus, quæ Nicandri quoque fuit opinio, cùm ait:

Quæ ſunt in corpore plagæ
Rumpuntur, quadamq́ue cutis fuligine marcet.

PRÆTER hæc verò Symptomata, de quibus verba fecimus, inflammatio etiam gingiuarum putreſcentium contingit, dentes præterea ringuntur, vacillant, & emiſſo prius cruore excidunt, & ſanguis non per vngues tantùm, ſed oculorum quoque angulos, mox à fœminæ morſu, vt Aetius memoriæ prodidit, effluit. Quamobrem diligenter ab ea cauere ſibi Nicander monet, infinita alia apud Arabes, & Aetium ſunt ſymptomata, difficultas nimirum reſpirationis & vrinæ reddendæ, vocis item priuatio cum animi deliquio. Quæ omnia ex inſigni ſanguinis & humorum corporis euacuatione,

cùm nerui,& muſculi exiccati, munus ſuũ obire nequeunt, originem ducunt. Illorum enim opera & ſpiritus fit attractio,& vocis vſus nobis ſuppetit,vrinę denique expulſio perficitur. Sed poſteaquã Nicander Hæmorrhoũ,& accidentia, quæ morſum ipſius comitantur,deſcripſit, vt deinceps opus hoc ſuum artificioſa inuentione quadam locupletare veluti poſſit, rationẽ affert, Quare Hæmorrhous & Ceraſtes ceu elumbes incedant,quemadmodum aſſerit,cùm de Hæmorrhoo loquitur ad hunc modum:

Et inſtar
Ipſius obliquè ſua paruula terga Ceraſtæ
Claudicat. &c.

FABVLA autem quam recenſet,hæc eſt,cùm Menelaus poſt Troiæ vaſtationem, & coniuge Helena recuperata, in Græciam redire vellet,tempeſtate ob ventum Aquilonarem orta actus, ad Nili quoddam oſtium,quod tum Canobus vocabatur, nomine à patrono nauis, Canobo dicto, mutuato, appulit. Canobus itaque cùm in ſabulo Thonide,ita vocato, quod Thonis eo tempore Ægypto imperaret, vires reficere vellet,pede fortè Hæmorrhoum attigit,qui læſum ſe ſentiẽs morſum inflixit, è quo deinde miſerabiliter perijt. Helena ob ipſius mortem vehementer afflicta,accurrit ſubitò, & ira æſtuans,tanto impetu ſerpentis dorſum calcat,vt totam ſpinam & neruos,qui eum vinciebant,eximeret, & ab eo tempore Hæmorrhoi & Ceraſtæ,obliquè & claudicantes veluti proreptant. Huius fabulæ nemo antiquorum, quem ego quidem legerim,præter Aelianũ meminit,qui tamen omnia de verbo ad verbum ex Nicandro deſcripſit. Vnde Ronſardum quoque, in quodam verſu lib. II. Amorum deſumpſiſſe, verum eſt, cùm dicit:

Meritò ſanguis horridæ faciei fuit maledictus
Qui primum ſerpentes venenoſos procreauit:
Non debuiſſes,Helena,pedibus illos calcans
Renes conquaſſare,ſed perdere prolem.

Remedia porrò quibus vtendũ erit, vt ſaluti noſtræ conſulamus, ſcarificatio ſunt & vſtio, & ſiquidẽ pars vitiata ferre poſſit,eam ex toto præcidere conſultius erit,& acria deinde, & quæ validè attrahant cataplaſmata imponere, denique ea omnia adhibere,quæ ſuperiore capite ſunt comprehenſa.

DE

DE SEPEDONE. CAP. XIII.



ΣΗΨ, Σηπεδών, Seps.

SEPEDON, quem & Græci & Latini eodem vtrique vocabulo appellarũt, ſic dictus eſt, quod corpus eorum quos tetigit, ſtatim, idq́ue ob veneni ſui malignitatem putrefaciat, quemadmodum ſuprà cap. VII. à nobis annotatum fuit, cùm diximus, σήπα à Græcis appellari, non vt exiſtimemus hunc ab eo, de quo Nicander paulo antè quã de Aſpide egit, ſcripſerat, diuerſum eſſe. Præterquã enim quod hæc duo vocabula idem prorſus ſignificant, nullas etiam diſcrepantes inter ſe deſcriptiones apud Poëtam noſtrum inuenimus, taceo quod eadem omnino ſymptomata in morſu putrefactoris, quem Aetius Sepem appellat, & eius, quẽ Nicãder Sepedonem vocat, contingũt. Præterea nec Plinium de alio ſerpente quàm Sepedone locutum, nec Dioſcoridem quã Sepe, conſtat, quod fidem mihi facit eadem prorſus eſſe. Verum equidẽ eſt Aelianũ duo capita de hoc ſerpẽte feciſſe, ſed ex iis quę ſcribit lib. XVI. nequaquã Sepem à Sepedone diſtinxiſſe videtur, nam eadem ſymptomata huius quoq; morſum comitãtur. Atqui duæ ſpecies ſunt Sepedonis, vnus enim ſerpens eſt ſimilis Hæmorrhoo, hoc eſt, quemadmodũ Nicander ſcriptum reliquit, à capite ad caudam vſque perpetuo & paulatim in anguſtam formam deſinit. Alter lacerta Chalcidica

vocatur, propterea quod lacertam repræſentat, quemadmodum facile è II. Dioſcoridis libro de Sepe,& v. de aceto, colligere licet. Secundo etenim libro, Sepem, lacertam Chalcidicam appellat, quinto autem Viperarum ſpeciem. Quod Andreas Mathiolus, rei herbariæ peritiſſimus, è Nicandro probauit, qui in theriacis, cùm ſcorpionum genera varia deſcripſiſſet, ſtatim ſubdit, Sepem habere corpus exiguum, non diſſimile paruis lacertis. Sequitur igitur ab eo, quem Nicander deſcripſit, diuerſum eſſe, cùm ait:

Inſpice, quo benè cognoſcas
Corpus ſepis, qui ſimilis eſt prorſus
Hæmorrhoo &c.

QVOD ad aliud Sepedonis genus attinet, ſuo loco diſſeremus. Seps itaq; Hęmorrhoo corporis figura ſimilis eſt, ſed nõ obliquè ita, & recta potius viperæ inſtar procedit, quod profecto ab Aeliano lib. xv. cap. xviii. non fuit intellectũ, quo in loco cùm Nicandri verſus de verbo ad verbũ reddere vellet, & vnam partem dextrè aſſequeretur, in altera deceptus fuit: aſſerit quidẽ Sepedonem Hæmorrhoo ſimilem, & caudam cũ mouetur, habere exiguam. Sed cùm autoris noſtri verba, cùm ait, eum dũ ſurgit curuari, explicare vellet, illud de ingreſſu intellexit, cum dicit, Per gyros & flexiones graditur, ita vt inſpectantium oculis imponat, vt de eius magnitudine iudicare nequeant. Atqui Nicander hanc incuruationem non de vniuerſo corpore, ſed cauda tantùm, quam Sepedon in altum attollit, & incuruat veluti porci inſtar, ita vt an longa vel breuis ea ſit, non facilè ſit iudicare, intellexit. Alioqui autoris noſtri locus, cùm eo quod paulò antè dixit, ſepedonẽ nimirũ ſimilem eſſe hæmorrhoo, niſi quod contrario modo ingrediatur, conuenire minimè poſſet. Si itaq; hæmorrhous in gyrum vertendo ſe perpetuò incedit, ſepedonem non eodem modo proſerpere ſequitur. Similis error eſt viii. lib. hiſtoriæ Pauſaniæ, vbi cùm mortem Ægypti Arcadiæ regis deſcribit, cum à Sepe læſum fuiſſe dicit, quem ita dẹpingit. Viperæ, inquit, ſimilis eſt minimæ, cineris colore, maculis ex interuallo varius, lato capite, anguſta ceruice, aluo maiori, cauda breui, obliquo inceſſu quaſi cancer, quod & ceraſtæ ſerpenti proprium eſt. Hæc verba ſunt Pauſaniæ, qui Sepem vidiſſe ſe affirmat. Neceſſe tamen eſt, vt aut ipſe deceptus, aut Nican-

Nicander falſus fuerit. Verũ equidem eſt, quod noſter quoque autor ſcripſit. Ceraſtem obliquè incedere, ſed hic tamen minimè. Qua propter cũ præcipuus ſcopus fuerit Nicãdro, ſerpentes oculis ſubijcere, non eas tantùm, quarũ naturam aſſiduo ſtudio exploraſſet, atque calleret, ſed quas ipſe quoq; (neq; enim alioqui tam diligenter ab eo fuiſſent deſcriptæ) vidiſſet, ſatius eſſe iudico, illius opinioni inſiſtere, quam vt his quæ contrario modo à Pauſania ſcripta ſunt, fidem adhibeamus. Sed redeamus ad noſtri ſerpentis deſcriptionem. Eſt autem, vt dixi, ſimilis Hæmorrhoo, niſi quod recto tramite incedit, & cornua nulla habet. Colore eſt pallido, ſeu potius diuerſicolor, quem Nicãder hirſuti tapetis colorẽ appellat, cum ait: *Et color hirſuti, qualem eſt ſpectare tapetis.* Scholiaſtes Græcus hoc de colore coccineo intelligi debere voluit, nam vt plurimum (inquit) Tapetes hoc colore conſpiciuntur, crediderim tamen, cùm tapetes ferè ſint perpetuo diuerſicolores, autorem noſtrum dicere potius voluiſſe, Sepedonem inſtar tapetũ, diuerſis coloribus eſſe ornatũ. Auicenna preæterea aſſerit, Sepem, quem ſua lingua Helſni appellat, habere ſecundum corporis longitudinem radios diuerſorum colorum, quod me mouit, vt dicerem hunc colorem potuiſſe eſſe pallidum, propterea quod Athæneus antiquiſimum poëtam allegans, mulierem timidam tapetis colore eſſe dicat. Metum itaque pallor ſtatim excipit, & ob hoc tapetes antiqui pallido colore fuiſſe videntur, & hæc ratio non vſque adeo inconueniens eſt. Aetius enim de Sepe ait, eum habere vniuerſum corpus multis albis notis reſperſum.

INTER accidentia verò quæ ad morſum ipſius ſequũtur, primũ eſt dolor vehemẽtiſſimus, qui ob venenũ, quod vnum ex omnibus maximè adurẽs eſt, & putre faciens, cõtingit. Pili deinde è toto corpore effluũt, quod venenũ non per internas tantũ, ſed externas etiã partes ſparſum, radices pilorum putrefacit atq; corrodit, & per totã cutim expanſum, ſubalbidã eam reddit. Quod vitiũ à Græcis ἄλφος, Latinis vitiligo dicitur, præcipuè vero quibuſdam in locis, color quidam albus & aſper exoritur, qui ad ima vſq; penetrans, vniuerſam cutim inficit, eamque defædat, quæ ſpecies ſub priore comprehenſa, à Græcis & Latinis vno nomine Leuce dicitur.

Et

Et quia noſtra lingua, nõ ita vocibus, quemadmodũ Græca, abundat, in Nicandri verſione, pluribus verbis ſignificare eas coactus fui. Prętet hęc ſymptomata Aetius adhuc alia quoq; adiungit, profluuium nimirum ſanguinis è vulnere, quod commune eſt omnibus ictibus venenoſis, & paulo pòſt ſaniẽ graueolentem, & tumorẽ denique in parte vitiata, ob putredinẽ incipientem, quæ vniuerſum corpus tandẽ ita occupat, vt caro putrida tota, idq́ue breui temporis ſpacio abſumatur. Quod elegantiſſimè à Lucano lib. IX. cũ ita ait exprimitur.

Miſeriq́ue in crure Sabelli
Seps ſtetit exiguus, quem flexo dente tenacem
Auulſitq́ue manu, piloq́ue affixit arenis.
Parua modò ſerpens: ſed qua non vlla cruentæ
Tantum mortis habet, nam plagæ proxima circum
Fugit rapta cutis, pallentiaq́ue oſſa retexit.
Iamque ſinu lapſo, nudum eſt ſine corpore vulnus:
Membra natant ſanie: ſuræ fluxere: ſine vllo
Tegmine poples erat, femorum quoque muſculus omnis
Liquitur, & nigra diſtillant inguina tabe,
Diſsiluit ſtringens vterum membrana, fluuntq́ue
Viſcera: nec quantum totum de corpore debet,
Effluit in terras: ſæuum ſed membra venenum
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia virus
Vincula neruorum, & laterum textura, cauumq́ue
Pectus, & abſtruſum fibris vitalibus, omne
Quicquid homo eſt, aperit peſtis: natura profana
Morte patet: manant humeri, forteſq́ue lacerti:
Colla, caputq́ue fluunt. Calido non ocyus auſtro
Nix reſoluta cadit, nec ſolem cera ſequetur.

SIC itaque ob huius putreſcẽtis veneni malignitatẽ, non ſpiritus tantũ euincuntur; ſed vniuerſum quoq; corpus, non ſecùs, quàm ſi ignis id peruaſiſſet, cõſumitur. Sed hoc profectò nõ huius ſerpẽtis veneno tantũ, ſed omni putredini, quæ aliqua ex parte materiam venenoſam coniunctam habet, cõmune eſt. Quemadmodũ in peſte, quæ ſtatim ad frequẽtes pluuias ſequitur, euenire videmus, quotidiana enim experiẽtia conſtat, particulá in qua bubo peſtilens, ſeu carbunculus, vel alius tumor apparuerit primùm, tanta putredine corripi vt quandoq;, imo vt plurimũ vnà cum vita totũ membrum pereat,

pereat, & abſumatur, quemadmodũ benè Hippocrates lib. III. Epidem. monuit, poſt annum pluuioſum, & putrilaginoſum, quam plurimos & cutis & carnis, neruorum deniq; & oſſium, & quod magis eſt brachiorum, in vniuerſum iactura fecisse. Remedia vero aduerſus ſepis morſus ſimilia debent eſſe his, quæ ſuprà de Vipera & Ceraſte poſita ſunt.

DE DIPSADE. CAP. XIIII.



Διψάς, Dipſas.

DIPSAS quam & Græci & Latini eodem nomine vocarunt, ſic dicta eſt, quòd ij qui ab ea ſunt percuſſi, ſiti intollerabili & quæ extingui non poteſt, cruciantur. Eſt autem hic ſerpens è genere Viperarum, vt quidam putant, vel Aſpidis iuxta aliorum opinionem. Aetius dicit viperæ ſpeciem eſſe, quæ in maritimis locis reperiatur, longitudine cubitali, & ſemper ex craſſa in tenuem deſinat, notas autem habere per omne corpus, fuluas & nigras, & caput anguſtius. Eſt tamen Diſpas duabus de cauſis à vipera diuerſus, cùm, quod qui ab ea icti ſunt, citius interimit, tum quod in cauda paruas maculas nigras impreſſas habet. Hinc Nicander ſcripſit:

Exiguæ ſimilis ſpectatur Dipſas Echidnæ,
Sed feſtina magis mors ictos occupat ægros,
Parua & lurida, cui circa vltima cauda nigreſcit.

AVICENNA dicit collum habere magnum, & tergum ad extremũ vſq; caudæ nigricans. Preterea eas in Libia & Syria habitare affirmat, quemadmodũ Galenus etiam XI. Simplicium ſcriptum reliquit, quòd eæ regiones aliis ſicciores ſint. Signa mortis, quæ à morſu mox apparent, ſunt magna ſiccitas & inflammatio, non internarum tantùm, ſed exter-


narum

narum quoque partium : quòd ob magnam veneni ſiccitatem accidit,quod nõ ſolũ per vniuerſum corpus iam eſt ſparſum , ſed facillimè etiam totũ ſanguinem in ſuam naturam conuertit,ita vt quamuis æger indeſinenter bibat, ſatiari tamen nequeat,vt Moyſes quoque in Deuteronomio annotauit. Interim enim dum venenum per corpus fertur, atq; vagatur,fit vt omnes meatus corporis exiccet, & adurat ita, vt eos in ſe inſtar membranæ vel corij ante ignem contrahi faciat. Meatus enim tam vrinæ,quæ ſudoris occluſi, aquã quæ tã intemperanter hauritur effluere prohibẽt, hincq; neceſſario ventrẽ vt exitus pateat, rumpi oportet. Hinc Ægyptij cũ ingentem ſitim ſignificare vellent, Dipſadem depingi curabant. Sed Nicander,vt elegãti & venuſta digreſſione poëma ſuum exornet, quod ſæpenumero poëtæ ſolent, rationẽ affert, quare ſerpentes quotannis (quemadmodum iam in principio huius libri oſtendimus) pellem exuant, & quã ob cauſam Dipſas eam vim habeat, vt tantam in ijs, quos percuſſit,ſitim excitare poſſit. Sic itaque ait: cùm Iupiter maior natu Saturni, hoc eſt, temporis filius, inter duos fratres minores natu hæreditatem diſtribuiſſet, & Neptuno mare, Plutoni verò infernum dediſſet; vt mortalibus pro regni ingreſſu congratularetur, eoſque quod odio proſecuti eſſent, furtumque Promethei detexiſſent, qui inſcio Ioue, ignem de cælo (vt 11. libro, oſtendetur) ſurripuerat, iuuentutis donum largitus eſt. Qui cùm feſſos ſe viderent, cumque amplius geſtare nollent, aſino impoſuerunt. Qui cùm iam magnum benè iter confeciſſet, ſiti æſtuabat, & prope fontem præteriens, Dipſadem cuſtodem illius conſpiciebat, eamque vt aquam haurire, ſitimque explere poſſet rogabat. Cuius voluntati antea obtemperare non voluit, quàm iuuentutem,qua aſinus onuſtus erat,ab eo obtinuiſſet,ita vt deinceps homines orbati iuuentutis dono,quod à Ioue acceperant,ſemper ſenio obnoxij fuerint,& ſerpentes quotannis ſenectam exuerint. Verum quidem eſt, Dipſadem ſitim ab aſino vna cum iuuentute accepiſſe, quo fit vt ij, quos offenderit ,idem morbi & ſymptomatis genus, quod à me iam fuit expoſitum, & ingenioſè à Lucano lib. IX. deſcribitur ſuſtineant. Eadem fabula ab Aeliano quoque ,libro VI. de Animalibus. cap. LI. recitatur. Lucianus etiam ex natura huius

huius ſerpentis, Dialogi, quem ad amicos mittit, ſcribēdi occaſionem deſumpſit, in quo egregiè & mores & naturam ipſius, & ſymptomata quæ morſum ipſius conſequuntur, tranſcriptis tamen omnibus, ex autore noſtro, quem allegat, deſcripſit. Quod verò ad Alexipharmaca attinet, cum his quæ ſuprà de Hæmorrhoo poſita ſunt, ſimilia eſſe debent.

DE NATRICE TERRESTRI.

CAP. XV.



Χερσύδρος, Cherſydrus. Natrix terreſtris.

DIVERSA Natricis terreſtris natura, in cauſa fuit, vt diuerſas quoque appellationes ſortiretur, nam propterea, quod tota hyeme & vere, in ſtagnis & paludibus commoratur, Græci hydrũ, hoc eſt, Aquatilem, & Latini natricem quaſi natatricem appellarunt. Deinde cùm calorem ſentit, ſtagna & paludes exiccantem, terram incolit, & tum cherſydrus, hoc eſt, natrix terreſtris, ob diuerſam, hoc eſt, & aqueam & terreſtrem naturam dicitur, id genus animantium Græci ἀμφίβια, quod partim in aquis, partim in terra degant, appellare conſueuerunt. Cùm autem in terra degit, ranis quibus veſcitur, bellum infert. Quam ob cauſam Aratus in Phænomenis ranas cibum Hydrarũ vocat. Forma terreſtrem aſpidem, de qua ſuperius locuti ſumus, repręſentat, præterquam quod ceruicem non ita latam habet: cinereo eſt colore, maculis, Virgilio teſte, inſignis, & quemadmodum dixi, partim in aqua, partim in terra degit, quod à Nicandro quoque obſeruatum eſt, & à Virgilio deinde, de verbo ad verbum quaſi his verſibus tranſcriptum:

Eſt etiam

Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squamea conuoluens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus aluum:
Qui dum amnes vlli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent vdo terræ, ac pluuialibus Auſtris,
Stagna colit: ripiſque habitans hic piſcibus atram
Improbus ingluuiem, raniſque loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terræque ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens
Sæuit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.

SYMPTOMATA porrò, quæ morſum ipſius comitantur, Nicandro teſte, primum eſt, extrema totius cutis ariditas, præcipuè verò eius, quæ quam maximè vicina eſt vulneri, idque ob venenum, per vniuerſum corpus ſparſum accidit. Cùm enim natura ſiccum ſit, exiccat, & cutim rumpit, è qua deinde ſanies putrida, & fœdi odoris, ortũ è ſanguine malitia veneni corrupto habens, profluit. Hinc vniuerſi corporis dolor vehementiſſimus, & igneſcens veluti, qui ægrum nunc in hac nunc illa parte miſerabiliter diuexat, oritur. In circuitu præterea vulneris tumor liuidus & fætidus ob extinctum calorem natiuũ apparet. Et quia à vaporibus malignis, à veneno ad caput vſque elatis humores liquantur, & extremam corruptionem ſuſtinent, hinc magna oculorum caligo, & bilis plus iuſto calefactæ, & per vniuerſum corpus delatæ, & in veneni naturam tranſmutatæ, vomitiones ſequuntur. Has inordinatæ totius corporis motiones, ex ægri inquietudine & intolerantia, cum magna omnium membrorum imbecillitate ortæ, excipiunt. Hęc ſymptomata omnia partim ab autore noſtro, qui præcipua tantũ attigit, partim ab Aetio, cap. de Cherſydro ſunt deſumpta. Ælianus lib. VIII. animalium ex Appollodoro refert, Cherſydri venenum ita pernicioſum eſſe, vt qui mortuũ tantũ attigerit, ſtatim interimat. Specialia autẽ aduerſus hanc feram remedia, quibus antiqui quoq; vtebantur ſunt origanum in mortario contuſum, & morſui impoſitum, lixiuium item cum oleo, vel ariſtolochiæ cortex, & theriaca extrinſecus adhibita, vel per os ſumpta, vel ariſtolochię drachmæ duæ, cum tribus generoſi vini vncijs. Vel marrubij ſuccus, & quædam alia, de quibus deinceps in capitibus vniuerſalibus agemus.

DE

DE SERPENTE IN VTRANQVE PARTEM REPENTE.

CAP. XVI.



Ἀ᾽μφισβαῖνα, Amphisbæna.

SErpens quem Græci & Latini ad ipſorum imitationem Amphisbænam vocarunt, à Gallis Doublemarcheur, vocabulo ex duobus cōpoſito, vt Græcũ quoque nomen, & quemadmodum de cherſydro diximus, appellari poteſt. Sic autem dicta eſt, quod nunc in hanc, nunc in illam partem, hoc eſt, & poſteriorem & anterionem repat. Magnitudine vermem terreſtrem æquat, nec è craſſa in tenuem abit, aliarum inſtar, ſed quemadmodum vermes æquali eſt craſſitie: Hinc factum eſt, vt qui, quo in loco caput eſſet, exactè diſtinguere non poterant, & ex vtraque progredi parte, ad modum nauigiorum, vtrinq; proram habentium eam viderant, bicipitem eſſe exiſtimauerint. Vnde etiam biceps, vt Lucanus aſſerit, dicta fuit. Quod tamen à veritate alienum eſt, quamuis Galenus ipſe idem in libro ſuo de theriaca ſcripſerit: Ná quemadmodum Ariſtoteles de generatione animalium refert, cauſa, ob quam ſerpens biceps aliquando viſus eſt, alia non eſt, quàm quod quandoq; natura monſtruoſè agit, præcipuè in animalibus, quæ vno partu plures fætus ædunt, & cum duo aut tria germina inuicem ſe contingunt, corpus cum multis capitibus, vel cruribus, vel alis procreabunt. Ex hac Ariſtotelis ſententia ſequitur, eum nequaquam duo capita ſerpentibus, niſi quatenus monſtruoſè, hoc eſt, præter naturæ inſtitutum, & communem conſuetudinem hoc accidit, attribuere. Sed redeamus ad noſtrum ſerpentem. Genas habet tàm latas, vt oculos abſcondant, itaque viſu orbatus videatur. Hinc Nicander inquit:

Cuius perpetua cæcum eſt caligine lumen,
Quod latas vtrinque genas, porrectaque menta


Plus alijs alta ſerpentibus aggere tendat.

PELLEM habet denſam & duram, varijs punctis diſtinctam. Colore eſt terreo, quem Greci φαιὸν, Latini pullum ſeu Beticum vel Hiſpanicum appellant. Hic color non omnino niger eſt, ſed ad nigrũ tamen propius accedit, quàm fuſcus.

Symptomata porrò, quæ Amphisbænæ morſum conſequũtur, non fuere deſcripta à Nicandro, propterea quod, vt Dioſcorides ſcriptum reliquit, ſimilia ſunt his, quæ in viperæ morſu contingũt, vel quia ictus illius tã exiguus eſt, vt muſcarum, vel tam parũ periculi affert, vt Aetius ſcripſit. Et hoc in loco multum inter ſe Aetius & Dioſcorides diſſentiunt: Nam ſi Amphisbænæ morſus, & ſymptomata, quæ eum ſequuntur, ſimilia ſunt his, quæ in viperæ morſu accidunt, nequaquã certè dicere oportet, ea ſimilia eſſe his quæ ex muſcarum ictibus oriuntur: nolim tamẽ accuſare illum, vt hunc defendam, neque enim credo Nicandrum in hac hiſtoria & ſequenti, etiam eius, quod in reliquis omnibus obſeruauit, data opera oblitum fuiſſe: Loco tamen deſcriptionis ſymptomatum, de proprietate quadam, qua corium ipſius pollet, nos admonet. Sub principium enim veris, cùm coloni ligna cædentes eam inueniũt, excoriant, & pelle ramum ſylueſtris oleæ, quam Nicander millies coronantem appellat, quod antiquitus in certaminibus & iuſtis olympicis, victores hac coronarentur, veſtiunt, eaque cum manus frigore torpidas habent vtũtur, cum enim aliquandiu tractant, breuiſſimo temporis ſpacio recaleſiunt. Et videtur ſanè Ælianus ad Nicandri verba, de huius pellis proprietate addidiſſe aliquid, nam vim habere fugandi ſerpentes ex Nicandri autoritate dicit, quod tamen ex verſibus ipſius elici non poteſt, niſi fortè Ælianus id in alio quodam Nicandri libro, qui ad nos nondum peruenerit, legerit. Quod reliquum eſt, Amphisbæna prima omnium, & antequã Cicadę canere incipiant, è cauerna ſua proſilit, vnde ſuſpicari licet, eam cæteris ſerpẽtibus calidius habere temperamentum. Cicadam porrò autor noſter nimium Vernalem appellat, quod antequam Ver adueniat, canere incipiat. Galenus porrò libro de Theriaca ait, ſi hanc feram mulier vterum ferens ſupergreſſa fuerit, abortum ſtatim facere, quod fit, (ſi tamen fieri credere fas eſt) ob vaporem venenoſum, ab huius ſerpentis corpore elatum, qui fætum

tum malignitate ſua,naturæ noſtræ infeſta,ſuffocat. Specialem denique huius ſerpentis curationis modum è capite de Vipera huc referri oportet.

DE SCYTALE. Cap. XVII.



Σκυτάλη, Scytale.

CVM Nicandrũ verterẽ, coactus fui retinere vocabulũ Græcũ Scytale: neq; enim Gallicè reddere potui, niſi linguæ iniuriã facere voluiſſem. Vocabulum etenim Græcum, quo manubrium cuiuſcunque generis inſtrumenti, quemadmodum aſciæ, vel alterius ſignificatur, Gallicè reddi ita non poterat, vt nulla relinqueretur ambiguitas: quam ob cauſam etiam vocabulum Græcum Scytale retinere malui. Sic autem dictus eſt hic ſerpens, quod magnitudine æqualis eſt baculo, in quo ligo inſeritur, vt Nicander aſſerit, cũ ita ſcribit:

Craßior, vt quantum ſolita eſt comprendere lignum
Curua manus ſtrictum quoties tenet ipſa ligonem.

LACEDEMONII olim eodem nomine, genus quoddam literarum ſecretiorum, quas ſuis Imperatoribus mittebant, & à nemine quàm ipſis ſolis intelligi volebãt, appellabant. Accipiebant autem chartam, eamq́ue in baculo ſecundum longitudinem inciſam, inuoluebant, & in ea quod bonum videbatur, ſcribebant, illis, ita vt explicata nihil præter certas quaſdam lineas oſtenderet, è qua ſcriptura nemo prę-ter Imperatorem, ad quem miſſa erat, quicquam vtilitatis capere poterat. Baculum enim habebat pari craſſitie, cum eo in quo ſcriptæ erant literæ, & chartam inuolutam tam concinnè cum eo adaptabat, vt facillimè quę intus ſcripta erant, lectione aſſequeretur. Et propterea quod epiſtola inſcripta erat baculo ſimili manubrio ligonis, vel alterius inſtrumẽti, ſcytale fuit appellata.

Scytale porrò in vniuerſum Amphisbænæ ſimilis eſt, niſi quod craſſior eſt,neq; vt hæc ex vtraque parte progreditur,in cęteris enim prorſus ſimiles ſunt,adeò vt non facile ſit diſcernere,iuxta vtram partem aut caput aut cauda ſita ſint. Verum quidem eſt, Amphisbænam,vt dixi, non ita craſſam eſſe,æquali etenim cùm vermibus terreſtribus, quos Poëtæ, veluti Nicander in Phiſiomerijs,quin imo Ariſtoteles ipſe in hiſtoria animalium, terræ inteſtina appellarunt,craſſitudine conſpiciuntur. Ioannes Lonicerus qui Nicandrum Latinè reddidit, & Petrus Gillius in appendice quadam in Ælianũ ſcripta, cum poëtæ noſtri mentem non ſatis aſſequeretur, ſcytalen craſſitudine manubrium ligonis, longitudine verò vermes terreſtres æquare, affirmat. Quod tamen Nicander minimè voluit, ſed cum Scytalen craſſiorem Amphisbæna eſſe propoſuiſſet, eam craſſitudine ligonis manubrium, Amphisbænam verò terreſtres vermes tãtum æquare dicit. Decepti itaque fuerunt,quod vocabulum Græcum ad Scytalẽ, non Amphisbænam referri debere crediderunt. Habet hæc ſerpens præ cæteris omnibus peculiare aliquid. Prima enim ex omnibus cubile ſuũ relinquit. Et exuuijs poſitis more reliquarum omnium, ad locum quendam ſibi familiarem ſecedit ſtatim, nec fœniculo,vt aliæ omnes, veſcitur, hinc factum exiſtimo, vt Latini eam Cæciliam, quaſi cæcam dicas, quod fœniculo abſtineat,ne viſum recuperet, appellauerint. Cæciliam tamen Typhlopem potius, quæ vulgari quoq; lingua Typhline dicitur,eſſe crediderim. Gillius libro citato, Scytalen cõtrà & è cauerna ſua exire, & fœniculo veſci aſſerit.Ex quo certè apparet,eum tam hunc, quàm alterum Nicandri locum perperam intellexiſſe: Expreſſe enim autor noſter,hanc illi præ reliquis omnibus proprietatem attribuit. Solinus & poſt hunc Odoardus Wottonus lib. VI. de differentia Animalium,Scytalen tanta tergi varietate præfulgere aſſerit,vt notarum gratia videntes retardet,& quoniam reptando pigrior eſt, paulatim appropinquet, eoſque offendat. Dioſcorides poſtremò eadem accidentia Scytalæ, quæ Viperæ morſum comitari ſcripſit, ideoque curandi rationem inde deſumendam eſſe.

DE

DE BASILISCO REGE SERPENTVM.

Cap. XVIII.



Βασιλίσκος, Baſiliſcus, Regulus.

Diversæ & admirandæ, quas varij Baſiliſco attribuunt autores, proprietates, in cauſa fuerunt, vt cogitarem hiſtoriam ipſius vel fabuloſam eſſe, aut ſcriptores ſaltem qui aliquid de eo commentati ſunt, vel literis prodiderunt vnquã, & oleum & operam perdidiſſe. Affirmare enim velle cum Galeno, in libro de Theriaca, Baſiliſcum oculorũ radio tantùm, & ſibilo ſimplici eos qui vel audiunt vel vident, vel ab eo cõſpiciuntur interimere: id profectò dubitandi anſam mihi præbet, tantũ etenim abeſt, vt qui hæc ſcribit, eum viderit, vt difficillimum ſit inuenire quenquam, qui verum hac in parte narrare poſſit, cùm ſi attentius contemplari eum vellet, ſubitò vel ob intuitum vel ob ſibilũ ipſius extingueretur. Galenus, etiam libro x. de medicamentis ſimplicibus, ſe eum nunquam vidiſſe fatetur, & hiſtoriam eius in dubium vocare videtur. Et profectò nõ minus à ratione alienum eſt, aſſerere eum ex antiqui galli ouo gigni, quemadmodum vulgus credit, aniles enim hæ ſunt fabulæ, & ex diametro cum rationibus naturalibus, vt egregiè Albertus Magnus ſcriptum reliquit, pugnant. Quæ fidem etiam mihi faciunt, hæc omnia eſſe falſa, taceo quod Nicander nullam prorſus de his mentionem facit, cùm tamen Poëtæ ſæpe numero opera ſua huiuſmodi fabulis locupletare ſoleant, id quod à poëta noſtro pluribus in locis ſedulò præſtitum fuiſſe vidimus. Neque propterea affirmare auſim, nullos omnino inueniri Baſiliſcos: Exiſtimo tamen minus pernicioſos eſſe, quàm vulgo habentur. Verum quidem eſt eos ex ſerpentibus venenoſiſſimos eſſe, imo ſerpentibus ipſis Nican-

dro teſte exitioſos, cum reliquos ſerpentes omnes, cùm vel ad paſtum accedunt, vel ab eo redeunt, cùm ſerpere baſiliſcum vident, ſubitò fugam dare, eique locum relinquere, affirmat. Ex ſibilo enim ipſius, & de præſentia ipſius & diſceſſu certi ſunt. Baſiliſcus porrò ſerpens eſt longitudine trium palmorum, corpore flauo, capite acuto, in quo tres habet eminentias, maculis ſubalbidis inſignitas, ad diadematis formam, ob quam etiam cauſam rex ſerpentum fuit dictus. Cùm progreditur anteriorem corporis partem in altum attollit, & erectus incedit, & in eundo poſteriore tantùm parte adiuuatur. Quam ob cauſam Ægyptij in Hieroglyphicis, cùm æternitatem denotare vellent, Baſiliſcum in columna, eleuato extremè capite, collocare conſueuerant. Tanta præterea veneni vi pollet, vt mortuum etiam, beſtiæ aut auiculæ, vbi fædum cadaueris odorem perceperunt, attingere non audeant. Quod ſi fortè aliquid de eo comederint, ſubitò moriuntur, imo idem contingit, (quemadmodum aliqui literis mandarunt) ſi de corpore quod ex ipſius morſu perijt, aliquid aſſumant. Aërem prætereà circumuicinum ita inficit (ſiquidem vera ſunt, quæ de eo ſcribuntur) vt inde & arbores & herbæ emoriantur, tam pernicioſus eſt & peſtifer. Refert Solinus, Pergamenſes, magnam pecuniæ ſummam pro baſiliſci cadauere numeraſſe, quod de ſumma Apollinis templi parte ſuſpenderunt, ne vel aues vel araneæ eò appropinquare poſſent. Scribunt quidam eum ſibilo ſolo animantia interficere, hinc Ægyptij in Hieroglyphicis eum depingere ſolebant, vt maledicum ſignificarent. Quemadmodum enim Baſiliſcus ſolo ſibilo, ita maledicus ſola voce interemit, quá ob cauſam Lucanus ita ſcripſit:

Sibilaque effundens cunctas terrentia peſtes,
Ante venena nocens, latè ſibi ſubmouet omne
Vulgus, & in vacua regnat Baſiliſcus arena.

ALIQVI porrò è ſcriptoribus non contenti ſcripſiſſe Baſiliſcum ſolo oculorum radio interimere, paulò vlterius ſunt progreſſi & affirmarunt, ſi quis eum baculo tantum cótrectet, veneni vim tam ſubitò, ita vt viſum quoque effugiat, ſecundum longitudinem ad manum vſque delabi, vt ſtatim

eam corrumpat,& putrefaciat. Hinc Lucanus ſcripſit:

Quid prodeſt miſeri Baſiliſcus cuſpide Mauri
Tranſactus? velox currit per tela venenum,
Inuaditque manum: ...

SCRIBVNT nonnulli, ſi equum Baſiliſcus attingat, non equum mori tantùm, ſed & eum qui inſidet, atque id tam facilè à Baſiliſco fieri poteſt, quam manuum & brachiorum torpor à torpedine induci, de quo in ſequentibus agemus. At qui ſagax natura, ne eiuſmodi peſtem abſque capitali inimico relinqueret, muſtelam creauit, quæ tanta vi aduerſus Baſiliſcum pollet, quanta ipſe contra homines, quod vero conſentaneum eſſe poteſt. Experientia quippe conſtat, leonem, quamuis vnus ex omni animantium genere maximè ſit audax & furioſus, timere tamen ſibi à gallo, qui tamen reſpectu illius imbecillis prorſus eſt, & reſiſtere minimè poteſt.

Sed accedamus tandem ad Symptomata, quæ Baſiliſci morſum comitari ſolent. Quorum primum eſt maxima totius corporis inflammatio, idque fit ob vehementem calorem per omnes venas & arterias ſparſum, & ſucceſſione quadam reliquis quoque membris communicatum, atque ita caro corrumpitur, putrefit,& fruſtulatim decidit. Eſt & aliud iuxta Eraſiſtratum ſymptoma, hoc eſt, quod plaga ſubaureo colore tingitur,ob ſanguinem mutatum in flauam bilem, cùm enim tenuiori ſui parte putreſcit, facile in eam conuertitur. Aliud præterea ab Aetio adijcitur, pilorum ſcilicet profluuium, quod contingit ob veneni quandam portionem, quæ eſt intra cutem & carnem, quæ ſua malignitate radices pillorum exedit, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt. Et vt ſummatim omnia complectar, tam ſubita mors ipſius morſum excipit, vt Aetius ipſe ſuperuacaneum exiſtimauerit, remedia aduerſus ipſum præſcribere, propterea quod tam repentina ſpirituum diſſolutione facta, fieri omnino nequeat vt opportunè remedijs occurratur. Verum quidem eſt, Eraſiſtratum imperaſſe, potum è drachma Caſtorij cum vino, vel papaueris liquore, ſed antequam finē huic capiti imponamus, notare oportet elegantiſſimū cognomē, quod coruo autor noſter tribuit, de natura illius deſumptū. Coruū itaq; cū pluuiæ adſunt, crocitare ait,


& poëtæ ſimili ratione coruos & cornices pluuię nuncias appellarunt, antequam enim pluat vehementius quàm aliàs crocitare ſolent, quod ab Arato his verſibus deſcriptum eſt.

Quandoque corui & crocitantes graculi
Futuram pluuiam pronunciant.

Et Virgilius in Georg.

Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpaciatur arena.

DE DRYINO, SEV QVERCVLO. CAP. XIX.



Δρυΐνος, Χέλυδρος, Dryinus, Chelydrus, Querculus.

DRYINO ſeu querculo nomen inditum eſt à quercubus, quod illi cum his perpetuæ intercedant inimicitiæ. A Gręcis Chelydrus etiam dicitur, quòd ſit cute aſpera admodum, quemadmodum chelone, hoc eſt, Teſtudo, hinc quod ſquámas habeat aſperas & rudes, dicta fuit. Hinc etiam Dryinus, quia tergum habet aſperrimis ſquammis obductum, Chelydrus dictus fuit. Latinè ſquarrus dici poſſet. Sic enim cutem callis plenã, qualis eſt Agricolarum, & aliorũ qui laboribus paulò vehementius ſunt addicti, appellãt. Alij hunc ſerpentem Hydrum vocarunt, hoc eſt, aquatilem, quẽ paulo antè natricem appellauimus, vel cherſydrum, quòd perpetuò ferè in vallibus, lacubus & locis paludoſis deliteſcat. Eſt autem Dryinus ſerpens longitudine duorum cubitorum, aut circa, corpore obeſo, & aſperrimis ſquammis, quem-

quemadmodum dixi, obducto, colore in tergo ſubatro, & qui magis ad nigrum accedit, caput habet cherſydro ęquale, latius culum tamen, & non ita acutum. Odorem verò tam fœtidum emittit; vt etſi quis eum non videat, de ipſius tamẽ præſentia certus eſſe poſſit. Fœtor talis ferè eſt, qualis à glutine, quod ex equinorũ tergorum præſegminibus, tum cum parantur vt corium ex ijs conficiatur, emanat, eleuatur, hoc eſt, poſteaquam iam diu ſtetit in loco humido, vbi varijs rebus permixtum, odorẽ tetrum acquiſiuit. Hinc opifex illud ſumit, extendit, & carnem putridam ferramẽto tereti abradit, & extremitates corij reſecat, quæ alioqui nullum præſtabant vſum, eaſque collam ſeu gluten appellat, propterea quòd, quemadmodum ego exiſtimo, ex his fruſtis reſectis gluten illud fortius, quo fabri lignarij vtuntur, conficitur. Propterea Nicander cùm de hoc ſerpente ſcribit, ita ait:

Grauis itaque à corpore fœtor,
Qualem dant madidæ, corij præſegmina, ſordes,
Quas tereti radunt ab equino tergore ferro.

Hinc Virgilius graues nidore Chelydros appellauit.

HELLESPONTVS autem his ſerpentibus abundat, qui tam malefica, parataque ad nocendum vi ſunt, vt calcati ſolùm, pedes hominis cute nudos relinquant: totiſque cruribus tumorem laxum, quem ædema vocant, copioſum excitent. Adhæc, quod multò magis eſt mirabile, tantus eſt huius maligni veneni feruor, vt ſi quis curationem adminiſtrare velit vitij, eius excoriari manus, etſi quis vlciſcendi ſtudio interimat, eum praue admodum olere, illoque ſuo fœtore omniũ aliorum odorum quantumuis præſtantium ſenſum auferre. Autor etiam noſter inter ſymptomata morſus ipſius primũ odorem ſuffocantem veluti eſſe dixit, qui in omnia membra ſeſe diffundit, quod fit ob veneni vim. Nam cùm ſubtile admodum ſit, & loci, vnde proficiſcitur, naturam ſeruet, facilimè per omnes corporis partes ferri ſolet. In circuitu deinde loci vitiati, ſanguis, qui ibi ob doloris vehemẽtiam collectus fuerat, vicinitate loci corruptus, tanquam putridus nigreſcit, & ſtatim etiam vniuerſam cutem in tumoris ambitu eodem colore tingit. Et quod magis eſt, mentis angor ægrum occupat, tam ob dolorem quem ſuſtinet, quàm quod veneni portio quædam cerebrum quoque obſedit. Deinde cutis quæ

anteà ſana erat, flaccida & arida veluti redditur. Quemadmodum ea quoque quæ eſt in circuitu loci vitiati, veneni malitia putreſcit, à quo quicquid tangitur, corrumpitur. Sed poſt hæc omnia quo venenum magis ſeſe immiſcet, hoc clarius ſigna futuræ mortis apparere incipiunt, vt eſt oculorum caligo, quæ fit ex imbecillitate naturæ ſuccumbentis & ſpirituum, qui iam titubare incipiunt, penuriam. Quidam ex illis alta voce clamant, & deinde cum flatu ventris vitam quoque amittunt, ob vehementem totius corporis ſiccitatem, è qua & veſicæ collum, & vrinæ ductus exiccati ita in anguſtum cõtrahuntur, vt nec flatus, nec vrina exire poſſint. Quæ ſigna omnia peculiarem veneni malignitatem cum vehementiſſima ſiccitate coniunctam liquidò demonſtrant. Sæpenumerò tamẽ accidit ob diuerſitatem tẽperaturarum, vt venenum liquefaciens humores corporis cõtrarium omnino agere videatur. Hinc Nicander antequam ſigna ſuprà poſita deſcriberet, ſic ait:


Torpenſque veternus
Ingruit & crebris quaſi ſingultibus ægri,
Nunc ſimilem felliuomitum, nunc ſanguinolentum
Eijciunt, ipſumque malum facit arida labra.
Poſtremoque grauem fundit per membra tremorem.

HVMORES itaque in capite fuſi, hominem ſomnolentum reddunt, & cùm inæqualiter ſpirituum vias obturant, vniuerſi corporis tremorem inducunt. Qui verò in ventriculo fuſi, hinc inde fluitant, quia eum implent, & irritant, ſingultum aut vomitum ſanguinolentum ſeu bilioſum excitant. Remedia porrò quæ huc faciunt eadem prorſus ſunt cum cherſydro.

DE

DE DRACONE

Cap. XX.



Δράκων, Draco,

VARIÆ ſunt ſpecies Draconum inter eos quos terreſtres appellamus, præter eum qui à mari marinus appellatus eſt. Quidam enim in montibus,quidá verò in paludibus degũt,& quandam inter ſe iuxta Philoſtratum diſſimilitudinem habent. Differunt præterea regionum,in quibus & geniti & educati fuerunt,varietate. Siquidem fidem adhibere poſſumus his quæ de Draconibus Lybicis & Indicis memoriæ prodita ſunt, quæ fabuloſa potius mihi quàm veriſimilia videntur. Quidam dicunt Draconem è lupa, quam aquilo cooperuit, naſci, & habere roſtrum & alas ſimiles aquilæ,caudam verò & pedes lupæ, tergumque varijs coloribus ſerpentis inſtar inſignitum. Sed nos veritati adhærentes, dicemus Draconem ſerpentem eſſe, triplici dentium in qualibet maxilla ordine, oculis magnis & tam acutè cernentibus, vt Poëtæ eos cuſtodes Theſaurorum conſtituerint. Sub mento duo magna palearia barbæ inſtar propendentia habent, felle tincta, hoc eſt, ruffa: bilis enim rubra eſt ſeu flaua. Verorum porrò Draconum duæ ſunt ſpecies.

Quidam

Quidam enim ex ijs alati ſunt, quidam verò abſque alis. In cæteris enim prorſus ſimiles ſunt. Os habent paruum, nec dum morſum inferunt, multum dilatatur, & paruum veluti canalem, per quem aërem attrahunt, linguamq́ue mouent, repræſentat: quo fit vt morſus illorũ non ita magnum dolorem excitet. Neque enim natura illis dentes dedit vt ſe defenderent, ſed caudam potius, quã cum aquila & elephante dimicarent. Vario ſunt colore. Alij enim ruffi ſunt, alij nigri, alij cinerei coloris, longitudine ſunt quinque vel decem etiam cubitorum, pro regionis varietate, è qua oriuntur. Imò narratur in India & Æthiopia Dracones longitudine triginta, & in Phrygia quadraginta cubitorum reperiri. Hi (inquiunt) ſquammis obſiti ſunt per totum corpus aſperrimis, hiante ſunt oris rictu, linguam habent longam, & dentes longos inſtar apri, quibus cum mordent, etiam oſſa corporis frangunt. Dracones autẽ Phrygiæ media æſtate è cauernis ſuis proſiliũt, & caudę extremo ini itentes ſe erigũt, & apertis faucibus, vi oris ſui halitus auiculas etiam altiſſimè præteruolitantes attrahunt. Scribunt inſuper quidam, eos integram ouem deuorare, oſſaque deinde, & reliqua nutritioni inepta foras eijcere. Crediderim tamen pleraque hæc, quemadmodum & plura alia, quæ ex illorum officina, qui anteà hæc literis mandarunt, profecta ſunt, à veritate aliena eſſe. Dracones autem, ſicut diximus, veneno carent, & aſpectu ſunt iucundiſſimo, & quod magis eſt è corpore illorum remedia quædam aduerſus morbos quoſdam, imò venena ipſa colliguntur: quo factum eſt vt Ethnici eos in ſummo honore haberent, & Æſculapio medicinæ inuentori (quem Nicander Pæonium, quod Apollinis, qui aliàs Pæon appellabatur, filius fuerit, vocat) conſecrarent, dicerentq́ue eos aliàs in monte Peletronio ab eo fuiſſe nutritos, quod ab autore quoque noſtro, & poſt eum à multis alijs Poëtis fuit annotatum. Quos tamen ab Æſculapio nutritos fuiſſe Dracones aiunt, ij iuxta Pauſaniæ ſententiam mitiores & benigniores ſunt, & in Epidauro tantùm oriuntur. E quibus vnus Romam, vt peſtem quæ eo tempore graſſabatur, profligaret, abductus fuit. Lucianus in Dialogo, quem Pſeudomanten inſcribit, artificioſè fraudes impoſtoris cuiuſdam enumerat, qui

qui cum Draconem ſe eadem natura præditum habere diceret, inſtar vatis cuiuſdam magni, adorari ſe patiebatur. Vbi notandum, quòd etſi Draco ſui natura minimè ſit exitioſus, talis tamen ob locum, in quo habitat, effici poteſt. Quod ita ſe habere in reliquis quoq; ſerpētibus animaduertimus, qui in regionibus frigidis minus certè pernicioſi ſunt, quàm calidis. Hinc Lucanus lib.IX.ita ſcribit.

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones
Peſtiferos ardens facit Africa.

DRACO alatus cum Aquila & Elephante, vt diximus, vt plurimum confligit. Prima pugna quæ cum Aquila committitur, eleganter ab autore noſtro eſt expreſſa, quemadmodum quæ cum Elephante à Plinio lib. 8. Sed nolo hîc tēpus terere in enumerandis ijs, quæ à Plutarcho & Aeliano de Draconum amore ſcripta ſunt, vbi vnum ex illis, (quemadmodum aſſerunt) in Iudæa puellam quandam amaſſe, alium Aetolidem, alium puellū Arcadicum, quem à latronum inſidijs liberauerat, alium denique Pindi cuiuſdā amore flagraſſe referūt, ne potius fictam quàm genuinam horum animantium naturam perſequi voluiſſe videar.

DE

DE SERPENTE MILIARI,

CAP. XXI.



Κεγχρίτης, Cenchrene, Miliaris.

MILIARIS ſerpẽs à Græcis Κεγχρίτης dicitur, quòd colore circa ventrem ſit viridi, miliumq́; plantam referat, vel quia, cùm milium floret exitioſior ſit. Nicãder Leonem appellat, quòd æquè ſit ferox & crudelis. Quidam etiam Iaculum vocarunt, propterea quod cùm damnum alicui inferre voluerit, in iaculi modum inuolat. A Iaculo tamen diſcrepat, vt ex duabus imaginibus, quas ex Petro Bellonio deſumpſimus, hucq́ue retulimus, quorum prima Miliarem, altera Iaculum repræſentat, videre licet. Hic ſerpens communiter cubitorum binum longitudine eſſe traditur, quamuis ſæpe numero & craſſitie & longitudine differat, corpore tota à craſſicie in exilitatem deſinit, & colore circa ventrem vt plurimum eſt viridi. Reliquum enim corpus varijs colori-

bus

bus eſt ornatum: quod Nicander ipſe teſtatur. Inuenitur præcipuè in Lemno inſula, in quá Vulcanus aufugiſſe, vt ferrum ibi elaboraret, à Poëtis fingitur. In inſula Samo quoque ſeu Samothracia frequens eſt. Ambæ autẽ ſitæ ſunt in mari Mediterraneo, Thraciam verſus è regione Reſcynthidis oppidi Iunoni ſacri, & fluuij Hebri, Zonæq́ue montis, antriq́ue Zerinthij, & quercus Oeagridę, quę ab Orpheo denominata eſt, quam dulcedine cantus ſui ad ſe pertraxerat. Quæ loca omnia in Thracia ſita ſunt, vicina (quemadmodum dixi) inſulæ Samo, ſeu Samothraciæ, in qua mons Moſichlus eſt, iuxta Græcum interpretẽ. Porrò accidentia, quæ miliaris morſum comitantur, eadem prorſus ſunt cum vipera, vt ſcriptum reliquit Ætius, ſed inter omnia autor noſter vnum præcipuè annotat, aquæ nimirum in ventre collectionem, quæ ob veneni facultatem accidit potiſſimum, quod humores liquat, eoſq́ue in aquam permutat. Et quia ſerpens hic perpetuò recto tramite incedit, vt Lucanus aſſerit, ruboſq́ue & ſpinas fugit, Nicander admonet, ſi fortè cui obuium ſeſe faciat, vt per viam obliquam ſeu tortuoſam & ramis opacam ſalutem procuret. Aliud quoque circa naturam huius peſtiferæ feræ obſeruauit, quòd nimirum cùm aliquem (ſiue homo ſit, ſiue bellua) attigit, eum cauda proſternere tentat, eoq́ue humi arctè comprehenſo, ſanguinem in ea thoracis parte, quæ eſt circa clauiculas exugit. Remedia partim cum viperæ morſu communia habet, partim etiam vulneri applicari poſſunt, qualis eſt Satureia, & ruta ſylueſtris in puluerem redactæ, & Saracenicæ radix, & Gentianæ per os ſumptæ. Iaculus poſtremò ſuprà expreſſus, longitudine eſt trium palmorum, & craſſitudine digiti minimi, colore eſt cinereo, qui tamen ad lacteum vergit, ſub ventre tamen totus candicat, & in vniuerſo corpore exiguis maculis, latis tamen, lenticulæ inſtar, quas circulus albus circundat, diſtinctus eſt. Morſus eius eodem modo, quo Miliaris curatur.

DE

DE STELLIONE. CAP. XXII.



Ἀσκάλαβος. Stellio.

STellio à Græcis ἀσκάλαβος vel ἀσκαλαβώτης ſeu, γαλεώτης à Latinis Stellio appellatur propterea quòd in dorſo maculas quaſdam paruas ſtellæ ſimiles habeat. Eſt autem hic ſerpens de genere lacertarum: de qua Ouid. lib. VII. Metamorph. eádem fabulam cum Nicandro noſtro deſcribens, cùm ſic ait:

Paruaque minor menſura lacerta eſt

Et paulò poſt.

Aptumque colori.

Nomen habet varijs ſtellatus corpore guttis

HIC porrò ſerpens rore & araneis tantum veſcitur, cum quibus perpetuò bellum gerit, quemadmodum Plinius refert. Hinc Andreas Matthiolus in doctiſſimis ſuis in Dioſcoridem commentarijs Stellionem eam lacertæ ſpeciem eſſe exiſtimauit, quam vulgus Italorum Terrantulam vocat, propterea quòd tota hyeme, vt & ſtelliones, in foraminibus domorum & ſepulchrorum antiquorum latitet. Menſibus enim quatuor frigidiſſimis Stelliones ſeſe abſcondunt. Et hinc qui venantur eos, eliciũt eos, vt cuticulã habere poſſint, quam, ſingulis annis, ſerpentum inſtar, exuunt, quam peculiari quadam vi aduerſus comitialem morbum pollere dicunt. Quamobrem tota æſtate inſidiæ illis ſtruuntur, vt de loco, in quo verſantur exactè conſtet, & commodius vere capi queant. Niſi enim hac ratione circumuenirentur, pellicula haberi non poſſet, quam exutam ſtatim deuorant. Hæc animalcula, quemadmodum Nicander ſcribit, in medijs Thraciæ inſulis, & Italia quoque ſecundum Ariſtotelem cõmorantur.

morantur. Morſus eorum exitioſiſſimus eſt, & naturali aſtutia, vt damnum nobis inferant, præditi ſunt, vt Plinius affirmat. Perpetuæ prætereà illis cum Scorpionibus ſunt inimicitiæ, ita vt morſibus quoque illorum medeantur, & contra, ſi quos ſtellio momorderit, illi aſſiduè dolent, & locus affectus liueſcit. Quorum ſymptomatum nulla ab autore noſtro facta eſt mentio, quòd ex ijs, quæ ſuprà de ſerpentibus ſcripſit facilè colligi queant. Poëtico tamen more ſtellionis ortum proſequitur, hoc modo. Ceres, cum Proſerpinæ filiam à Plutone raptam per vniuerſum orbem requireret, hoſpitio à quadam vetula in Celeæ domo fuit excepta, cui nomen erat Metaniræ, ſeu Menalippæ, quæ filium habebat Abantem, vt vult Græcus interpres, vel ſtellam, Ouidio teſte, qui cùm moleſtè ferret matrem Cererem in domum recepiſſe, ludribrio eam habet, & ſacrificia ipſius deridet. Vnde irata Ceres eum in ſtellionem conuertit. Vide Ouidium loco citato. Sed poſteaquam Nicander ſpeciatim de qualibet ſerpentum ſpecie diſſeruit, quarum morſus exitioſi ſunt, aliarum deinde meminit, quæ quia non ita ſunt noxiæ, nihil prætereà de ijs in medium affert. Quales ſint Elopes Lybiæque & Myagri ſic dictæ, quòd muribus veſcantur, & in capite lineas quaſdam albas, exiles, coronæ inſtar circumferant. Huc referendæ etiam ſunt, quæ cæcæ dicuntur, Typhlopes nimirum, ſeu Cæciliæ, & quæ à iaculo denominantur, & eæ quæ Moluri vocantur. Notandum tamen hic eſt apud Lucanum ſerpentis quoddam genus, quod Iaculum appellat, inueniri, quod arbores ſcandit, & iaculi inſtar in prætereuntes inuolat, vt eodem in loco affirmat. Sed Nicandrum aliter ſenſiſſe exiſtimo, nomen nimirum Iaculo à ſimilitudine potius, quam cum hoc armorum genere habet, inditum fuiſſe. Lucanum autem de Miliari verba feciſſe, & de quo paulò ſuprà locuti ſumus, quilibet facilè ſuſpicari poteſt. Nam à quibuſdam Iaculus appellatur, quòd in obuios tāto impetu & celeritate feratur, vt telum emiſſum referat. Aut certè is eſt, quem ex Petro Bellonio in medium protulimus. Non tamen ita nominibus immorari oportet, vt naturam deinde ignoremus. Plurimum enim autores in appellatione quorundam animalium variāt, quemadmodū Ælianus ipſe VIII.

libro ſcribit. Iaculum Cherſydrum, qui arbores petat, & ſæpenumerò in prætereuntes ſeſe præcipitet, eſſe.

DE ARANEIS SEV PHALANGIIS.

CAP. XXIII.



φάλαγξ, Phalangium. Αράχνη, Araneus.

QVAMVIS autor noſter plurima remedia propriè ad ſerpẽtum morſus facientia interpoſuerit, antequam de Phalangijs ſermonem inſtitueret: ne tamen orationis ſeriem, quam perſequi (quod ad animalia venenoſa pertinet) decreui, interturbare viderer, eorum explicationem hoc loco differre malui. Et quia poſt ſerpentes omnium, primò de Phalangijs loquitur, primum eorum naturam explicabimus, & deinde ad reliquas feras, eum, quem ipſe ordinem ſeruat ſecuti progrediemur, poſtremò de remedijs vniuerſalibus vtrorumque agemus. Phalangium igitur genus quoddam eſt aranei, cuius morſus periculoſus eſt. Nam inter araneos ij tantum qui morſu noxam inferunt, Phalangij nomen retinuerunt, quemadmodum Plinius ſcripſit, quamuis Ariſtoteles aliter diſtinxiſſe videatur. Nam ſub appellatione Aranei & Phalangij, tanquam de ſpeciebus vnius generis diſſerit: Imò Nicander ipſe Agroſten, qui muſcas & culi-
ces

ces venatur, inter Phalangia poſuit, cùm tamen morſum ipſius innoxium eſſe dicat. Ætius & Paulus Ægineta de araneo quodam venenato ſcribunt, quem alium à Phalangio eſſe dicunt. Quo fit vt exiſtimem, ſalua tamen Plinij autoritate, veteres quandoque indifferenter vtraque appellatione vſos fuiſſe. Nam ſi ſignificationem vocabuli Phalangij conſiderare voluerimus, inueniemus illud araneo tàm venenoſo, quàm non venenoſo poſſe attribui. Nomen autem ſortita ſunt à vocabulo quodam Græco, quod digitorum internodia denotat. Et quia Phalangium terna habet internodia in cruribus, quemadmodum nos in ſingulis digitis, nomen eiuſmodi illi eſt inditum. Non iniuria itaque aranei innoxij tam Phalangia dici poſſunt, quàm venenoſi. Sed vt hæc aliqua ex parte clariora fiant, vel vt lectorem admoneamus ſaltem de diſcrepantia quæ eſt inter Nicandrum, Ariſtotelem, Plinium & Ætium, quod ad araneorum ſeu phalangiorum diuerſa genera attinet, & appellationum varietatem, in quarum explicatione illis parùm conuenit: de ſingulorum opinionibus diſſeram, & quoad fieri poteſt in arctum contraham. Nicander itaque octo Phalangiorum genera conſtituit. Primum dicitur Rhox, quod & Rhagion vocatur, ſecundum Aſterion, quaſi ſtellatum dicas, tertium cyaneum, hoc eſt, cœruleum, quartum Agroſtes, ſpecie lupo ſimile, quintum Dyſderi vocant, ſeu Sphecęum, ſextum formicarium eſt, formicas referens, ſeptimum cantharides æmulatur, octauum cranocolaptes, quaſi caput feriens dicitur, quod in arbore Perſea inueniri ſcribit. Ariſtoteles lib. IX. de hiſtoria animalium araneorum & phalangiorum tria ſumma genera ſeu differentias ſtatuit. Primum in phalangium mordax, & in id quod Lyci, hoc eſt, lupi, nomen accepit, & poſtremo in araneum quem lautum appellat, diuidit. Mordax, inquit, in duo diſtinguitur, alterũ ſimile ijs, quæ lupos appellant, eſt paruum, varium, procax, Pulex nuncupatum. Alterum paulò maius priore, coloris nigri, cruribus prioribus nigris, tardum, ſeu lentè ambulans, nec viribus valens, neque ſaliens. Lupi etiam tria ſunt genera. Primum exiguum eſt quod non texit. Secundum maius eſt, & aſperam paruamque telam apud terram aut ſepes orditur. Tertium varium eſt, quod paucam vilemque telam

ſub arboribus facit. Tertium araneorum genus, quod ſapientiſſimum appellat in duo diſtinguitur: vnum maius, alterum minus eſt: ſed vtrunque aſperum ad venationem: id quod fit ratione telæ, quam eo modo qui ſequitur, ordiuntur. Primum quoquo verſus fila in orbem ad ſtellæ modum diſtendunt, ita vt ſingula affixa vel arboribus, vel muris vel ſepibus paulò altioribus obliqua ſint. Retexentes deinde hanc concatenationem, initio à medio accepto, ſeorſim in loco quodam foramen paruum veluti cubile quoddam ſibi reſeruant. Quo facto medium ipſi occupat, ibique prædam obſeruat, quæ vt plurimum muſca eſt, quæ ex improuiſo ſeſe in retia conijcit, & tam benè inuoluta eſt, vt cùm defendere ſe nequeat, ab ijs vel in repoſitorium geſtetur, vel ſtatim exugatur, præſertim ſi fame præmantur. Eſt prætereà hoc animaſculum multò cautius. Nam antequam venationem repetat, reſarcit prius id quod rumpi potuerat. Quòd ſi fortè noui aliquid percipit, in medium primum accurrit, & deinde ad locum in quo præda fixa manet, ſeſe confert. Qui longioribus ſunt cruribus, vt plurimum ſub telis commorantur, & ibi prædæ inhiant, ne forte muſcæ ob corporis magnitudinem deterreantur. Qui verò minores ſunt, ſupernè in quodam exiguo ſuæ telæ foramine, ſi quid incidat, obſeruant. Hæc Ariſtoteles ferè ita voluit Videamus iam quid Ætius dixerit qui omnino aliter de araneis venenatis diſſerit. Primum enim communi nomine Araneum vocat, alterum tetragnathum, quaſi dicas quatuor maxillas habentem, quem Phalangij ſpeciem eſſe ait, corpore ſubalbido, pedibus ſcabris, cui duo in capite prominent tubercula, alterum rectum, alterum latum, vt videatur ora quidem habere duo, & maxillas quatuor, & lineam per os æqualem. Capite autem ſequenti ſex genera recenſet: Primum ſcilicet quod Rhagium vocatur, figura rotunda, colore nigro, vuæ nigræ, acino ſimile, vnde & nomen accepit. Os habet ſub medio ventre, & pedes vtrinque breuiſſimos. Alterum Lupus eſt capitalis hoſtis muſcæ, corpus illi latum eſt, & rotundum ſeu flexibile, quæ circa collum partes ſunt, inciſuram habent, & circa os tubercula tria enaſcuntur. Tertium eſt Mirmecium, hoc eſt, Formicarium dictum, prægrandi formicæ ſimilimum: colore fuligi-

noſo

noſo atróue. Huius corpori inſerta ſunt quaſi aſtra, maximè verò circa dorſum. Quartum deinde Cranocolaptes eſt, oblongum, colore viridi, aculeum in collo geſtat, ferit eas maximè quæ circa caput ſunt partes, vnde etiam nomen eſt ſortitum. Quintum Sclerocephalum dictum, caput habet ſaxi duritie ſeu lapideum, & totius corporis lineamenta animalculis illis quæ lucernas circumuolant, ſimilia. Sextum Scolecium eſt, ſiue vermicularium, longiuſculum eſt, & maculis quibuſdam variegatum. Reliquum eſt vt de Plinio, qui ſua ex vtroque deſumpſiſſe videtur, verba faciamus. Loquitur autem de Phalangijs duobus præcipuè in locis, quorum prior eſt libro XI. poſterior. XXIX. Naturalis hiſtoriæ. Quæ autem libro XI. continentur, ea ex Ariſtotele de verbo ad verbum ferè ſunt deſumpta, & diuerſa prorſus ab ijs, quæ libro XXIX. ſcribit, cùm ita ait: E phalangijs vnum eſt ſimile formicæ, ſed multò maius, capite rufo, reliqua corporis parte nigra, albis intercurſantibus reſperſum guttis. Acerbior huius quàm veſpæ ictus. Æquè Phalangium Græci vocant inter genera araneorum, ſed lupi diſtinguunt nomine. Tertium genus eſt eodem phalangij nomine araneus, lanuginoſus, grandiſſimo capite, vocatur & Rhagios, acino nigro ſimilis, ore minimo ſub aluo, pedibus breuiſſimis tanquam imperfectis. Dolor à morſu eius qualis à Scorpione. Idem erat Aſterion, niſi diſtingueretur virgulis albis. Peior vtroque eſt cœruleus, à crabrone penna tantùm differens. Myrmecion capite formicæ ſimili, aluo nigra, guttis albis diſtinguentibus. Veſparum dolore torquet. Tetragnathi duo genera habent, peior medium caput diſtinguente linea alba, & tranſuerſum altera. At cinereus poſteriore parte candicans, lentior. Minimè autem noxius eodem colore, qui telas muſcis in parietibus latiſſimè pandit. Hæc itaque de verbo ad verbum è bonis autoribus ferè ſunt deſumpta. Reliquum eſt vt iam certi aliquid ex hac opinionum diuerſitate colligamus. Primum igitur genus, de quo Nicander loquitur, eſt Rhagion, nigræ vuæ acino ſimile, multos habens pedes, & os ſub medio ventre. In cuius deſcriptione & appellatione Ætius & Plinius cũ Nicandro idem ſentiunt, niſi quod Rhagium à Nicandro Rhox, & ab Æliano Rhax dicitur.

Quem crediderim facilè eum eſſe, quem Ariſtoteles mordacem, nigri coloris vocat. Secundum genus eſt Aſterion quaſi ſtellatum dicas. Maculis enim albis ad ſtellæ modum reſperſum habet corpus, quemadmodum iam diximus, quibus ſolis cognoſcitur, & à Rhagio diſtinguitur, Plinio teſte, qui hoc in loco cum Nicandro conſentit. Ætius huius planè nullam facit mentionem, quemadmodum etiam difficilimum eſt hæc ad Ariſtotelis deſcriptiones accommodare. Tertium eſt cæruleum lanugine horrida & nigra, Plinio autore, cruribus longiſſimis, hinc Nicander dixit, id vtrinque ſublime eſſe. Plinius duobus prioribus noxium eſſe magis aſſerit. Sed de hoc nec Ætius, nec Ariſtoteles quicquam literis prodiderũt. Quartũ venator eſt, propterea quod muſcas, culices & id genus parua animalcula venatur, Lupo ſimilis eſt, qui ſpecies eſt iuxta Nicandri interpretem muſcæ. Hunc ego eum quem Ariſtoteles Pulicem appellauit, eſſe exiſtimarim. Similem enim Lupo eſſe ait. Ætius ſimpliciter Lupum vocat, in quo certè decipere ſe ipſum potuit. Ariſtoteles etenim diſtinxit. Plinius etiam eodem nomine vocauit. Quintum Dyſderi à Nicandro dicitur, quo vocabulo nullus reliquorum autorum vſus eſt. Propriè enim Sphicion quaſi veſparium appellatur. Nam veſpæ ſimile eſt. Cuius deſcriptionem ſeu nomenclaturã nec apud Ariſtotelem, nec apud Plinium, nec Ætium inuenio. Sextum eſt Myrmecion, hoc eſt, formicarium, ſic dictum quòd formicam referat, collum eius rubet, reliquum verò corpus fuliginoſum eſt. Ætius addit eſſe aſtris veluti quibuſdam inſignitum pręſertim circa dorſum. Plinius idem ſentit, niſi quòd & Latina & Græca appellatione videtur abuſus fuiſſe. Primum ſiquidẽ Phalangij genus Formicarium appellat, & ita deſcribit: paulò deinde inferius, quatuor aut quinque lineis interpoſitis, aliud Myrmecion introducit, quod capite tantùm formicam repręſentet, non aliter diſtinguens à priore, niſi quòd vnius ictus exitioſior ſit quàm veſpæ, & quòd alterũ eundem dolorẽ excitet. Vocabulum tamen Myrmecion nil aliud quàm Formicarium ſignificat. Septimũ à Poëta noſtro nullo proprio nomine vocatur. Scarabeos tantùm repræſentare ait, & colore eſſe pulchro, & flammarũ æmulo. In campis inter ſegetes eſt, & à meſſoribus & venatoribus magna illorum copia reperitur.

tur. De quo Plinius lib. XVIII. loquitur. Naſcitur, inquit,& Phalangion in eruo, beſtiola aranei generis, ſi hyems aquoſa ſit. Quam tamen non video quomodo ad vnam è ſpeciebus, vel Ariſtotelis,vel Ætij referri poſſit. Inuenitur porrò aranei ſpecies quædam præcipuè circa Tarentum Apuliæ vrbem: vnde Tarantula nominata eſt. vt plurimum inter ſegetes & campos latitat, quemadmodum hic Nicandri araneus. Matthiolus admiranda & diuerſa in his qui læſi ſunt ab ea, ſymptomata enumerat. Quidam enim (inquit) perpetuò canunt,alij riſu diffundũtur, alij flent,alij clamitant,alij præmuntur ſomno, alij perpetuis vigilijs diſtrahuntur, alij vomunt, alij ſaltant, ſunt qui ſudent,tremant,obſtupeſcant,alij alijs doloribus crucientur,& delirantibus ſimiles efficiuntur, lunaticis item,& inſanientibus,& hęc omnia accidere, prout varia ſunt ſingulorum temperamenta. Atqui ſi hæc ſymptomata admiranda ſunt & inaudita quaſi, non minus curandi ratio admirationem quoque merebitur. Sola enim Muſica vim habet mulcendi hęc mala. Poſteaquam enim vſitata remedia,& Theriaca cum nonnullis fuerunt adhibita, & Muſica inſtrumenta audita, ſubitò malum ceſſat, & ſaltare incipiunt,idq́ue tandiu continuant,dum ſudore diffluant,& tãtum defatigentur,vt amplius nequeant. Quod dum ſit, veneni quædam portio per ſudores expellitur. Et quod maiori admiratione dignum eſt,ſublata Muſica antequam ſani ſint, morbus redintegraſcit,& iiſdem prorſus accidẽtibus,quibus anteà,moleſtantur. Propterea Muſicos mercede conductos habent,vt alter alteri perpetuò ſubſtitui poſſit. Octaui phalangij nulla facta eſt mentio à Nicandro. Quia tamen ait in arbore Perſea nutriri, conijcere poſſumus, id eſſe de quo Dioſcorides in deſcriptione illius arboris loquitur, & quod Cranocolapten vocat, propterea quòd prætereuntiũ capita maximè feriat,quæ primũ petit cùm ex arbore ſe præcipitat. Caput habet durum & ſiccum, quod tamen perpetuò cõtra terrã inclinare videtur,ventre eſt magno longiuſculo,colore viridi,aculeũ in collo geſtat,vt Ætius ſcriptũ reliquit. Nicãder eum Phaleuæ comparat, quæ genus quoddã eſt ſcarabei noctu circa lucernas circũuolitantis. Alas habet cineritias,ita vt ſi quis eam attingat plenus cinere eſſe videatur, colore eſt cinereo, hoc eſt, è viridi ad ſubobſcurum ſeu exanguem

vergente, qualia ſunt folia origani ſylueſtris. Ex quibus omnibus videre poſſumus, Ætium & Plinium, imò Ariſtotelem ipſum Phalangiorum ſpecies ſilentio præterijſſe eas, quæ à Nicandro deſcriptæ erant, & alias nouas adieciſſe. Auicenna certè promiſcuè, & nullo diſcrimine adhibito alias collegit, quibus certè tàm parum fidere oportet, vt qui certi aliquid inde elicere cogitat, ſeſe in chaos diuerſarum opinionum conijciat. Nihil dicam quàm temerè Matthiolus locutus fuerit, cùm affirmat ſingulas ſe Phalangiorum in Italia vidiſſe ſpecies, nec tamen primos autores quos allegat inter ſe cōciliat. Sed progrediamur ad accidentia, quæ morſum Phalangiorum comitari ſolent: id quod facilius explicabimus, ſi primum cognouerimus naturam huius veneni, non peculiari tantùm vi aduerſari nobis, ſed qualitate etiam frigida & ſicca, quemadmodum tota Medicorum Arabum ſchola ſcripſit. In ijs itaque quos Rhagion læſit plaga vix viſu deprehenditur: nam & ictus non ita magnus eſſe poteſt, quòd Phalangia omnia exilia ſint. Oculi & genæ rubeſcunt, quod ſignum eſt malignitatis veneni coniunctæ cum qualitatibus frigidis & ſiccis, quemadmodū dixi, ob quas horror vniuerſum corpus inuadit cum frigore, & conuulſione ſingularum ipſius partium, quod contingit non tantùm quia nerui frigiditatem veneni iam ſentiunt, ſed malitiam etiam, quo fit vt partes generationi deſtinatæ læſæ, & debilitatæ, ſemen effluere ſinãt. Ob hanc ipſam frigiditatem qui ab Aſterio læſi ſunt, ſtatim fremunt, & caput ſomno aggrauatum habent, & omnium neruorum & ligamentorum relaxationem patiuntur, & debilitatem. Cæruleum etiam vt pote omnium pernicioſiſſimum horrēda accidentia comites habet. Dolorem enim cordis inducit (quod commune eſſe diximus omnibus venenis quæ qualitate occulta ſunt exitioſa) & præter grauem ſoporem, vomitus araneorum textis ſimilium erumpit, idque fit ob venenum, quod humores corporis iam in ſuam naturam conuertit. Dyſderi autem præter accidentia ſuprà poſita ingentem in vulnere tumorem excitat, quia partem læſam grauis dolor moleſtat, qui ſanguinem eò attrahendo, eam in tumorem attollit. Myrmecion porrò eadem prorſus habet accidentia. Sed quod Scarabeos refert, linguæ impedimentum affert, ita vt ex-
act

actè ſermonem non explicet. Venenum etenim non linguæ tantùm, ſed pulmonibus etiam & gutturi, quæ ſunt vocis & pronunciationis inſtrumenta, iam communicatum eſt. Cranocolaptæ eadem propemodum accidentia eſſe poſſunt. Nam, quemadmodum Ætius refert, non differunt Phalangia, niſi ſecundum magis & minus. Dioſcorides adhuc alia quædam adiunxit, ruborem loci vitiati, ſudorem frigidum vniuerſi corporis, lachrymas inuoluntarias, & alia, quorum ratio ex his quæ diximus abundè reddi poteſt. Ætius item quædam adijcit, quæ qui videre voluerit, ea huc è proprio quod de phalangijs ſcripſit, capite, referat. Remedia ſpecialia, quibus Dioſcorides vti conſuluit, hæc ſunt: cinis nimirum ficulneus cum ſale & vino extrinſecus impoſitus: vel ariſtolochia cum hordei farina, & aceto ſubacta, & alia adhuc quædam, vt Mugil marinus diſſectus, & ſuperinductus. Remedia autem quæ vult per os ſumi debere, alia ſunt, duæ drachmæ ſeminis abrotoni, aut aniſi, aut cumini Æthiopici, cum decem vini vncijs epotæ. Sed plura quis inueniet in capitibus, vbi ex profeſſo de remedijs vniuerſalibus agemus?

DE SCORPIONIBVS. CAP. XXIIII.



Σκόρπιος, Scorpius.

IN principio huius libri fabulam, hoc eſt, primam Scorpionum originem iuxta Poëtas attigimus: reliquum eſt vt de natura ipſorum & ſpeciebus diuerſis, quarũ apud veteres ſit mentio, & de quibus autor noſter præcipuè egit, diſſeramus. Scorpio itaque animal eſt ex eorum genere, quę inſecta appellantur (quemadmodum ſuprà docuimus) in cauda vnus inter inſecta longo armatur aculeo. Vtrinque quinque brachia biſulcis dentata forcipibus habet. Corpus ouorum ſpecie, caudam longam ad formam rotularum precariarum, quarum vltima reliquis grandior eſt, & longiuſcula, in cuius extremitate aculeus concauus, imò quandoque duo ſunt, quibus ferit & venenum in vulnus ab ictu ſuo illatum effundit. Pedes anteriores multò maiores reliquis habet, & cancri pedibus ſimiles ſunt. Sunt autem Scorpionum, Nicandro teſte, genera octo diuerſa, vel nouem iuxta nonnullos, quæ etſi diuerſa accidentia inducant, quemadmodum dicemus, in nullo tamen diſcrepare videntur, niſi quòd aliqui diuerſis coloribus ſunt præditi, aliqui verò ſimilitudinem quandam cum cancris habent. Primùm itaque albicat, & vt Nicander aſſerit, minimè lethale eſt. Secundum

eſt ore

eſt ore rufeſcente : tertium nigreſcit. Quartum colore eſt ad viride inclinante. Quintum liuido, pallidóue colore eſt, amplo ventre, diſtentoq́ue : nam eſt inexplebili. Sextum marino cancro litorali ſimile eſt, quod genus eſt piſcis marini rotundi, & ſine cauda, anteriores duos pedes ad forcipis modum habens, quemadmodum de Scorpionibus diximus. Quando itaque autor noſter Scorpionis ſpeciem quandam Cancro ſimilem eſſe ait, non propterea abſque cauda eſſe voluit, ſed quòd cæteris rotundus magis ſit, & eodem cum cancro colore. Quemadmodum etiam, cùm de ſeptimo genere loquitur, quod Paguro comparat, qui ſpecies eſt cancri, qui teſta integitur dura, valida, & horrida ob appendices quaſdam acutas : in quo ſimile illi eſſe ait. Aſſerit præterea ſi in marino littore Pagurus moriatur, hoc genus Scorpionis ex eo gigni. De qua re Ouidius cecinit.

Concaua littoreo ſi demas brachia cancro,
Cætera ſupponas terræ : de parte ſepulta
Scorpius exibit, caudaq́ue minabitur vnca.

OCTAVVM genus Melichloron eſt, à colore melleo dictum, ſummæ caudæ nodus in hoc genere niger eſt : alas habet locuſtæ ſimiles. Ælianus in Ægypto reperiri, & geminos habere aculeos ſcribit. Imò Strabo ipſe alarũ opera eos nunc hanc, nunc aliam regionem petere affirmat. Ælianus nouem Scorpionum genera, quæ ſingula inter ſe differũt, conſtituit, quæ tamen meo iudicio confundit, non intelligens ſcilicet Nicandri locum. Nam è viridi & vẽtricoſo duas facit diſtinctas ſpecies : autor verò noſter vnam tantùm, præterea diſtinguit alatos ab ijs, quos flammeos appellat, qui flaui ſeu rufi ſunt, hos Nicander igneo colore eſſe dicit. E ſcorpionibus porrò mares omnium ſunt pernicioſiſſimi, maximè, qui ſeptem habent in cauda internodia vermium inſtar, hoc eſt, plurima, numero certo pro incerto ſumpto. Græci etiam numero nouenario ſæpenumerò pro pluribus vtuntur. Ictus autem ipſorum exitioſiſſimus eſt in feruentiſſimis æſtibus, ſeu æſtate, & cùm fame premuntur, quod omnibus animalibus venenoſis commune eſt, quemadmodum iam in principio huius libri annotauimus. Quibus ita conſideratis, veniendum nunc eſt ad ſymptomata, & curandi modum. Accidentia autem quandoque,

doque, vt ex Nicandro colligere licet, ob ſcorpionum varietatem ſunt diſſimilia. Dioſcorides tamen, & qui eum ſunt ſecuti deinde, minimè diſtinxerunt, ſed generatim de ijs ſunt locuti. Sed quia autor noſter ſpeciatim de ijs agit, imitabimur illum quantum eius fieri poteſt. Albicans itaque omnino innocuus eſt, & minimè exitioſus. Ruffus contrà cùm virus ſuum effudit, ita humores corporis commouet, vt irritati ob continuum motum inficiantur, & maligna quadá putredine corripiantur, & accidentia ſimilia febri ardenti inducant, quæ hoc pernicioſiora & vehementiora ſunt, quo cauſa horrenda magis eſt, & lethalis. Nam hic facultas illa ſpecifica, & occulta malignitas plus virium profectò habet, quàm qualitas manifeſta, quæ cùm frigida ſit (quemadmodum à principio diximus, cùm vocabulum grandinoſum explicaremus) maximum tremorem in corpore excitat, perinde ac ſi quis à grãdine percuſſus eſſet. Comitatur præterea ipſos neruorum retractio, vnde riſus Sardonius vulgò dictus ſubſequitur, hoc eſt, coactus, qui fit quòd nerui ſeſe ad ſuum principium retrahunt. Hæc ab ictu nigri & viridis potiſſimũ euenire conſueuerunt, quorum poſterior reliquis omnibus exitioſior eſt ob caudam quam longiorem habet. Pallidus aliquid peculiare præ cæteris habet: nam ictum inferendo mordet etiam, quòd natura ſit inexplebilis. Qui verò cancros & paguros referunt, & ſplendeſcente ſunt colore, eadem quæ alij accidentia inducunt, aut ſaltem Poëta noſter nõ diſtinxit, niſi quòd flauos maiorem in loco vitiato dolorem relinquere, & infantibus potius, quàm ætate prouectis inſidiari magis ſcribit. Hæc itaque Nicander de ſingulis ſpeciebus literis mandauit. Alij porrò autores in genere alia quædam inſuper accidentia enumerãt, veluti duritiem & ruborem plagæ, mutationem caloris in frigus, & è bono in peiorẽ ſtatum, ſudorem, flatus infra erumpentes, erectionem pilorum, colorem pallidum vniuerſi corporis, tumorem inguinum, ſordes circa oculos glutinoſas, lachrymas viſcoſas, duritiẽ articulorũ, ani procidẽtiam, ſpumam ex ore prodeuntẽ, largas vomitiones, ſingultus, cõuulſiones opiſtothonicis ſimiles, & alia quædã, de quibus Dioſcorides præcipuè, & Aetius locis iã citatis ſunt locuti. Inter remedia aũt ſpecialia ſcorpio ſibi ipſe pulcherrimum medicamentum eſt, contritus, & ſuper

per vulnus impoſitus, quemadmodum pilus rabioſi canis morſui ab ipſo illato impoſitus excellens eſt remedium, vt vulgò ſcribitur & creditur, id quod fit, Dioſcoride teſte, ob cæcam quandam naturarũ diſcordiam, quæ ἀντιπάθεια à Græcis appellatur. Prętereà ſcorpio tritus & impoſitus cum ſale, & lini ſemine, & althæa, conuenit. Sulphur item ignem non expertum, reſina terebinthina exceptum, & emplaſtri modo ſuperinductum, & quam plurima alia remedia. Poſthæc cõſulit, vt quis per os aſſumat binas Ariſtolochiæ drachmas cum vino, & in finita alia quorum paſſim in ſuis libris meminit.

DE MVSCIS. CAP. XXV.



Μυῖα, Muſca.

MVSCÆ vocabulum in lingua Gallica generale eſt, ita vt omnia inſectorũ genera ſub ſe cõplectatur, quæ eadem cũ muſca noſtra parua domeſtica, æſtate frequenti, forma ſunt prædita. Multa autem ſunt muſcarũ genera: aliæ enim dome-

domeſticæ ſunt, quarum nulla à nobis hîc fit mentio. Quædam ſunt peregrinæ, & ex his nonnullæ officioſæ & operariæ, quæ vnà volant, & fauos & loculamenta, ſeu cellas in quibus habitent, extruunt. Quædã ſunt vagabundæ & ocioſæ. Ariſtoteles ſingulas proprijs nominibus diſtinxit, id quod in lingua noſtra Gallica hactenus nõ eſt factũ. Habemus tamen quædã nomina, quæ non ineptè pro Græcis & Latinis appellationibus antiquis vſurpari queũt. Ex ijs enim quas officioſas & operarias appellari diximus, præcipuas, & quæ maximè ſunt vtiles, & mel cõficiunt, vt apes, & fucos, habemus, quæ tamẽ nõ omnino ſunt vnius generis. Aliquæ enim corpulentia, nonnullæ colore inter ſe differũt, imò quædã Reginæ & Duces dicũtur, quòd reliquis pulchriores & grandiores ſint. Quædã poſtremò ex illis prorſus ſunt inutiles. Neq; enim mel conficiũt, & imperfectæ veluti habẽtur, quòd aculeo careãt. Mel etiam aliarũ abſumunt, et ſi à reliquis deprehendũtur, pœnas luunt, & in exiliũ ablegantur, quemadmodum Ælianus libro primo memoriæ prodidit. Quod tamen non omnes faciunt: quædã etenim ex ijs Reginis & Ducibus potum ſubminiſtrãt, & ſenio confectis etiam, quæ ad eorum cuſtodiã ſunt deſtinatæ. Officioſæ porrò ſunt veſpę, & teredines, quæ adhuc nullũ in lingua noſtra proprium vocabulum ſunt ſortita, crabrones item vagabundæ ſunt & deſides, aſyli, fuci, ſcarabei, & quędã alię, de quibus plura loqui non eſt neceſſe. Neq; enim inſtitutum noſtrũ eſt loqui de generibus muſcarũ. In quo certè Ariſtoteles & Plinius multum operæ poſuerunt, quæ omnia Edoardus Wottonus in libris ſuis de differẽtijs animaliũ in vnũ coëgit. Columella etiam copioſè lib. IX. de Agricultura, de generibus apum diſputauit. Vt tamen nihil eorũ, quæ Poëta noſter ſcripſit, ſilentio prætereamus, de ortu & generatione apũ & veſparũ agam. Columella plurimas opiniones, ſed Poëticas omnes, adducit. Prima eſt, cũ ait mulierẽ quandã iuuenem à Ioue in Apem cõuerſam, altera, quod ortũ duxiſſe è crabronibus & Sole refert, & quod Iouem in cauerna Dictęa, aluerint. Alij Poëtæ, vt Nicander, & poſt hunc Virgilius, apes è cadauere vituli, vel tauri gigni ſcripſerunt. Eſt autem Poëtæ noſtri locus in alexipharmacis.

Quin & Hymettidum opus tere commiſceque volucrum
Quæ procumbentis nemoroſa in valle iuuencæ

E *putrido*

E putrido fiunt vegetata cadauere proles:
Namq́ue caua hic primum poſuére cubilia quercu.


Virgilius modũ volens oſtẽdere colligẽdi alueos in deffectu muſcarũ, li.4.Geor. quomodo parari debeat cadauer vituli, vel tauri docet. Veſpæ ortus ſui principia ducũt ex equi cadauere, quẽadmodũ Poëta noſter in Theriacis ſcriptũ reliquit.

Mox aliud grauius genus eſt, dyſderi vocare
Sphecæumq́ue ſolent rutilo quod fulget honore,
Crudiiuræque ſua ſimilatur imagine veſpæ,
Quæ fortis ſpectatur equi non languida proles,
Nam quia equi veſpas edunt examina tauri.

ÆLIANVS lib.1. ſcribit eas equũ è quo generantur celeritate æquare. Variãt tamẽ hac in re ſcriptores. Quidã enim apes parere negãt, ſed ex floribus quibuſdã deportare fœturã exiſtimant. Aliqui contrariũ affirmant, eaſq́; parere dicũt, & mares nõ cõficere mel, & à Latinis fucos (nos muſcas deſides & ocioſas appellare poſſumus) dici, mareſq́; eſſe fucos, fœminas verò apes eſſe contendũt. Aliqui porrò adhuc nõ cõtenti, fucos Regis & Duces procreare, & apes fucos progignere aſſerũt. Quicquid tamẽ ſit, quantũ nobis hac in parte ſcire neceſſe eſt, ſat eſt vt intelligamus apũ, veſparũ, crabronũ, fucorũ & teredinũ, quod vltimũ genus æſtrũ eſſe exiſtimo, aculeum vehementiſſimũ inferre dolorẽ: quod certè fieri non poſſet, niſi aliquid malignitatis, quæ tamẽ lethalis nõ eſt, in ijs latitaret. Nemo enim adhuc inuentus eſt, qui è muſcæ ictu perierit. Accidentia porrò quæ hũc comitari ſolẽt, ſunt, vehementiſſimus dolor, rubor partiũ propinquarũ, & tumor. Quę duo poſtrema dolorẽ cauſam habẽt. Rarò etenim cõtigit, vt vbi dolor, ibi nõ etiam rubor & tumor ſit. Sęuiora tamẽ multò & intentiora omnia in veſpæ morſu ſũt. Hinc Ælianus eas tãta malitia eſſe dixit, vt in viperã, quã mortuã cõſpexerint inuolẽt, aculeumq́; veneno imbuãt, & hinc inquit, homines diſciplinam, non eam quidẽ bonam, veneno inficiẽdi ſagittas habuiſſe videntur. Apis tamẽ hoc præ cæteris peculiare habet, quod pungẽdo aculeũ ſuum in vulnere relinquit, & ita perit, cũ abſq́; eo viuere nequeat. Quãobrem Poëta noſter aculeũ api & vitã prębere, & mortẽ ait. Remedia autẽ propria & ſpecialia aduerſus hunc dolorem ſunt malua, farina hordeacea ex aceto ad cataplaſmatis modum impoſita. Lac item ficulneum vulneri inſtillatũ, & fotus ex aqua marina, aut muria.

Ætius ſigillo quodam Necromantico vtitur, quod parum curare oportet, cùm remedia & faciliora & tutiora nobis ſuppetant. Et mirari profectò non ſatis poſſum, hominem tam doctum tales ineptias, indignas tanto philoſopho, & medico tam perito, auſum fuiſſe ſcribere.

DE SCOLOPENDRA, ET IVLO. CAP. XXVI.



Σκολοπένδρα, Scolopendra. ἴουλος, Iulus.

DVo habemus genera Scolopendræ, terreſtre vnum, alterũ marinum, vtrunque autẽ inter inſecta animalia referri poteſt. Neque multũ inter ſe differunt, niſi quod terreſtres maiores ſunt marinis, & diuerſo ſunt inuicem colore. Vtraque tamen vermem longum repræſentat. & pedes multos habet atque piloſos, vnde Millepedæ ſæpè vocantur, ingreſſu ex vtraque corporis parte mouetur. Hinc aliqui eam duo capita habere exiſtimarunt. Hinc Nicander etiam bicipitem appellauit, eamq́ue naui, quod pedes vtrinq; ex ordine collocatos, remorum inſtar habeat, comparauit, cũ ita ait:


quid item diſſecta caput ſcolopendra,
Quæ ſua ſic, quando prorepit, brachia profert,
Vt properans nauis pellentes æquora remos.

Quam opinionem adhuc magis confirmat, quod ex vtraq; anteriore

anteriore nimirum & poſteriore parte morſu ſuo noxia eſt, & ſi pars aliqua à reliquo corpore abſcindatur, in vtrunque ſe mouet exrremum. Eſt prætereà genus quoddam ſcolopendræ, quæ à veteribus Ophioctona, quòd ſerpentes interficiat, dicta eſt. Scolopēdra marina terreſtri ſimilis eſt, vt iam diximus, colore tamen magis rubro eſt, pedumque numero terreſtrem ſuperat, & fit magna & parua, prout vel parum vel multum ſe extendit, quemadmodum vermes terreſtres, cruribus etiam eſt gracilioribus. Sed mira de ea referuntur. Nam vbi hamum deuorarit, euomit foras interanea ſua, donec hamum eijciat, & quamuis diſcerpta ſint, eadem tamen qua antea ſanitate viget. Saliua humana ipſis non minus quá ſerpentibus exitioſa eſt. Eas enim, ſi humano ſputo madefiant, rumpi Ælianus memoriæ prodidit. Vtraque autem venenoſa eſt, magis tamen marina: neque enim ore tantùm, ſed tactu etiam totius corporis mordet, & in parte vitiata pruriginis & feruoris, qualem vrtica mouet, ſenſum inducit. Iulus autem paruus eſt vermis, Scolopendræ non prorſus abſimilis, ita vt quidam & Scolopendras ipſas Iulos vocarint, minor tamen eſt, & non minus pernicioſus. Scolopendra autem, potiſſimú verò ea quæ Ophioctona dicitur, tāta veneni pernicie pollet, vt à morſu partes vicinæ etiam putredine inficiantur, atque liueſcant. Locus affectus non nunquam ruber apparet, plenuſque eſt ſordibus, in tumorem attollitur, & vix magno labore curatur. Plagæ igitur imponi debet ſal bene tritus ex aceto, vel ruta ſylueſtris, & fouendus locus muria. Potui verò dabitur ariſtolochia cum vino, aut ſylueſtris ruta, aut mentha, aut abſinthium. Et hoc modo curari debet morſus Iuli. Iulus.

DE MVRE ARANEO.

Cap. XXVII.



Μυγάλη, Mus Araneus.

MVs Araneus à Græcis μυγάλη, & quemadmodum Columella lib. VI. cap. XVII. ſcripſit, Scytale etiam appellatur. Quod nomen illi eſt inditum cùm magnitudine æqualis ſit muri, & colore ſimilis ſit muſtelæ. Animal eſt ore oblongo: roſtri porcini ſimilitudine, cauda parua, dentes habet exiguos, & vtraque maxilla duplici ordine digeſtos Indeque fit vt à Mure Araneo morſi facilimè dignoſcantur. Quadruplici nanq; ordine morſus impreſſio cernitur. Hoc animal plerunque teſtes impetere ſolet, non hominis modò, ſed etiam aliorum animalium. Cæcus à Nicandro traditur, indeque non tranſire rotarum orbitam, quod & Plinius affirmat cum Æliano. Quod Matthiolus fabuloſum exiſtimat, quamuis crediderim eum non vidiſſe, cùm dicat eum picturam mutuò ſumpſiſſe à quodam. Vnde miror profectò, cur hos autores abſque vlla ratione in medium adducta mendacij eccuſare audeat. Scholiaſtes Græcus, ex opinione cuiuſdam Amyntæ murem araneum è fele & mure generari ſcribit. Quod omnino à veritate alienum videtur. Quantum enim hæc duo animalia ſibi inuicem ſint contraria, effectus facilè oſtendunt. Atque ſecundum deſcriptiones quas ſuprà è veteribus deſumpſimus, omnino hoc animal parum à talpa differre videtur. Cæca enim eſt, magnitudine muri æqualis, neque multum à muſtela differt.

fert. Crebrum in Anglia inueniri quidam ſcripſerunt, nunquam tamen memini me videre, & facilè patior, vt mare non tranſeat, negociumque nobis in Gallia faceſſat. Etſi enim dentes habeat admodum exiles, veneni tamen non eſt expers, ſed pernicioſſimus, vt ex accidentibus, quæ mouere ſolet, conſtat. Deſcripta autem ſunt à Dioſcoride ad hunc ferè modum: A mure araneo percuſſis, circa morſum inflammatio exoritur, puſtulæ item nigræ, humore ſanioſo turgidæ. Propinquæ partes omnes putreſcunt, & diſruptis puſtulis, vlcus cancro nõ diſſimile oritur. Præterea inteſtinorum tormina etiam comitantur, vrinæ ſuppreſſio, & vt Ætius ſcriptũ reliquit, corruptio & putrefactio. Nam venenum ipſius putredinem infert. Remedia ſimilia debent eſſe ijs, quæ ſuprà de Sepedone poſita ſunt. Specialiter tamen applicari poteſt, vbi prius locum vitiatum ſcarificaueris, mus araneus ipſe ex aceto tritus: Vel lauri foliorum tenerorum drachma vna, aut duæ, cum vino mixtæ per os aſſumi poſſunt. Infinita alia & ſpecialia quidem ſunt, quæ à Dioſcoride & Ætio fuerũt deſcripta. Et qui curioſius illa inueſtigare voluerit, ad illos recurrat.

DE SEPE LACERTÆ SPECIE. CAP. XXVIII.



Σήψ, Seps.

TRactationem de hoc Lacertę genere decimo tertio huius libri capiti inſeruimus & duo Sepedonis genera reperiri oſtẽdimus, vnum inmirum quod pedibus caret, alterum quod quaternos habet. Lacertus autem generali vocabulo omnia ſerpentum genera, quæ pedes habent, ap-

 pella-

pellamus. Neq; enim vni tantum beſtiæ conuenit, ſed quam plurimis alijs, quæ & magnitudine, colore, craſſitie denique & natura inter ſe diſcrepant. Hic porrò Seps lacerta Chalcidica etiam vocatur, propterea quod dorſum maculis colore æs repræſentantibus inſignitum habeat. Quam ob cauſam quandoque ſimpliciter Chalcides dicitur. Hæc lacerta ex omnibus eſt perniciociſſima, quemadmodum & è Poëta noſtro & Dioſcoride, qui eam in potu ſumptam morſui eius mederi ſcripſit, colligere licet. Non tamen legi, cuius generis ſymptomata moueat: exiſtimauerim tamen ea non multum differre ab ijs, quæ ſuprà de Sepedone ſunt commemorata. Quare eò recurrere oportet.

DE SALAMANDRA. CAP. XXIX.



Σαλαμάνδρα, Salamandra.

SALAMANDRA celebris admodum fuit ſub imperio Franciſci Regis potentiſſimi, quam ipſe pro ſymbolo ſibi delegerat Fama tamen ſolum & nomine, non aliter pleriſq; cognita fuit. Picturæ enim omnes quæ hactenus fuerunt oſtenſæ, tam veræ Salamandræ, quàm aſinus equo reſpondent. Quod facilè ex ea quam hîc appoſuimus effigie, eam à Matthiolo mutuatus, quod aliunde nanciſci non poſſem, cú hoc opus

opus prælo ſubijcerem, ſi quis eam cum noſtra comparare velit, iudicare licet. Memini tamen me videre vnam in hac vrbe, quæ omnino huic ſimilis erat, & membris non ita diſtincta, corpore limoſiſſimo, & limaces magnos cineritios, qui aliquando in cellis vinarijs inueniuntur, referebat. Sed lacertæ ſpecies Salamandra eſt, cute aſpera atque ſcabra, animal graue, tardiſſimum, punctis veluti ſtellis, Plinio teſte, variegatum. Ob quam cauſam plane neſcio, neq; enim vel hęc, vel aliæ ad hunc modum formatæ erant. Nihil gignit hoc animal, niſi tempore maximè pluuio, & tota æſtate, & cùm cælum eſt ſerenum, tota item hyeme ob ingentia frigora latitat. Non generatur à ſuo ſimili, ſed quemadmodú innumera alia animalia, è terræ limo pocreatur. Qui limus deinde ita ſeſe in cutem inſinuat, vt longiſſimo tempore in igne illæſa conſiſtere poſſit, antequam ab eo abſumatur. Nam ſi longiore ſpacio ſit admota, exuritur, quod experientia ſæpenumerò eſt animaduerſum, cùm explorare quidam vellent, num Ariſtotelis ſententia vera eſſet. Ariſtoteles enim Poëtas hac in parte ſuperans, eam igne minimè comburi, ſed hunc potius ſua frigiditate extingui palàm aſſeruit. Ælianus idem ſcripſit, ſecutus Ariſtotelis opinionem potius, quàm experientiam, cuius periculum facere potuiſſet. Hominibus porrò Salamandra eſt infeſtiſſima, neque enim morſu tantùm eos interimit, ſed ſaliua etiam quæ alba eſt ſeu lactea, herbas, poma & alia, quibus veſcimur, ita veneno inficit, vt qui ea aſſumunt, ſubitò moriantur. Aquas etiam, ſi fortè in puteos, aut fontes, ſeu ciſternas ceciderit, inficit. Et vt ſummatim omnia complectar, venefici paſtillos ex ea peſtiferos conficiunt, de quibus Nicander in Alexipharmacis ſcripſit, remediaque, quibus huic malo ſuccurri poſſit, appoſuit. Depingit autem Salamandram in hunc modum:

Sin tibi ſumma malæ nocuére venena lacertæ,
Nempe emittentis liquidum ſuccum Salamandræ,
Cui nullus poterit fumúſue ignîſue nocere.

VENENVM itaque Salamandræ tàm morſu, quàm hauſtu tota ſua ſubſtantia naturæ noſtræ aduerſatur, quam ob cauſam minime operæpretium videtur diutius immo-

rari, in inueſtigatione cauſæ accidentium ex mixtione quatuor primarum qualitatum, vel facultate ex ijs reſultante, quod Auicenna fecit. Poëta itaque noſter ſcribit eos, quos Salamandra percuſſit, comitari primùm maximam internarum oris partium inflammationem, cum animi deliquio, frigus item, & tremorem in omnibus partibus externis, grauem ſaporem denique, & ſenſuum priuationem, quorum omnium ſæpè ſuprà à nobis reddita eſt ratio. Defert vnà ſecum etiam hoc venenũ tam malignam putredinem, vt particulæ corporis humidiores, & eæ etiam, in quas ſeſe inſinuat, liueſcant primùm, & deinde ob extinctionem caloris natiui victæ putreſcant, & ſaniem fætidiſſimam excernant. Talis erit pars illa, cui maligna hæc fera vulnus inflixerit, ob veneni enim per totum corpus effuſi communicationem, eadem accidentia quæ in homine qui venenum hauſit, contingunt. Hac enim ſua malignitate innata corporis particulas arrodit, & exulcerat ob maximam, quam à temperamento ſuo obtinet caliditatem. Plinius aliud adhuc ſymptoma adiunxit, defluuium nimirum pilorum à toto corpore, quod tàm ratione veneni, quàm olei in quo Salamandra, quæ Dioſcoride teſte, pilos euellendi vim habet, liquefacta fuit, fieri exiſtimauerim. Remedia autem horum omnium ſimilia ſunt ijs, quibus ijs qui à cantharidibus læſi ſunt, de quibus copioſè libro ſecundo agemus, medemur. Specialia tamen remedia quædam, quæ naturaliter Salamandræ aduerſari videntur, à Poëta noſtro in alexipharmacis deſcripta ſunt. Quorum bona pars vim habet digerendi, & reſoluendi humores craſſos, qui ſopori & tremori cauſam præbent. E quorum numero eſt reſina pini, cum melle mixta, quam Nicander labores pingues Tenthrenis appellat. Huc etiam facit Iua Arthetica, aliàs Chamæpitys, ſeu pinus terreſtris dicta, quod folia & odorem pinus habeat. Oportet autem eam cum nucleis pineis contercre. Vrticæ item ſemen & orobi, vel vrtica cum oleo & farina elixa, vel galbani radix. Teſtudinis denique marinæ, vel terreſtris oua elixa, quibus admiſceri poterit caro porcina quoque, quæ vim habet mitigandi ardorem in inteſtinis excitatum. Ta-

lis etiam eſt antidotus propriè ita dicta, quæ partim cum veneno, partim natura noſtra communicat, vt primo capite ſecundi libri noſtri demonſtrabimus. Antidotus autem conficitur è ranis elixis, eryngij radice adiuncta & Scammonio: quæ vbi non ſuppetit, Auicenna eius loco Theriaca, vel Mithridato vti iubet. Quæ remedia omnia de verbo ad verbum, è Dioſcoride, qui ea à Nicandro vt pleraque alia, quæ in libro ſexto continentur, deſumpſit, tranſſcripta ſunt. Quo in loco Gorrhæus optimè Dioſcoridis textum emendauit in capite de Salamandra, cùm ſcribit folia vrticæ cum oleo & lilijs eſſe elixanda. Neque .n. de lilijs, ſed farina Poëta noſter locutus eſt. Sed huic errori cauſam præbuit maxima duorum vocabulorum ſimilitudo Græcorum, quorum vnum lilium, alterum farinam ſignificat. Vnica enim tantùm litera inter ſe diſtant, quæ facilimè imprudentia ſeu ignorantia ſcribæ prætermitti potuit. Poſſem hîc ſyluam remediorum, quibus veteres vſi ſunt, inſerere, niſi hæc ſufficere exiſtimarem. Fabulam tamen explicabo, cuius Nicander obiter meminit, quod ad inuentionem teſtudinis inſtrumenti Muſici attinet. Sic itaque habet. Mercurius cùm adhuc puer eſſet, & ob hoc Innocens diceretur, fortè fortuna in teſtudinem incidit, quam cepit, & omnem quæ in mammis continebatur carnem exemit, & duo brachia alligauit, quæ Nicander cubitos appellauit, quòd ad formam cubiti incuruata eſſent. Quo facto ſeptem cordas addit, & inſtrumentum quod proximè ad teſtudinem accederet efficit, quod deinde fratri ſuo Apollini dono dedit. Sic itaque teſtudini vocem, quæ anteà muta fuerat, tribuit, vt Poëta noſter affirmat. Alij dicunt eum occaſionem conficiendi huius inſtrumenti è teſta teſtudinis accepiſſe, quam mortuam inuenerit, carnibus omnino ſpoliatam, quæ præter neruos nihil reliquum habebat, qui ſonum aliquem laxiores facti reddiderint, eique anſam dederint vlterius progrediendi, & chordas etiam addendi. Quæ fabula copioſè deſcripta eſt ab Homero in hymno Mercurij, ab Hygino item, & Luciano in Dialogo de Dijs. Allegatur inſuper à quam pluri-

mis Poëtis, & eam me obiter attingere memini, in hymno quem de teſtudine compoſui, ad hunc modum.


Magnus Deorum nuncius
Facundus nepos Atlantis
Mercurius, qui ſolum ſe iactat
Patrem induſtriorum
Teſtudinis harmoniam inuenit
In monte Arcadico,
Quam loco remunerationis donauit
Fratri ſuo Delio.
Et ipſe primus optimè nouit
Ludere facunda lyra,
Carminis concentum faciens
Cum diuerſis ſonis.

Et paulò pòſt, ad teſtudinem ſermonem inſtituens.

Si facis, dicam
Quomodo ex teſta nuda
Nigræ teſtudinis
Effigies tua fuit deſumpta.

HÆC itaque, quod ad intellectum Nicandri verſuum attinet in alexipharmacis, dicta ſufficiant. Eſt & alia beſtia venenata, quam Salamandram aquatilem vocant, propter eà quòd vt plurimum in ſtagnorum ripis & fontibus habitat, è quibus aliquãdo in terram proſilit. Corporis ſpecie lacertam refert, niſi quòd capite eſt latiore paulò, oris rictu ſimili ranæ, cauda acuta & longa, quemadmodum doctiſſimus Rondeletius eam in libris ſuis de piſcibus ad viuum expreſſit, vbi dicit huius animalis venenum vires habere longè imbecilliores, quàm Salamandræ terreſtris, & euidentiſſimis, maximeque neceſſarijs rationibus demonſtrat, hanc non eſſe Scincum, vt plurimi Pharmacopularum exiſtimarunt.

DE MVRÆNA. CAP. XXX.



Μύραινα, Muræna.

ANIMALIA venenoſa non in ſyluis tantum, & ſpecubus vt viatoribus inſidientur, latitant: ſed in profundiſſimis etiam maris gurgitibus inueniuntur, vt homines nimium curioſos quandoque puniant, qui non contenti ijs bonis, quæ terra ſuppeditat naturæ, vt ita dicam, vim inferunt, quæ etſi terram firmauerit, eamque tam horribili elemento, mari ſcilicet, velut muro quodam cinxerit, tranſeunt tamen, vt ſurripiant id, quod voluit eſſe ocultum. Quæ cùm præuidiſſet, inter quàm plurimos piſces venenoſos etiam procreauit, vt hoc modo de ijs pœnas ſumat qui eos quærunt, quales ſunt muræna, paſtinaca, draco marinus, torpedo (de qua mox dicetur) & lepus marinus, de quo in ſecundo libro diſſeram. Eſt autem Muræna piſcis marinus, corporis habitu lámpetræ, vel anguillæ affinis: magnitudine tamen ſuperat & latior eſt, & ſciſſura oris maiore. Superiore maxilla aquilina, in cuius extremo ſunt duæ apophyſes breues, vel verrucæ. Dentes habet longos, acutiſſimos, in os recuruos, oculos albos & rotundos. Colore eſt fuſco, vnde κελαινὴν, hoc eſt, nigram eam vocauit Oppianus, cute eſt molli & læui, albicantibus maculis reſperſa, dorſo cultellato, ad duorum cubitorum longitudinem accedit. Pinnis, quibus natare poſſit, caret. Propterea corpore eſt longo à natura facta, quo in mari ita vtitur, vt ſerpentes terra, quales ſunt anguillæ, lampetræ, & ſerpentes aquatiles, quæ in terra etiam velut aliæ terreſtres repunt. Mas ipſius ab Ariſtotele de hiſtoria animalium Smyrus dicitur, & vtriuſque diſcrimen oſtenditur. Marem non ita varium, vt fœminam, & pauciores habere maculas ſcribit, robuſtum præterea, & colore pino arbori ſimilem eſſe ſcribit, eique dentes ineſſe intrinſecus & extrinſecus. Corpore eſt longo, quemadmodum Rondeletius ſcripſit, nigricante, tenui, rotundo, ſine maculis, ſine ſquammis, roſtro acuto, ſerpenti magis ſimilis quàm murænæ. Hinc vulgus murænas cum ſerpentibus congredi credidit, quod Plinio fabuloſum videtur, cùm tamen ſæpè delectetur in ſcribendis fabulis. Athenæus quoque ex Andrea quodam murænas ex vipera genitas morſu interficere ſcribit. Quo fit, vt hic aliter etiam ſenſiſſe in libro, quem de beſtijs venenatis ſcripſit,

videatur. Prætereà Soſtratem huic ſententiæ aſtipulari ſcribit, & Nicădri verſus in Theriacis adducit in hunc modum.

Prætereà quæcunque ſuis mare fluctibus ambit
Nouimus, inter quæ cautæ mirabile factum
Murænæ eſt, quòd ſæpè cito viuaria lapſu
Deſerat, atrocique petens audacula morſu
Voluat in æquoreas piſcantem è naue procellas
Fama eſt, ſi modò vera, quòd hæc ſua paſcua linquat,
Atque eat in ſiccum, cogente libidine, littus
Et cum vipereo coiens ſerpente grauetur.

ÆLIANVS lib. I. de animalibus, Poëtam noſtrum imitatus, Murænam in aridum progredi, & viperæ latibulum quærere, ad eamque intrare ſcripſit. Quæ fabula eleganter ab Oppiano libro I. de piſcibus eſt deſcripta, his verſibus:

Quæ muræna facit non fama obſcura feruntur,
Serpenti nubit, promteque ex æquore ſaltat
In littus, petit à cupido cupidos hymenæos:
Ardet amans ſerpens, & multo exæſtuat igne,
Concitus in rabiem furibundus quærit amores,
Et curuum ſubitò ſaxum ſpeculatur, & omne
Lethiferum ponit virus, quod geſtat in atris
Dentibus, & bilem ſaxo deponit amaram,
Vt tædas capiat tranquillo pectore mites,
Littore conſiſtens horrendum ſibilat ore,
Concubitusque petit: ſubitò muræna profundo
Excita voce furens, ruit ocyor illa ſagitta:
Ex terra ſerpens ponti deſcendit in æſtum:
In Venerem prompti gaudent complexibus ambo,
Serpentis caput ore tenens, ſtat ſponſa proterui
Sic ambo tædis læti: muræna profundum
Deſilit in pelagus, ſerpens per littora reptans
Omiſſum repetit virus, quod dentibus atris
Fuderat: at bilem nigram ſi fortè viator
Iecerit in pontum, iactat per littora corpus,
Et non ſperata clauduntur lumina morte.
Priuatus ſerpens armis, quibus ipſe putabat
Se fortem, & tanto ſerpentis nomine dignum,
Et vitam, & tetrum perdit prope ſaxa venenum.

HÆC tamen ab vtroq;, hoc eſt, & Nicandro & Oppiano

Poëtico

Poëtico more deſcribuntur, in quo ad communem vulgi opinionem quàm proximè accedunt, cui vt gratificentur, ſæpenumerò fabulas ſuis Poëmatibus intermiſcent. Scholiaſtes Grçcus ſcribit Archelaum ita exiſtimaſſe, Andream verò affirmaſſe id falſum eſſe ex loco Athenæi, quem adduxerat è libro, qui inſcribitur. De his quæ falsò creduntur. Hinc exiſtimo eundem autorem ex vulgi opinione hæc ſcripſiſſe in libro de animalibus venenoſis. Porrò Muræna in alto mari & circa littorum ſaxa viuit, circa fluuiorum quoque oſtia verſatur. Antiqui eam maximè in cibo commendabant, non tantum quòd guſtui grata, ſed quòd tam viuida etiam eſſet, vt longiſſimo tempore in viuario & piſcina aſſeruari poſſet, & cùm vſus neceſſitas incidit, ad manum haberi. Legimus Hircium ſex millia reſeruaſſe, quæ deinde Cæſari dono dedit. Præterea facilè nobis domeſticæ & familiares redduntur: teſtimonio ſunt Craſſi & Antonij Murænæ. Paulius Iouius in lib. de piſcibus Romanis, Murænam quæ in aqua dulci verſatur, Lampetram eſſe ait. Cui quidam hac in parte aſſentiri nolunt. Poſſem hoc in loco innumera veterum autorum teſtimonia de Murænarum ſaporis præcellentia, & quibus in locis optimæ reperirentur, in medium proferre, ſed malitiam ipſius potius, quàm bonitatem detegere decreui. Capitali odio congrum & polypum proſequitur. Hanc pugnam luculenter expreſſit Oppianus libro ſecundo de piſcibus, è quo Ælianus deinde ſua deſumpſit. Tàm præterea viuax eſt & furioſa, vt capta ſæpenumerò euadat, & piſcatores in aquam inſilire cogat. Quandoque canum more in rabiem agi, & eadem accidentia quæ vipera excitare à quibuſdam traditur: quam ob cauſam etiam iiſdem remedijs curari debet. Smyri denique morſus pernicioſiſſimus eſt. Remedio eſt caput ipſius abſciſſum, & in cinerem redactum, plagæque impoſitum.

DE


DE PASTINACA. CAP. XXXI.



Τρυγών, Paſtinaca.

PASTINACA varias diuerſis in locis ſignificationes eſt ſortita. Vulgus Gallorum Raiam vocat, quòd ad eam quàm proximè accedat. Græci Τρυγόνα, Latini Paſtinacam appellant, quod nomen ego quoque retinui. Piſcis eſt planus, latus, cartilaginoſus, læuis, ſine ſquammis aculeiſque præterquam in cauda, in qua aculeum habet acutũ, vtrinque ſerratum, vel ſciſſuras ſerræ habentem. Caudam habet longiſſimam, & læuiſſimam, quæ ſemper ab extremo in tenuitatem deſinit, quemadmodũ ſoricis vel muris, hinc Flandri ſua lingua, ſoticis vel muris caudam vocant. Aculeus è medio caudæ procedit, quo in loco maxima eſt, dentes caput verſus reflectuntur, qui quo propiores ſunt caudæ, eò maiores ſunt. Et hæc ſola pars venenoſa eſt: qua abſciſſa reliqua omnia abſque periculo comeduntur. Eius autem duæ ſunt ſpecies, quarum altera ſuperius eſt expreſſa, altera verò hanc habet formam.

SECVNDA



SECVNDA à prima nõ differt, niſi quòd caput à reliquo corpore magis ſeparatũ habet, & rubetam in hoc æmulatur propè. Prima enim habet caput intrò ſub coſtis retractum, alterius verò coſtæ, quàm proximè accedunt ad alas auium. Quam ob cauſam Romani & Neapolitani eam aquilam appellarunt, diuerſam tamen ab ea quæ à latinis Aquila fuit dicta, & radium non habet. Mirabile quid de hoc piſce Oppianus refert, quòd nimirum nunquam cibum capiat, niſi prius animal aliquod, vel alterius generis piſcem læſerit, vnde facilè coniectura aſſequi licet, eum præda viuere, & vt celeritatem, quam natura illi denegauit, ſuppleat, ex occulto latrocinatur, & radio ſuo, quo loco gladij vtitur, velociſſima quæque maris animalia intercipit, & remoratur. Ælianus ſcribit Paſtinacam non aptam tantum eſſe ad natandum, ſed volandum etiam, & mirificè Muſica delectari, adeò vt piſcatores cantu eam ad ſummam aquam alliciant, eamque hac ratione facilius capiant. Saltatione præterea mirum in modum delectari affirmat. Quæ fabuloſè ab eo ſcribi mihi videntur, cùm multa eiuſmodi colligat, non vt quiſquam ea vera eſſe ſemper exiſtimet, ſed vt vitæ noſtræ exemplum aliquod proponat: quemadmodum hoc in loco voluptatem, & delitias interitus noſtri cauſas ſæpe numero eſſe ſcribit. Nullus porrò ex omnibus qui de hoc piſce quicquam literis prodiderunt autoribus eſt, qui non de radij ipſius extrema

mali-

malignitate verba fecerit. Hinc Oppianus.

Nil tam peſtiferum ſæuo, nil vulnere maius
Trygonio, quæcunque viri mauortia tela
Sunt fabricata manu, vel dura incude polita,
Spiculaque à Perſis nigro ſint tincta veneno,
Nec tales faciunt plagas, nec vulnera tanta:
Trygonis eſt viuæ quantum horreſcenda ſagitta.

PLINIVS nihil vſquam execrabilius, quàm radium ſuper caudá paſtinacæ eminentem eſſe ait. Ælianus item ictú ipſius tam exitioſum eſſe aſſerit, vt plaga nullam prorſus curationem recipiat: in quo tamen decipitur. Remedia enim, quemadmodum deinceps dicemus, quæ peculiariter hic proficiunt, abundè ſuppetunt, quorum certè alioqui, ſiquidé ictus tàm peſtifer eſſet, nulla facta fuiſſet mentio. Hic porrò aculeus, non tantùm dum viua adhuc eſt paſtinaca, tanta veneni vi pollet, ſed abſciſſus etiam non modò hominibus & alijs animalibus, ſed quod maiore admiratione dignum eſt, arboribus etiam & plantis infeſtiſſimus eſt. Nam ſi arboris trunco fortè infigitur, perit, vt Nicander & qui eum ſecutus eſt Oppianus ſcripſerunt, quorum poſterior tamen, ea quæ ad malignitatem huius aculei, & Vlyſſis obitum pertinent, amplificauit. Homerus etiam narrat Vlyſſem, cùm poſt excidium Troiæ domum redire cogitaret, tempeſtate actum in Italia appuliſſe: quo in loco à Circe venefica hoſpitio fuit exceptus, è qua grauida filium Telegonum ſuſcepit. Qui cùm, vt Oppianus refert, patris Vlyſſis, qui in patriam reuerſus fuerat, videndi deſiderio flagraret, à matre haſtili in abitu donatus fuit, in cuius ſummitate Paſtinacæ aculeus infixus erat. Qui cùm in Græciam appuliſſet, accidit vt fortè fortuna in patris ſui armenta incideret, & cùm ea abigere vellet pater accurrés vt greges defenderet, à Telegono, à quo non cognoſcebatur, haſtili vulnus accepit, è quo perijt. Lycophron Poëta Græcus antiquiſſimus Caſſandram loquentem, & hoc genus mortis Vlyſſi prædicentem introducit his verſibus.


κτενεῖ δὲ τύψας πλευρὰ λοίγιος στόνυξ
κέντρῳ δυσαλθὴς ἔλλοπος Ζαρδωνικῆς. id eſt:

OCCIDET autem (Vlyſſem ſcilicet) haſtile pernicioſum, aculeo præpilatum ægrè curabili piſcis venenati, vulnere

nere coſtis impacto. Hæc itaque ad explicationem fabulæ à Poëta noſtro adductæ neceſſaria dictu viſa ſunt. Reliquum eſt vt accidentia quæ huius aculei ictum tota ſua natura inimicum, comitantur, enumeremus. Speciali etenim & innata quadam malitia partes putredine abſumit, quibus ſeſe infigit, grauiſſimos excitat dolores, neruorum retractionem & tremorem inducit, laſſitudinem præterea & corporis imbecillitatem affert, animi item deliquium percuſſos comitatur, obmuteſcunt, & oculi caligant. Partes etiam in ambitu vulneris denigrantur, & ita obſtupeſcunt, vt tangentem non ſentiant. Hinc ſi quis eas premat, atra ſanies, craſſa & malè olens excernitur, ob cauſam quam ſuprà de Aſpide, Vipera, Sepedone, & alijs iam adduximus. Remedia denique cum viperæ morſu communia habet. Peculiariter tamen proficit illa ipſa diſſecta, vulnerique impoſita, vel leporis, aut capræ, vel hœdi coagulum drachmæ pondere per os aſſumptum. Rondeletius ſanaſſe ſe quendam recenſet, iecore paſtinacæ & aculeo in cinerem redactis, & ex aceto commixtis, vulnerique impoſitis.

DE VIVIO, SEV DRACONE MARINO.

CAP. XXXII.



Δράκων θαλάσσιος, Draco Marinus, Viuius.

PISCIS quem vulgò Viuium appellamus hoc nomen à viuacitate adeptus eſt. E mari etenim protractus, & extra aquam longiſſimo tempore viuit, & tanta eſt agilitate, vt in littore ſcrobes effodiat, & in media arena ſe condat. Græci ſimilitudine oculorum, quos cum Dracone eoſdem

eoſdem ferè habet, conſiderata, Draconem marinum vocarunt. Nitiobriges vt plurimum, & Maſſilienſes, Plinianam vocem ſeruantes, araneum appellant. Galliæ ob vſum & cómoditatem quam in cibis præſtat, familiaris eſt. Præ cæteris enim piſcibus, quòd carne ſit ſolida, & grata guſtui deſideratur. Qui in Oceano capitur, longitudine vt plurimum octo aut nouem pollices æquat, & quandoque plures. Qui verò in Mediterraneo, rarò dimidij pedis longitudinem excedit. Nihil tamen omnino differt ab eo quo Lutetiæ vtimur. Capite ſunt ſatis magno, maxilla inferiore reſpectu ſuperioris longiſſima & latiſſima, binas ſub ceruice alas, & totidem vtrinque in lateribus habent. Per dorſi medium & ventris aculeos habent ad caudam ſpectantes, tenui membrana cónexos: priores tamen quatuor, aut quinque acutiſſimi ſunt, & à ſe inuicem diſtincti: quintus tenuiſſimus eſt, nec multum in dorſo prominet. Quartus paulò longior eſt, tres verò poſtremi eadem ſunt magnitudine ferè, niſi, quòd qui in medio eſt, reliquos parum ſuperat. Cæteri omnes tàm ſuperiores quàm inferiores, lineam à branchijs ad caudam ductam habent, quæ dorſum à lateribus & ventre videtur diſtinguere, vt profectò fit, idque ob coloris varietatem: quicquid enim ſub linea continetur, magis ruffum eſt, & colore cæruleo partim, partim aureo diſtinctum: ſupra verò candidum, vtrunque tamen paruis ſquammis retectũ. Oculos habent vireſcentes, lapidem lazuli colore repræſentantes, & maximè ſurſum ſpectantes. Eſt autem marinus draco ex eorum numero piſcium, quorum aculei venenati ſunt, id quod multi damno ſuo ſunt experti. Omnium autem maximè exitioſi ſunt, qui prope caput apparent, & in ſummis branchijs ſiti ſunt longiſſimi, & acutiſſimi, ita vt punctura quandoque non appareat. Quàm ob cauſam coci antequam in cibum adhibeant, caput eius abſcindere conſueuerunt. Symptomata porrò quæ ipſius ictum ſubſequuntur, ſunt maximus dolor & inflammatio vehementiſſima partis læſæ. Id quod aliquando videre mihi contigit in ijs qui icti ab eo fuerant. Febri etenim corripiebantur, & animi deliquio, & niſi quis ſubitò opem ferebat, & dextrè remedijs vti ſciebat, membrum læſum calore deſtitutum corrumpebatur prorſus.

Quapropter neceſſe eſt, vt quis mentem adhibeat, quod faciet, ſi

ciet,ſi Draconem ipſum viuum diſſectum plagæ impoſuerit, vt Dioſcorides & Galenus ſcriptũ reliquerunt, quamuis hic viuũ potius requirere videatur, qui omnino, ſi haberi poſſet, melior eſſet. Serpillum etiam eodem modo adhibitum prodeſt. Cataplaſma item è Serpillo, ſaluia & abſynthio ex vino coctis,& cum pauxillo farinæ tritis,proficit. Per os theriaca, ſeu mithridatum cum aqua abſinthij aſſumi poſſunt. Dioſcorides abſinthiũ vel ſaluiam, vel ſulphur cum aceto mixtũ imperat.Hæc prçcipua ſunt & ſpecialia remedia quibus quis etiam aduerſus marini ſcorpionis, quem Agathenſes & Nitiobriges Raſcaſum vocant, ictum vti poterit.


DE TORPEDINE. Cap. XXXIII.

Νάρκη, Torpedo.

CVI deſunt vires, cui deſunt ſpicula, magnum
Ingenium natura dedit: ſe fraude tuetur,
Atque dolis magnum piſcem, fortemq́ue trucidat,
Turpe veneficium tenero ſub corpore ſentit,
Natura torpedo datum proprium quoque membris
Hæc grauis & mollis, ſunt nullæ in corpore pigro
Vires,& nimium præmitur grauitate: natantem
Non credas,liquidis ita clàm ſubrepit in vndis:
At duo ſe tollunt diſtenta per ilia rami,
Qui fraudem pro robore habent, piſcemq́ue tuentur:
Quos ſi quis tractat,perdit per membra vigorem,
Sanguine concreto, rigidos nec commouet artus:
Voluuntur ſubitò contracto in corpore vires,
Dona Deum & proprios membris cognoſcit honores.
Porrecta in flaua diſtendit corpus arena,
Immota exanimi ſimilis,cui piſcis inhæret
Oppreſſus torpore graui, ſomnoq́ue ſolutus
Hæc celeri properat quamuis tardiſſima greſſu.
Semineces lacerat piſces, & ſæpè natantes
Offendit tactu,vires curſumq́ue moratur
Perculſi torpore graui, victiq́ue rigore.
Atque fugæ immemores ſunt,immemoresq́ue viarum.
Hæc manet auxilio caſſos opibusq́ue trucidat,
Et velut obſcuris terrent ſimulachra figuris
In ſomnis homines,quatiuntur membra pauore,
Cor ſalit,& fruſtrà tentant contendere curſu,

Et fruſtra properare fugam: non vincula dura
Impediunt viſu pauidos, ſomnoq́ue grauatos.
Tales torpedo meditatur piſcibus artes.

Hos Oppiani verſus, quàm potui, fideliſſimè trāſtuli, quibus exitioſa torpedinis vis copioſiſſimè ob oculos ponitur, & explicatur. Quod ideo feci, quòd Nicander in ſuo libro, quē in hoc noſtro cōmētario ſequi decreui, nullā de ea mentionem fecerit, exiſtimaui denique admirabilem huius piſcis vim dignam eſſe, quæ noſtratibus quoque cognita foret.





APPEL-

Appellatvr torpedo à Græcis & Latinis,quòd affe-ctum inducat,ſi quis tetigerit eam ei ſimilem, quẽ, cùm vel pedem, vel manum ſtupidam experimur, percipimus. Torpedinum porrò quatuor genera ſunt,Rondeletio autore,quę non multum inter ſe differunt. Quorum duo priora in medio corpore maculas habent quinque magnas & rotundas. Sed inter hæc quoque vna per circulos, quibus altera caret, diſtinguitur. Reliqua duo, vt ſequenti capite dicemus, non item. Tres priores circulos ſuprà, cæteros infrà habet, ſecùs quàm Matthioli effigies, in ſuis in Dioſcoridem commentarijs expreſſa,prę ſe fert. De quo iudicium ferre non auſim, cùm talem, quod ſciam nunquam viderim. Et huic innitor, quæ à Rondeletio depicta fuit, quemadmodum etiam in cæteris omnibus quæ ad piſces pertinẽt, & omnino dignum exiſtimo, cui non in hac tantùm re, ſed cæteris quoque quæ literis mandauit,fides adhibeatur. Torpedo itaque piſcis eſt planus, cartilagineus,colore ex ruffo palleſcente. Cuius vis malefica facilè ex Oppiani verſibus colligi poteſt: in qua tamen hoc admiratione dignum eſt, qui nimirum fieri poſſit, vt qualitas illa per virgam & lineam ad brachium vſque piſcatoris penetret, ſi antiquis credimus, & Theophraſto, qui ab Athenæo lib. VII. adducitur, & quod experientia etiam comprobari poteſt, cuius periculũ feciſſe ſe in torpedine mortua Rondeletius ſcribit. Atqui hæc ſtupefaciendi facultas alis tantùm ineſſe videtur, quemadmodum in verſibus præcedentibus videre licuit, vbi robur ilijs ineſſe ſcriptum fuit. Ita Athenæus Diphili Laodicæi opinionem recitat, qui in libro de Nicandri Theriacis ſcripſerat, non totum piſcem ſtuporem inducere, ſed partem eius tantum, id quod de alis ſolum intelligi debet, vbi enim hamo captam ſe animaduertit, virgam in ipſis inuoluere conatur, vt hac ſtupefaciendi vi ſe tueatur, vt Sepiæ atramenti effuſione, quemadmodum Cicero libro II. de natura Deorum ſcriptum reliquit. Si quis porrò liquorem Cyrenaicum manu teneat, nihil à torpedine, ſi quidem vera ſunt quæ Ælianus memoriæ prodidit, patietur. Id quod ob naturæ quandam etiam contrarietatem, quæ eſt inter eam, & Cyrenaicum liquorem, accidere poteſt. Accidentia autem, quæ torpedo in ijs, quos offendit, inducit, ab extrema

frigiditate ortum habent, veluti virium lapſus, corporis grauitas, ſanguis concretus, & ſingularum partium ſtupor, quæ certè non aliam quàm caloris natiui abſentiam, occaſionem habent. Remedia itaque calida, & quæ vim habeant reficiendi ſpiritus. Quorum libro II. cap. de Cicuta, papauere, & id genus alijs mentio fiet, & ad quæ lectorem, cùm vſus neceſſitas incidit, remittimus, eligenda erunt.

DE TERTIA ET QVARTA TORPEDINIS SPECIE.
CAPVT XXXIIII.



TERTIA & quarta torpedinis ſpecies à duabus prioribus, quod ad vim ſpecificam & proprietatem naturalem attinet, nihil differunt: ſed corpulentia duntaxat. Primum quòd maculas non ita magnas & rotundas, quemadmodum priores duæ habent.

SECVNDO



SECVNDÒ quòd tertia per vniuerſum corpus maculis inæqualiter eſt diſtincta, quarta minimè. Et vt lectori ſatiſfaciam, quod ad naturam torpedinis attinet, hoc addam adhuc, torpedines in cœnoſis littoribus tota hyeme degere, & ſub terra, ob frigoris, quod maximè abhorrent, Theophraſto autore, metum, latitare. Viuæ captæ, & per medium diſſectæ, capitis doloribus medentur, Galeno teſte, qui experientia hoc comprobaſſe ſe affirmat. Paulus item Ægineta oleum in quo viua decocta fuerit, ad acriores articulorum dolores ſeu cruciatus leniendos inungi aſſerit. Plinius etiam paulò vlterius progreſſus, eam ſi capiatur cùm Luna in Libra fuerit, triduoq́ue aſſeruetur ſub dio, faciliores partus efficere poſteà, & fel ipſius pudendis muliebribns adhibitum, ſterilitatem inducere ſcripſit.

DE CANE RABIOSO.

CAPVT XXXV.



QVO canis dum rectè valet, homini magis domeſticus eſt, & familiaris, hoc plus cùm à conſueta ſua natura receſſit, infeſtus illi eſt, cùm nimirum morbi quodam genere corripitur, illi inter omnia animantia communi & peculiari: quo fit vt non minus ſit exitioſus quàm ſerpentes, vel reliquę feræ venenatæ, de quibus anteà locuti ſumus. Quæ mihi cauſa quoque fuit, vt cum huic libro inſererem, ne à noſtris, idq́; optimo iure obijci poſſet, me ea quæ minus illis cognita ſunt & neceſſaria expoſuiſſe tantùm, & quæ maioris ſunt momenti, & illis familiaria ſunt, ſilentio præterijſſe. Etſi enim (quod diuinæ benignitati acceptum ferimus) natura Galliam noſtram præ cæteris nationibus omnibus ita dotauerit, vt monſtra hæc venenata armis ſuis ſpolians, pedibus nos ea conculcare, abſque vllo morſus metu voluerit: reliquit tamen quædam, potius vt ſolicitos & cautos nos redderet, quàm quòd quicquam mali inferre nobis cuperet. Inter quæ quò periculoſius eſt id quod perpetuò nos ſequitur, hoc maiore ſtudio præparare debemus, nos ſi fortè quid ſiniſtri hac in parte nobis acciderit. Quàm potero igitur breuiſſimis naturam canis rabioſi explicabo, veneni item illius efficaciam, & accidentia ipſius morſum concomitantia: poſtremò etiam curandi modum.

CANIS itaque animal natura generoſum, amabile, & adulationi deditum, & ob hoc homini, præ cæteris animantibus gratum, tribus morbis obnoxium eſſe ſolet, rabiei videlicet,

licet,

licet, anginæ, & ſcabiei. Quorum duo poſtremi contagioſi non ſunt, quantumuis ſæpè ex ijs moriantur. Primus autem ita contagioſus eſt, vt eundem affectum ei quem momorderit, ſiue homo ſit, ſiue aliquod aliud animal, niſi maturè occurſum fuerit, communicet. Hoc tamen vitio reliqua animantia magis, quàm homo, conficiuntur. Ob hoc Ariſtoteles canes, & cætera animantia è rabie antè, quam hominem interire ſcripſit. Ita enim Leoniceno teſte, Ariſtotelis locum emendare oportet, & nequaquam cogitare, eum tam parum cordatum fuiſſe, vt dicere voluerit hominem ab hoc malo immunem eſſe, quemadmodum ijs videtur, qui legunt, & vocabulum Græcum πλὴν, retinent, in cuius locum ſubſtitui debet πρὶν. Duabus autem de cauſis canes rabie infeſtantur maximè ſibi inuicem contrarijs. Primum ob vehementiſſimos æſtus, deinde ob intenſiſſima frigora. Hinc veteres eos vt plurimum in Caniculæ ardoribus, & hyeme in maximis frigoribus rabie corripi, præcipuè verò in ijs regionibus, in quibus magnæ & crebræ mutationes temporum accidunt, memoriæ prodiderunt. Quod ideò fit, quòd canes ſua natura calidi ſunt & ſicci, & ob hoc humoribus atrabilarijs exuſtis abundant, qui in his mutationibus, quales in autumno contingunt, ſubitis augentur, & quia à magnis caloribus vlterius accenduntur, febrem ardentem, & amentiam ſeu furorem, quem rabiem appellamus, in cane excitant. Quæ à venatoribus in calidam & deploratam, & in eam quam currentem vocant, diſtinguitur. Hic porrò calor æſtate ab aëre incrementum ſuſcipit, & ad humeros vſque penetrat, hyeme verò quia calor intus copioſus eſt, quòd ab ambiente frigido intrò pellatur, augetur, & accenditur, & vnà cum eo humores putridi, qui vel ob hoc pernicioſiores ſunt, quòd per cutis poros tum clauſos omnino euentari non poſſunt, & cùm intus maneant, eadem quæ magni æſtatis calores accidentia inducunt. Quæ ratio veritati magis conſona mihi videtur quàm quorundam, qui rabiem hyeme è frigore, à quo ſanguis congeletur, oriri ſcripſerunt. Tantum enim abeſt, vt ſanguis concretus eiuſmodi furorem excitare poſſit, vt contraria potius ratione ita ſpiritus torpore afficeret, vt antequam congelaretur, cani ſtatim moriendum

eſſet: taceo quòd ſanguis in corpore anteà congelari non poteſt, quam vita quæ in calore natiuo fundatur, priuetur penitus. Neque tamen dubitare oportet, cùm cauſa hac externa, promptitudinem etiam & aptitudinem naturæ canis, ab quam huiuſmodi humor generatur, coniungi. Ad quam Galenus lib. VI. de locis affectis, reſpiciens, ſolum canem inter cætera animalia rabie corripi ſcripſit. Quod veri ſimilitudinem aliquam habere videtur, quamuis non defuerint, qui alia pleraque animalia eadem natura prædita eſſe quoque exiſtimarunt. Sed nolo immorari diutius in diſcutienda hac quæſtione, vtrum ſcilicet reliqua animantia rabie tentata, prius à canibus rabidis fuerint morſa, vel ex ſua natura in rabiem acta. Quicquid ſit, canis hoc vitio correptus, non tantùm quos momordit, in rabiem agit, ſed eos etiam, quos ſpuma ipſius tantùm attigerit. Cùm enim naturam earum partiũ, à quibus proficiſcitur, retineat (quemadmodum alibi diximus) venenum hoc tàm ſubtile ita defert, vt facilimè per corporis meatus penetret, & ab arterijs, ob continuum eorum motum, attractum, tandem in reliquum quoque corpus deducatur. Quidam alias adhuc cauſas prioribus adiunxerunt, quæ vim habẽt corrumpendi humores canis, eſum nimirum carnium vermibus ſcatentium, & aquas putridas, quas interdum bibere coguntur. Plinius ſcripſit canes, vbi menſtruum ſanguinem guſtauerint, rabie corripi, & vitium eſſe irremediabile. Quod maledicendi ſtudio potius, quàm quòd vnquam huius rei periculum feciſſet, dixiſſe videtur. Certiſſimum enim eſt hunc ſanguinem ſola quantitate vitioſum eſſe, & naturam eum ad fætus nutritionem deſtinaſſe, quo excluſo, neceſſe eſt, vt is quoque foras eijciatur. Verum equidem eſt, eum ſi fortè ob impedimentum quoddam retinetur intus, corrumpi & putreſcere, ita vt magnorum morborum cauſa ſit, quales ſæpè in puellis marito aptis, & viduis euenire videmus. Creditur præterea canes, qui calidioribus alimentis veſcuntur, facilimè hoc malo corripi. Cùm enim ſanguis, qui ſua natura promptus eſt vt efferueſcat, incaleſcit, febris excitatur. Cauere igitur ſedulò oportet, ne canes cibos vel putridos, vel aromatibus conditos, & id genus alios qui vehementer calefaciunt, aſſumant. Atqui non ſat eſt huius peſtis cauſas cognouiſſe niſi

ſigna quoque per quæ facilè canis ita affectus dignoſci poſſit, ſciamus, vt ab eo cauere nobis poſſimus. Signa autem per quæ cognoſci poteſt, copioſè à Dioſcoride, Galeno, Ætio, & Paulo Ægineta fuerunt deſcripta. Canis itaque rabidus caudam & aures demittit, toruè & ſolito triſtius intuetur, & in obuios quoſque citra rationem inſilit, ſiue fera ſit, ſiue homo, & tam familiares, quàm ignotos, idque ſine latratu primum, ſpumam ex ore & naribus reijcit, cibum & potum auerſatur, & plerunque gracilis eſt, & ſiccus, oculis rubentibus, & anhelando linguam foràs porrigit rubrá totam, ſeu ſubnigram, lento gradu incedit, & veterno quaſi oppreſſus videtur, & cùm currit, nunc in hanc, nunc in illam partem declinat, & ſolito citius curſum perficit. Signa præterea canis rabidi in his verſibus, in quibus quidam ad calumnias obtrectatoris reſpondet, comprehenduntur.

Diſcedite hinc, ne oculi veſtri
Labem accipiant, videntes belluam incognitam,
Quæ ira turgida, & mente alienata
Obliquè per campos gradu celeri ſeu incompoſito fertur.
Oculos habet toruos, & fauces ſpumantes,
Nares ipſius repletæ ſunt ſpuma ſanguinolenta,
Potum & cibum auerſatur,
Oculum habet flammeum, plenum odio & inuidia,
Quemlibet mordet, nullo reſpectu habito
Familiarum ab ijs quos non nouit.
Corpore eſt gracili, & perpetuò prominet
Ex aridis faucibus ſerpentis lingua,
Caudam demittit, & maximas aures ſuas:
Os ſuum plenum magnis veſpis percutit.
Quæ inceſſanter eam aculeis maximis pungunt,
Eumque currere cogunt, nunc per ſulcos
Agri nuper exculti, nunc per tamariſcos,
Nunc per ſyluas, nunc per veruacta.

HÆC itaque ſunt indicia, quibus canis rabioſus poteſt cognoſci: plerunque tamen fit, vt homines ab ijs, in quibus nulla huiuſmodi ſigna perceperunt, tam exactè, lædantur. Quapropter diligenter animum aduertere neceſſe eſt, ob magnum, quod negligētiam ſequi ſolet, incommodum. Neq; enim è vulnere, quod omnino ſimile eſt ei, quod canis

non rabioſus inflixit, quemadmodum Galenus in libro de ſectis ſcripſit, hæc cognoſci queunt. Quam ob cauſam quidam indicia, quibus hæc explorari certò poſſunt, poſuerunt. Iuglandes nuces conterunt, eaſque vulneri imponunt, & per integram noctem relinquunt, poſtridiè gallinis in cibo offerunt. Quòd ſi rabidus fuerit canis, ſequenti die pereunt. Præterea ſanguinem è vulnere emanantem excipiunt, eoque panem imbuunt, & famelico cani offerunt. Sed tantum abeſt vt illum deuoret, vt ne odorari quidem velit. Sed hoc experimentum non ſatis aptum, etiamſi Oribaſius, & poſt eum alij complures id approbarint, videtur. Ea propter diligenter canem, à quo quis morſus fuerit, obſeruare oportet, ne in eum morbum, qui ab aquæ metu ὑδροφοβία Græcis dicitur, propterea quòd eo vitio correpti aquam, etiamſi maxima ſiti crucientur, omnino expaueſcant, perfectè incidat. Venenum etenim, vbi vulnus per cutis poros iam occupauit, paulatim victoriam obtinet, nec diu in ijs partibus, quas perreptat, moram trahit, ita vt quandoque quadraginta dies effluxerint, quandoq; duo aut ſex menſes, antequam quicquam moleſtiæ perciperent: imò annus quandoq; integer. Quoſdam deniq; poſt ſeptimum annum demum à morſu eo vitio correptos fuiſſe traditum eſt. Inueniuntur tamen nonnulli qui exiguo à morſu temporis ſpacio aquam, & omnem alium humorem horrere incipiũt. Venenũ autem cùm iam ad maiores venas vſque & cerebrum penetrauerit, imaginationem, rationẽ, & memoriam corrumpere incipit, ita vt homo mente alienetur, & ipſum ſe diſcerpat. Obuiũ quenq; dentibus appetit, vlulat, latrat, & neruorũ diſtentionem patitur: toto corpore rubet, præſertim verò in facie: ſudoribus copioſis & animi deliquijs affligitur. Cùm aquam videt & res ſplendidas, vt ſpecula, cruciatur, & in rabiẽ agitur, propterea quòd cũ ſeipſum intuetur, metum & pauorem ſibi incutit: vel quòd (vt nõnulli ex antiquis ſcripſerũt) perpetuò in aqua vel ſpeculo canem inſpicere ſe putat. Philoſophus etiam quidam (vt Ætius refert) morſus à cane rabido, cùm hoc morbo laborare incœpiſſet, balneum ingredi voluit, cui cùm canis imago obuerſaretur, diu intra ſe meditatus, dixit, tandem: Quid cani commune cum balneo? & confirmata hac opinione, balneum eſt ingreſſus, & aquam ipſam in potu ſumpſit,

& ſana-

& ſanatus eſt. Præter hæc verò accidentia omnia æger maximam in ore ſiccitatem percipit, & veluti dixi, ſiti, quæ extingui non poteſt, abſq; vllo tamen potus deſiderio cruciatur, propterea quòd ipſius corpus aliam iam diſpoſitionem, naturali nimirum contrariam eſt adeptum: quo fit vt nec ea quæ naturaliter ad ſedandá ſitim faciunt, expetat. Tam grauiter autem his ſymptomatibus moleſtatur, vt tandem dolore & ærumnis euictus pereat, præſertim cùm venenum cor iam obſedit: neq; enim cũ ſemel in eam rabiem, quam deſcripſimus, inciderint, vllum remedium inueniri poteſt. Præterea ex ijs, qui hoc vitio ſunt occupati, nullum præterquam vnum aut alterum ſuperuixiſſe legitur, eoſque non à rabioſo cane morſos, ſed ab homine quodam morſo vitium adeptos. Rabies autem quæ hac ratione excitatur, non tam exitioſa & vehemens eſt, quemadmodum altera: venenum enim virium aliquid amiſit, adeò vt adhuc minus periculoſa foret in eo, qui ab homine, cui ab alio hoc malum communicatum eſſet, morſum accepiſſet. Et quamuis hæc mala omnia appareant, non tamen vno & eodem tempore fieri exiſtimandum eſt. Primùm etenim cogitabundi fiunt, & varia ſecú obmurmurant, interrogati aliud reſpondẽt, & ſolito magis excandeſcunt, ſomnia vident innumera & phantaſtica. Nonnulli vlterius progreſſi, ſcribunt eos carnis fruſta, cùm vrina, quæ catulos repræſentent, reijcere. Id quod potius fit (ſi modò fit) ob cæcam aliquá & occultam cauſam, quemadmodum bona pars earum etiam, quæ veneni actiones promouẽt, cauſarum aliunde haberi non poſſunt, & cùm naturales deſunt, ad eas quæ ſunt ſupra naturam recurrere cogimur. Sed ne in hæc ingentia mala incidamus, maturè operam dare oportet, vt remedia neceſſaria vſu & experientia tam à veteribus, quàm recentioribus comprobata, inueſtigentur. Non me latet, homines natura ſuperſtitionibus addictos, ſyluam remediorum, abſque Dei iuſſu & præſcripto, adinueniſſe, & eò vſque dementiæ proceſſiſſe, vt nulla alia remedia, quibus quis ab hoc morbo liberari poſſit, præter imprecationes ſupereſſe exiſtimarint. Quibus non in hac tantùm, ſed innumeris alijs curationibus vtũtur: perinde acſi Deus magná voluptatẽ ex eo caperet, vt homines affligeret, ijſq; hinc inde curãdi anſam præberet ad inueſtigandú id, quod à condito mundo

illis

illis in manum tradidiſſet, & cogitandum eum potentiam ſuam certis quibuſdam verbis ſubieciſſe: is (inquam) qui vbique incomprehenſibilis eſt, & qui mundum immenſæ voluntati ſuæ ſubiecit, qua affectus noſtros limitatur, ne potẽtiam ſuam certo alicui loco alligatam eſſe exiſtimaremus. Homines itaque declinantes ab hac via remedijs naturalibus & diuinis herbarum, quibus Deus eas ornauit viribus, poſthabitis, ſeſe in latiſſimum ſtultarum opinionum ſuarum, & voluntatis effrenatę campum demiſerunt, vbi auaritia eorum, qui commodum aliquod inde habituros ſe exiſtimant, laxato freno, ſeſe in malignorum ſpirituum, qui eos in itinere obſeruant, retia præcipites dederunt. Neque enim dubitare oportet, poſteaquam medijs à Deo ordinatis non fidunt, eaque prorſus relinquunt, abſque vllo exemplo & teſtimonio ſufficienti, hac tantum regula vniuerſali freti, vt nimirum affectui nouorum medicorum inſeruiant: nequaquá (inquam) dubitare oportet, quòd maligni ſpiritus id vnum elaborent, vt eos ita detineant, vt pro duobus fortaſſe incertis remedijs vnum tantum quod commodet, ſuppeditent. Quo factum fuit vt inſtar veneficorum verbis & characteribus fidem adhibuerint, & eò vſque peruenerint, vt dixerint eos non magni curare quicunque his medeatur, etiamſi Diabolus hoc præſtaret: qui loquendi modus tam parum Chriſtianum redolet, quàm parum curandi ratio, quæ inde ſequitur, certa eſt. Quæ profectò non dicerem, niſi innumera exempla vidiſſem, & verbo Dei confirmatus fuiſſem, quo docemur: quòd etſi quædam pulcherrima appareant, & magni momenti eſſe videantur, nullatenus tamen fidem adhibere debeamus, ſi ea, vel ordinem, quem Deus in humano genere ſtabiliuit, peruertere, vel verbo ipſius quod nobis reliquit, aduerſari videantur. Sed hæc diſputatio ad Theologos potius, quàm medicos ſpectat: qui tamen à Deo initiati, remedia aduerſus hunc morbum, ab eo manifeſtata ipſis inuenerunt, non aliunde quàm ex ipſius ore deſumpta, quo ab eo die quo creauit herbas, hanc vim quoque illis dedit, vt copioſum ſemen ferrent, quod ſingulis herbis tam ijs quæ pòſt ſunt ſecuta, quàm quæ in poſterum creſcent, vſque ad ſeculi conſummationem, eandem quoque vim communicaret. Nequaquam igitur his incantationibus tam malè fundatis inſiſte-

inſiſtemus ita,vt ea remedia relinquamus,per quæ innumeri ægri,antequam quicquá harum ſuperſtitionum in medium proferretur, in maximum Dei contemptum,& Reip. detrimentum ſanitati ſunt reſtituti. Sed antequam vlterius progrediar,pauca de communioribus remedijs, quibus plerunque hoc in loco,huiuſmodi plebis impoſtores vtũtur,dicam. Neque enim tam ſtupido prorſus ingenio fuerunt, vt non peculiaria aduerſus hunc morbum remedia adhibuerint. Quidam .n. paſtam conficiunt, cum qua alexipharmaca miſcent, eamque longo tempore in cibo offerunt: quidam verò frigidam potui dát. Aliqui potionibus compoſitis vtuntur: quidam ferrum candens adhibent, quod maximè proficit,vt poſteà dicemus: aliqui in balneum mittunt,& iiſdem remedijs vtuntur,quæ medicis quoque in vſu eſſe conſueuerunt, quæ tamen characteribus,ceremonijs, verbis obſcuris, & id genus alijs ineptijs, quæ apud vulgus admirationem mouent, & in falſa opinione confirmant, turpiter deformant. Poſſem infinita huius impietatis exempla in medium proferre,quibus aliqui in curatione febrium & aliorum morborum vtuntur, carminibus nimirum, ſententijs è ſacra ſcriptura detortis, anacolematis, & id genus alijs veneficijs, quæ Fernelius in libro de abditis rerum cauſis in vnum collegit, niſi lectori moleſtiam allaturum me exiſtimarem. Ad curationem itaque accedam, quæ primo quoque tempore tentanda erit tàm per medicamenta extrinſecus vulneri impoſita, quàm ea quæ per os aſſumi debent. Vulnere igitur magno exiſtente, ſanguinem effluere quàm diutiſſimè ſinito, vt vna cum eo veneni quoque portio quædam extrahatur. Quod ſi exiguum fuerit, & præter ſpumam nihil apparuerit, ſcalpello orbiculatim incidenda cutis, & curcubitulæ admouendæ erunt, & adurendum vulnus, operaque danda, vt cruſta, quàm primum fieri poteſt, decidat, apertumque vulnus per quadraginta dies & plures, ſiquidem fieri poteſt, relinquatur. Interim non negligenda ſunt ea medicamenta quæ vulnus irritare poſſunt, qualia ſunt allia, & cepæ contritæ, & Mercurij puluis, hac ratione vlcus perpetuò manebit apertum, & virus magis quotidiè extrahetur, præcipuè verò ſi quis adijciat emplaſtrum, quod Galenus ex præſcripto Menippi, & Æſchrionis atque Pelopis præceptorum

rum ſuorum compoſuit. Conſtat autem è libra picis Calabrenſis optimę, tribus aut quatuor vncijs opopanacis, & aceti libra, & vncijs octo. Modum componendi docet in libro de antidotis, cap. LXXIIII. è quo multa alia vtiliſſima ad hunc morſum remedia huc referre licet. Theriaca item in vſum adhiberi poteſt, & Mithridatum roſaceo dilutum, aliaque emplaſtra, & vnguenta, quæ à veteribus, ijſque probatis autoribus ſunt deſcripta, & à Medico diligente è Dioſcoride, Galeno, Oribaſio, Ætio, Paulo Ægineta, Plinio, Auicenna & alijs colligi poſſunt. Optimum autem aduerſus canum rabioſorum morſus medicamētum, quod per os ſumi debet, à Galeno ex Aſinij præſcripto ad hunc modum deſcribitur. Accipe cancrorum fluuiatilium in cinerem redactorum drachmas decem, gentianæ drachmas ſeptem, thuris drachmam, & quotidiè per ſpacium quadraginta dierū drachmas tres potui ex aqua dato. Dioſcorides aliam habet compoſitionem, huic non prorſus diſſimilem. Cancros fluuiatiles in ſarmentis albæ vitis cremare iubet, & cinerem eorum quá minutiſſimè tritum habere reconditum: item gentianæ radicem tuſam, cribatamque reponere. Quod ſi vſus neceſſitas inciderit, cineris cancrorum drachmas tres, vnamq; & dimidiam gentianæ in puluerem redactæ, è vini meraci vncijs ſex & dimidia per os aſſumi vult: imperatque vt hoc quatuor diebus cōtinuis fiat, quibus ita à principio curationis elapſis, duplicato deinde vel triplicato pondere, ſupra id, quod ab initio retulimus, adhibeatur, & hoc remedium ſolum ſufficere affirmat. Lapathum etiam vulneri ſuperimpoſitum, & decoctum ipſius in potu ſumptum magnas habere vires Ætius ſcriptum reliquit, aſſerens ſe ſenem quendam nouiſſe, qui nullo alio quàm hoc vteretur remedio. Qui plura videre cupit, Ætium conſulat. Hæc tamen paratu facilia ſunt, & abſque magno labore conquiri poſſunt plerunque quæ: tamen nonnulli quandoque, ſed præter omnem cauſam & rationem ſummo labore inueſtigare ſolent. Sunt prætereà alia quædam, quibus quis vti poterit, iecur nimirum canis rabidi in cinerem redactum, & ſanguis per os aſſumptus, interim dum alia remedia, quæ vndiquaque reſpondent, & idonea ſunt, adhibētur. Hæc etenim poſtrema in dubium apud eos, qui ipſis omnino fidūt, vocari poſſunt. Prætereà dum hæc admini-

miniſtrantur, victus etiam rationem præſcribere, & reliqua quæ generalia magis ſunt, oportet. Æger itaq; cibo boni ſucci, & humido potius quàm ſicco nutriendus eſt, operaq; danda, vt aluus ſemper ſit laxa, radiceſq; aperientes, quæ vim habeant ciendi vrinam, vſurpádę. Quod ſi nihil impediat, corpuſque multo ſanguine abundet, ſanguinem etiam è brachio mittere vtile erit. Quod reliquũ eſt, ſedulò & quoad fieri poteſt, cauendum eſt, ne vel cibũ, vel potum aſpiciat, dum offertur. Hæc itaque in hoc morbo requiruntur. In reliquis ex conſilio boni Medici regendus eſt æger, ſine quo nihil quicquá, è quo incommodum aliquod oriri poſſet, tentandum temerè erit. Porrò canis non rabioſi morſus, & ipſe virus quoddam habet, propterea quod & maiorẽ dolorẽ excitat, & maiori difficultate curatur, quá ſimplex vulnus, nõ tamẽ lethalis eſt. Remedio eſt cataplaſma è iuglandibus, cepis, melle & ſale ſimul incoctis, & cum farina tritici, vel erui contuſis, cõfectum. Prius tamen vulnus cũ aceto & nitro fouere, & ſpongiam ſuperimponere oportet aceto madidam. Hoc remediũ morſui etiam ab homine illato, qui eiuſdẽ malignitatis particeps eſt, opitulatur, vel equo, vel aſino, vulpe, lupo, camelo, ſimia, fele, mure, & muſtela, & vt breuibus omnia complectar dubitare minimè oportet, reliquorũ animaliũ morſus magis eſſe dolorificos, & difficilius curari, quá aliud quodcunq; ſimplex vulnus. Id quod ob ſaliuam contingit, quæ maligná qualitatem in parte vitiata introducit. Ita enim ſentiunt, qui de hac re ſcripſerunt. Saliua tamẽ humana in vlceribus adhibita, nequaquá difficilẽ reddit curationem: ſed ea deſiccat potius, & prætereà peculiarem quandá proprietatem ea vlcera ſanandi habet, in quibus de veneno ſuſpicio eſt. Id quod ſæpenumerò experientia verum eſſe didici. Galenus idem in libro de Simp. Med. facultatibus demonſtrauit. Quá ob cauſam videtur mihi dolorem, & curationis difficultatem humani morſus, non aliunde oriri, quàm è dilaniatione, quæ fit ob dentium ſpiſſitudinem, ob quá in carnem infigi non poſſunt, niſi eam obterant. Hinc videmus ictus orbiculatim factos, & vulnera à ſaxis & baculis illata, magis eſſe dolorifica, & curatu difficiliora, quàm quæ ab enſe acuto & pungente inferuntur. Quod ad reliqua animalia attinet, facilè crediderim eorum ſaliuam contrarium aliquid naturæ

turæ noſtræ habere, ob quod ipſorum morſus magis dolorifici, & contumaces ad curandum redduntur: quod non tantùm in ipſis percipimus, ſed in ijs etiam, quæ vnguibus, quos acutos habent, lædunt, vt felibus, & alijs, quę dolorem in vulnere, quod ſcalpendo inflixerunt, cum rubore relinquunt.

SPECIALIA REMEDIA ADVERSVS OMNIA VENENA.

Cap. XXXVI.

POSTEAQVAM Nicãder in Theriacis de qualibet ſerpentum ſpecie diſſeruit, nulla facta mentione remediorum, quibus ipſorum venenis mederi poſſimus, iam communia quædam, quibus quis aduerſus omnes morſus ſerpentum vti poterit, præſcribit. Facit itaque primò mentionem trium herbarũ, quæ vel morſui per ſe impoſitæ, vel ex vino potæ hominem ab interitu vindicare poſſunt. Prius tamen regulam generalem conſtituit, hoc eſt, vt herbæ quantum fieri poteſt, quàm maximè recentes colligãtur, & quàm primùm vulnus acceptum fuerit, applicentur. Prima autem Panaces, hoc eſt, tota bona & ſalubris dicta eſt, inde nomen ſortita, quòd magnarum virium ſit in propulſandis morbis. Alio nomine Chironium quidam vocant, propterea quòd Chiron Centaurus Saturni filius eam in Pelio monte inuenerit, indicio ſumpto hinc, quòd haberet thyrſum longum & exilem. Fuit porrò chiron inſignis ſuo tempore Medicus, & Æſculapio medẽdi artem, Herculi verò aſtrorum ſcientiam oſtendit. Panaces autem herba à Dioſcoride de verbo ad verbum eſt deſcripta ex Nicandro, quòd nimirum foliũ eius ſit amaraco ſimile, flos aureus, radix parua, quę nõ altè demittitur, guſtu acris. Sed quæ hæc ſit herba, Gallis hodierno die incognitum eſt. Secunda herba ea eſt, quàm & Græci & Latini Ariſtolochiam vocarunt. Duorum eſt generum. Prima mas, quam communiter longam dicimus, propterea quòd ſit radice longa, & cubiti altitudine in terram demittatur, vt Poëta noſter aſſerit. Altera fœmina, quam rotundam vocamus, quòd radicem habeat in orbem conglobatam: vtraque autem folia fert Periclymeno ſimilia, & quæ quàm proximè ad hederacea accedunt, flore

vt Hiſ-

vt Hyſginum, quod tincturæ genus purpureæ apud antiquos erat, vt Græcus interpres annotauit, rubro, fructum profert pyri imagine. Confert autem eum cum fructu pyri myrtadis, vel bacchæ, quæ genera ſunt pyrorum ſylueſtrium. Radices intus colore buxum Horiciam, hoc eſt, Cretenſem ſic dictam, quòd ea regio abundet, æmulantur. Vtendi autem modus hic eſt, vt radix eius ex vino deraſa, drachmæ pondere ſumatur. Tertia herba trifolium eſt, illud quod bituminoſum appellant. Nam cùm adoleuit, foliaque & flores emiſit, bitumen redolet. Cùm adhuc exiguum eſt, rutæ colorem præ ſe fert, & folia loto, quam aliqui vulgare melilotum noſtrum eſſe volunt, ſimilia habet. Quod tamen maximè dubium mihi videtur, propterea quod melilotum folia habet longiuſcula, trifolium breuiora, & longo ſtipiti annexa, & nigro, & terna ſemper exeunt, quã ob cauſam trifolium, quoq; dictum eſt, vt reliquæ quoque ſpecies eius, quæ tamen folia acuta magis & anguſta habent. Florem fert purpureum, vt Dioſcorides affirmat, qui eandem facultatem folijs quoque attribuit. Theriacam deinde Poëta noſter è radice Thapſiæ, rhododendro, ruta, viticis ſemine, thymbra, aſphodelo, & parietaria, componit, & detritam è vini, vel aceti, vel frigidæ cotyla potui exhibet. Thapſia antiquitus ea herba erat, quam autor Thrinaciam, hoc eſt, Sicilianam vocat, quòd primùm in Sicilia fuerit cognita, quæ Thrinacia dicta fuit. Decipitur Lonicerus qui hanc Dioſcoridis Thapſiam, quæ acris eſt guſtu, & venenoſa, eſſe exiſtimat. Nerium parua arbor eſt, quam & Græci & Latini rhododendrum appellãt, quàm proximè ad laurum accedit, & flores ſimiles roſis rubris fert. Quam ob cauſam à quibuſdam Lauri roſa dicta eſt. Flores & folia mulis, canibus, aſinis, venena ſunt: hominibus verò contra ſerpentium morſus præſidia, è vino pota: eò magis ruta addita. Reliquæ herbæ ſuprà ſunt explicatæ. Sed prẹter has alterius herbæ Nicander meminit, quam Viperinam, ſeu ſylueſtre bugloſſum vocat, de qua ſuprà verba fecimus. Alcibium dicta quoque fuit, propterea quòd ab Alcibio quodam inuenta fuerit, qui primùm quantum contra ſerpentum morſus poſſet periculum fecit, vt Poëta noſter teſtatur, eamque eleganter tribus, aut quatuor verſibus depingit, tumque omnium optimè, cùm eius duo genera, quæ magni-

tudine tantùm inter ſe differunt,cõſtituit. Nos cum Dioſcoride,qui tamen curioſè Nicandrũ obſeruare viſus eſt, vnum tantum cognoſcimus. Marrubium etiam ex vino albo ſumptum commendat,idque meliſſam à paſtoribus vocari ſcribit, non quòd inuicem ſint diſtinctæ, ſed ob magnam ſimilitudinem,quam inter ſe marrubium album, & meliſſa habent. Hoc nomine in alexipharmacis etiam cap. de aconito vſus eſt. Pellicula etiam, quæ gallinæ cerebrum integit, non tantùm aduerſus ſerpẽtium morſus, ſed reliqua quoq; venena, quemadmodũ ipſe in curatione aconiti docuit,bona eſt. Origani prætereà meminit, quod ſuprà expoſui, & ſummæ cutis iecoris apri, quæ olim augures & vates obſeruabant. A Græcis τράπεζαι, πύλαι, & μαχάιραι, plerunque vocabantur. Hæ partes felli adiacent, & venæ portæ, ſic dictæ, quòd ſanguinẽ ad hepar defert. Caſtoris item & Hippopotami teſtes ex aqua drachmæ pondere ſumpti, præſtantiſſimum aduerſus ſerpentes ſunt remediũ. Eſt autem caſtor animal amphibium, nam partim in aqua,partim in terra degit. Lutrę ſimilis eſt, maior tamẽ paulò, poſteriores pedes anſerinos habet, caudam ſquamoſam,dentes acutiſſimos. Marinus equus & à Græcis,& à Latinis Hippopotamus dicitur. Vt plurimum in Nilo ſupra Saim vrbem, quam Poëta fulginoſam appellat, ob agros circunuicinos nigros & combuſtos veluti habitat. Sæpè autem è Nilo,præcipuè verò cùm fame premitur, proſilit, ſegeteſque prope ripas depaſcitur. Hinc Nicander eum malam falcem, hoc eſt,dentem,in meſſem immittere ſcribit. Huc etiam referri poſſunt abrotonum, lauri baccę, amaracus,leporis coagulum,capreoli item & hinnuli,pingueq́; ceruinum rete, poliũ prętererea,cedrus, iuniperus,platani pilulæ, cupreſſus denique & bupleuris, quæ poſtrema tam incognita nobis eſt,quàm Pulybatæa, è qua Theriacam, cum vini & olei æquis partibus, duobus videlicet cyathis, & ptiſanæ hemina componit. Aliam deinde Theriacam componit è pice, medulla ferulę ſylueſtris fœniculi (quod Græci Hippomarathrum appellant) radice,apio paluſtri,ſeu ſylueſtri dauco, cedri baccis,hipposelino,myrrha,cymini ſemine, & viperarum carne.

RELI-

RELIQVARVM PLANTARVM, ET REMEDIORVM, DE QVIBVS NICANDER IN THERIACIS LOCVTVS EST, EXPLICATIO.

CAP. XXXVII.

NE diutius immorari videar in repetendis ijs, quę à Poëta noſtro ſunt conſcripta, ſummatim id quod adhuc in enumeratione remediorum ſupereſt, explicabo, nulla denuò mentione facta eorum, quæ vel iam anteà à nobis fuerunt expoſita, vel de quibus fortaſſe in hoc ſecundo libro noſtro agemus. Gladiolus quem in ripa duorum fluminum Drilonis & Naronis enutritum fuiſſe ait, ea planta eſt, quam vulgus iridem Illyricam appellat. Hęc enim duo flumina eam regionem in qua Rhaguſium ſitum eſt, perlabũtur. Naron à Pomponio Mela Narus dictus eſt. Narrant Poëtę, Cadmum vna cum cõiuge Hermione, Thebis (quam vrbem ipſe condiderat) pulſum, ad Illyricos ſeu Dalmatas contuliſſe ſe, ibique Deorum commiſeratione in Dracones duos conuerſos eſſe. Cadmus Sidonius quoque dictus eſt, proptereà quòd Phęnicię, in qua Sidon vrbs quoque ſita eſt, Regis filius fuerit.

ERICA & Tamarix vulgò cognitæ ſunt. Antiqui tamariſcum peculiari quadam vi in augurijs prędiram exiſtimarũt, quam ob cauſam Magi & Schytæ cum futura prędicere vellent ramis huius arboris vti conſueuerunt.

CYTISVS nobis eſt incognitus. Tithymalus Gręcis thymalis quoque dicitur. Naſcitur in campeſtribus locis plerunque & lac emittit. Dioſcorides eius ſeptem genera conſtituit.

SAMBVCVS vulgaris eſt notitiæ.

RANÆ item maiores in aqua vino cum oleo & ſale, vt Dioſcorides ſcribit, elixæ, ad ſerpentium morſus maximè proficiunt, quemadmodum in ſecundo libro demonſtrabimus. Iecur item, & caput viperinum ex aqua, vel vino ſumptum, ob rationes ſuprà in principio libri in medium adductas. Nicander per vocabulum beſtiæ, Viperam, aut ſerpentem, quæ damnum intulerit, intelligit.

Nemo tamen exiſtimare debet, ea in vſum adhibere poſſe prius, quàm legitimè præparentur.

HELICHRYSVM herba eſt vulgò cognita in Gallia, caule conſtat recto, aliquantū cādido, folijs per interualla emergentibus, abrotoni æmulis, comātibus in cacumine floribus, vmbella rotunda, aureum colorem repræſentante, & ſolis inſtar ſplendeſcente. Hinc Græci ἑλίχρυσον appellarunt.

ALIA planta eſt quæ à Græcis pariter, & Latinis Rhāmus dicta eſt, cuius tria genera Dioſcorides conſtituit. Quorū poſtremū nigrioribus, latioribuſq; folijs conſtat, & quadātenus rubentibus: cuius rami quinum fere cubitorum longitudinem implent, ſpinoſiores quidem, ſed infirmioribus minuſque rigentibus aculeis. Fructum edit luteum, candidum, tenuem, folliculos referentem. Quamobrē Poëta noſter eum papaueris calici confert. Hæc arbor frequentiſſima eſt in Lydia, prope Tmolum montem, & Parthenij iuga, vbi Gyges olim regnabat.

EST & Cardui quædam ſpecies, quæ tam à Græcis, quàm à Latinis Eryngium dicitur, nonnulli Carduum, qui centum capita habeat, vocarunt.

BASILICVM aquaticum ſimile eſt ocimo, folijs tamen paulò minoribus, & diuiſis parum, Græci ἔρινον vocant.

QVID ſit Eucnemus, neſcimus. Aniſum autem & acanthus plantæ ſunt vulgò cognitæ.

HERBA Alcibium dicta, ſecunda ſpecies eſt anchuſæ, quam Dioſcorides Alcibiadium vocari ſcribit. In locis ſabuloſis, quales ſunt magnæ illius Troiæ campi, vbi eam quoque à cane, quem vipera morſu ſuo læſerat, Nicander inuentam fuiſſe affirmat, copioſa prouenit. Crymne porrò & Craſus propria ſunt nomina duorum agrorum Troiæ vicinorum, prope Phalacræum montem, quo in loco Argiui equum ligneum extruxerūt. Canes hinc Amiclęi dicti ſunt, ab Amiclæa vrbe, quæ vna erat è centenis Laconiæ vrbibus. Et ſanè optimos canes venatorios ex ea veniſſe conſtat.

RICINVS vulgò Palma Chriſti dictus, vulgaris in Gallia eſt notitiæ.

HERBA quæ ideò nota eſt, quòd ad Solis motum & ipſa circumagatur, à Græcis Heliotropion vocatur, ſic dicta, vt Poëta noſter aſſerit, quod ſolē ſequatur, vt & Chaltha noſtra.

Scorpi-

Scorpiurus etiam dicta eſt, propterea quòd florem fert, qui Scorpij caudam repræſentat. Folia habet quam maximè ocymo ſimilia, latiora tamen, hirſutiora, & candidiora. Eadem vis ſequendi Solem, oleæ quoque folijs attribuitur.

VMBILICVS Veneris ea planta eſt, quã Græci Cotyledonẽ appellant. Non multũ in altũ aſſurgit, folia omnino rotũda habet, viridia maximè, & in medio, vbi ſtipiti ſunt affixa, concaua. Cauliculos tres aut quatuor folijs cinctos emittit.

ASCLEPIVM ſecunda ſpecies eſt Panicis, ſic dicta, quòd Æſculapius fuerit inuentor, eaq́; , vt Poëtę referũt, Iolaũ Iphiclis filium, qui hydram, à qua læſus fuerat, interfecerat, vnaq́ue cum Hercule igni mandarat, ſanitati reſtituerit.

SCOLOPENDRIVM ea eſt planta, quam Pharmacopolæ, & vulgò Ceterah appellant: ſic dicta eſt ob folia, quæ ſimilia habet Scolopendræ terreſtri, de qua ſuprà inter beſtias venenatas egimus. Longitudine minimũ digitum æquant, ſubter hirſuta & flaueſcẽtia, ſupernè viridia, nec caulem, nec florem, nec ſemen habet. Naſcitur in parietibus, ſaxiſque ſiliceis, & opacis locis.

QVINQVEFOLIVM ſic dictũ eſt, quòd ea herba quina ſingulis pediculis folia proferat, menthæ ſimilia, & in ambitu ſerrata.

ARCTIVM herba eſt ſimilis verbaſco, vt Galenus aſſerit, ea tàm caremus quàm Cicamene Ordili, Leucade, Iaſmino, bulbo, Sida Pſamathyæa, ſic dicta à fonte quodam Bæothiæ Pſamatho.

LYCOPSIS altera ſpecies eſt anthuſę, folijs lactucæ ſimilibus, ſed longioribus, latioribus, aſperioribuſque, craſſis, cauleque longiſſimo, vt Dioſcorides refert.

PINVS humilis ea herba eſt, quam alibi Pinum terræ, vel Iuam artheticam appellauimus.

PETROSELINVM ſylueſtre à Græcis Caucalis dicitur, folia inferius ſimilia habet dauco ſylueſtri, vel oluſatro ſuperius, hoc eſt, in cacumine caulis paruis inciſuris diuiſa, fæniculi foliorum inſtar, ſemen profert, vt & petroſelinũ, ſuauiſſimi in mandendo odoris.

PASTINACA eodẽ nomine, & à Latinis & à Gręcis dicitur, à Gallis quandoq; Paſtenade. Multorũ eſt generũ. Singula tamẽ in cibo commendantur, & Gallis familiaria ſunt.

TEREBINTHVS ea arbor eſt, è qua reſina Terebinthina profluit, qua nos vtimur,& nobis eſt incognita.

CAPILLVS veneris à Græcis Adianton vocatur,plăta eſt, quæ cauliculos nigro colore profert,prætenues,puſillis folijs, in ſummo inciſuris diuiſis,coriandri ſimilibus,neque florem, neque ſemen habet. Naſcitur in locis opacis,& prope murorum parietes irriguos,quales ſunt prope aquas & molendina. Hanc autem propietatem habet,vt quamuis vicina ſit aquis, nunquam tamen ab ea humectetur, cùm diutius ſupra eam commorari non poſſit. Vulgo Capillus Veneris appellatur.

SMYRNION caulem habet apij,& folia latiora paulò,vmbellam in cacumine,è qua ſemen erumpit,anetho ſimilem.

PAPAVERIS ſecundum Nicandrum duo ſunt genera, diuerſis nominibus diſtincta,alterum quod maiora capita geſtat, θυλακὶς, alterum quod minores vtriculos, in quibus ſemē continetur,habet ἐπίτηλις dicitur. Graue autem ideò papauer appellat,quòd caput grauet,& ſomnum inducat.

CARDVVS ſylueſtris ea planta eſt, quam Græci Pyracantham,& Leucacantham appellarunt,hoc eſt,ſpinam albam, cuius ſemen in potu ſumptum maximè, Dioſcoride ita aſtipulante,contra ſerpentium morſus proficit.

ÆGYLOPS herbula eſt folia tritici habens,culmo tenui,è quo bina ternáue grana,rubra & oblonga,cum tenui,capillacea,longaq́ue ariſta,emittit. In hordeo frequens inuenitur, quod,vt Galenus ait,in hăc herbam conuertitur,vt triticŭ in lolium,cum in terrā humidiorem proiectum fuerit. Parthenium Græcis,matricaria Latinis dicta,folijs eſt coriandri, tenuibus: flore per ambitum albo,intus melino,odore graui,ſapore amaro. Fuchſius eă pro ſecŭda arthemiſię ſpecie poſuit.

RVBRICA Lemnia vulgò terra ſigillata dicitur, & ad nos è Turcia aduehitur.

PROVENIT in inſula Lemno, quæ aliàs Stalimene appellalatur, vbi agricolę hanc terram in loco quodā paludoſo colligebant,vt Dioſcorides affirmat. Hodiè ad nos è Turcia certis quibuſdā Turcicis characteribus inſignita tranſportatur, quæ in maximo habetur precio. Matthiolus terrā ſigillatam Lemniam eſſe negat,ſed eam potius,quam nos bolum armenam Orientalem vocamus,veram eſſe affirmat.

PALIVRVS tā variè ab antiquis deſcribitur,vt eam hodiè

cum nulla noſtrarum arborum conferre queamus, niſi fortè cum aquifolio.

OROBANCHE cauliculus eſt ſeſquipedalis, ſubruber, ſine folio, aſparagorum inſtar cùm erũpere incipiunt, hirſutus, tener, pinguis, flore ſubalbido, radice digiti craſſitudine, fiſtuloſa. Inter legumina, ſegetes & linum naſcitur. Aliqui tamen dubitant, vtrum Nicander hanc plantam intellexerit, cũ nemo è veteribus hanc illi vim contra ſerpentes tribuat, vel flores mali Punici, qui interdum hoc nomine, vt Græcus interpres annotauit, appellantur. Quod ad me attinet, non iudico eum hos intellexiſſe, cùm in ſequentibus ſtatim de vaſe exiguo, rubeſcente, & mali Punici floribus loquatur.

RESTA bouis vulgo notiſſima eſt: ſic autem vocatur, quòd radicem habeat longam, & robuſtam, adeò vt cùm vomeri implicatur, vel in eo inuoluitur, boues aut equos remoretur. Cauliculos habet paruis aculeis vndiquaque munitos, folia meliloti ſimilia.

PORRVM Stratium vocat, quòd in Stratio Arcadiæ vrbe omnium præſtantiſſimi naſcantur. Herba à Dracone cognominata Gallis Serpentina dicitur, quòd caules habeat maculis diſtinctos, inſtar cutis ſerpentis. Vulgò cognita eſt.

QVID autem per radicem ſimilem pungenti Scorpionis aculeo intelligere voluerit, planè neſcio. Anteà quidem de Scorpiuro locuti ſumus, quá ideò ſic vocari dicebamus, quòd flores ſimiles Scorpionis caudæ proferret. Caltha ſemẽ ſimile habet. Sed nullam inuenio herbam, quæ eiuſmodi radicem habeat, niſi fortè ſit prima aconiti ſpecies, de qua in ſecundo libro loquemur. Certus tamẽ ſum, eum hanc non intelligere, cùm venenoſa ſit. Et crediderim potius, eum abuſiuè radice pro integra herba vſurpata, Scorpioides intelligere voluiſſe, quod Dioſcorides ſerpentium morſibus mederi ſcripſit.

Lychnis, vt Dioſcor. affirmat, magna vi aduerſus ſcorpionum ictus pollet. Matthiolus ſcripſit eam eſſe caule lanuginoſo, cubito maiore, in cuius cacumine flos emicat, purpureus, albæ violæ ſimilis folijs longis, tomentoſis, albicantibuſque.

HYACINTHVS planta eſt quæ inter ſegetes, & in ſyluis prouenit, radice magna & bulboſa, folijs longis & anguſtis,

quæ à terra principium ſumunt, & caule paruo ex medio ipſorum ad palmi altitudinem aſcendente. In ambitu caulis flores purpureos emittit.

Poetæ referunt Hyacinthum puerum fuiſſe elegantiſſima forma, quē cùm Apollo magno proſequeretur amore, ab eo per imprudentiam, cùm fortè cum eo diſco (quod genus erat ferrei inſtrumenti rotundi,quod in altum vibrabat) luderet, ferrumque ad lapidem quendam reſiliret, caput ipſius læſit, vnde periit. Hoc accidit in Eurota flumine, aliàs Amyclęo vocato,vel Laconico,quòd Laconiam præterfluat. Quæ fabula ab Ouidio quoque in Metamorphoſi pulcherrimè eſt deſcripta.

Per radicem Libycam, Silphij quod in Lybia naſcitur, radicem intelligit: Lichenes equorum calli ſunt,in equorum genibus, & ſupra vngulas inflexio earum partium durati.

Panis porcinus ea herba eſt,quam Gręci Cyclaminum vocant. Folia habet hederæ,purpurea,varia, caule quaternos digitos æquante,ſine folijs, floribus purpureis,radice magna & nigra. Quidam vmbilicum terræ appellant.

Cinnamonivm non eſt illud, quod apud nos vulgò Cinnamomum vocatur. Verum tamen eſt,id quàm proximè accedere, & in defectu alterius hoc plerunque nos vti.

Balsamvm quod Arabicum ad differentiam vulgaris noſtri denominari dixi, hodie in Europa noſtra nuſquam inuenitur.

Nicander porrò ex harum & aliarum herbarũ mixtione, quarum in aliquibus locis facta eſt mentio, diuerſa Theriacæ genera compoſuit eamque componendi modus abundè in ſuis verſibus demonſtratus eſt. Quo factum etiam fuit,vt noluerim in eo tranſſcribendo diutius immorari. Lectorem denique rogo, vt potius ſi quæ deſiderantur, tàm ob nominum & cognominum plantis impoſitorum diuerſitatem, quàm breuem nimis earum explicationem, ea ſupplere, quàm curioſè rixari mecum velit.

LIBRI PRIMI DE VENENIS

Finis.

DE

DE VENENIS, LIBER SECVNDVS,

HOC EST DE NATVRA EORVM, ET *Antidotorum.*

DE VENENIS, ET ANTIDOTIS IN GENER. CAPVT PRIMVM.

ABVNDE in primo noſtro commentario, tàm de natura & morſibus animalium venenoſorum, quàm remedijs proprijs & cõuenientibus in eorum præcautione, egimus. Primo itẽ capite generatim naturam venenorũ diſcuſſimus, & in ſequentibus cũ Nicandro præſeruandi modum à virulentis beſtijs tàm per ſuffitus, & per ea quæ ſubſternutur, quàm illitiones, idq́ue antequàm vllum de particulari cuiuſlibet animalis natura verbũ faceremus, demonſtrauimus. Neceſſarium itaque eſt, præcipuè ſi eundẽ ordinẽ poſthac etiam ſequi voluerimus, primum de eo, quod Poëta noſter ſilentio præteri jſſe videtur, hoc eſt, de præſeruatione, & curandi ratione communi, quibus ambabus hunc ſecundum librum deſtinauimus, agere. In quo non ſecùs, quàm primo, liberè ſententiam noſtram pronunciabimus, materiaſq́ue & verba difficiliora Nicandri explicabimus. Sed antequam hoc negocium aggrediamur, quandoquidem hîc præcipuè de antidotis quæritur, primùm eorum naturam cognitam reddere ſtudebimus, & deinde ad præſeruationem, ſigna, & vniuerſalem curationem accedemus, & poſtremò, autorem noſtrum ſecuti, de quolibet veneni genere, particulatim diſſeremus. Antidotum itaque idem, quod vocabulum Græcum ἀλεξιφάρμακον per quod propriè medicamentum, id quod ore contra venena ſumitur, intelligimus, ſignificat. Græci ἀλεξιτήριον quoque appellarũt: quamuis hoc vocabulum propriè ad ea medicamenta, quę in potu

aduerſus ſerpentium morſus hauriuntur, accommodari debeat: propterea quòd compoſitum eſt è vocabulo Græco, quod virulentum animal ſignificat, vt primo libro oſtendi. Ambo tamen indiſcriminatim in vſum trãſferuntur, vtrunq; etiam à Galeno ſub antidoti nomine, quòd contra venena exhibeantur, comprehenditur. Nominis itaque ratione reddita, reliquum eſt vt de natura antidotorum, quæ duplex eſt, loquamur. Sunt autem ex antidotis quædam, quæ repercutiunt, & infringunt veluti veneni ictus: quædam è corpore, quod obſedit, id euocant, extrahuntque. Illa eam vim habent vel ob qualitates ſuas, vel temperiem, vel denique ob peculiarem quandam naturam: hæc autem venena expellunt, vel ratione ſimilitudinis ſubſtantiæ, quam inter ſe habent, & ob quam etiam ea attrahunt: vel caloris tenuitate. Quæ autem qualitatibus ſuis aut temperie agunt, manifeſtas operationes ſortiuntur. Quòd ſi contraria contrariorum ſunt remedia, vt certè ſunt, manifeſtum planè eſt, ſiquidem venenum tale vel ob caliditatem, vel frigiditatem, vel ſiccitatem, vel humiditatem excedentem dicitur, antidotum eius vim, aut frigidate ſua, aut caliditate, aut humiditate, aut ſiccitate debere retundere. Quod ſi contingit venenum eſſe vel calidum & ſiccum, vel calidum & humidum, aut frigidum & ſiccum, vel frigidum & humidum, antidotum frigidum & humidum, aut frigidum & ſiccum, aut calidum & humidum, aut calidum & ſiccum erit. Itaque operatio illius, tanquam à qualitatibus, quas Philoſophi apparentes appellant, deſumpta, manifeſta quoque erit. Et quod ad particularem antidoti naturam attinet, talis eſt ea qualis ſequitur. Antidotum enim, quod veneni inſultus retundit, & infringit veluti, duplici contrarietati participat, & tam corpori quàm veneno aduerſatur. Eadem enim inter corpus & antidotum, quæ inter venenum & antidotum eſt proportio, & pari quoque ratione inter venenum & antidotum, quæ inter antidotum & corpus. Hoc primo intuitu difficilius, & repugnans ſibi veluti videtur, ratio tamen hæc eſt: ſi antidotum ſimile eſſet corpori, non maiorem vim pellendi veneni, quàm ipſum corpus habiturum eſſet, & hac ratione ſuperuacaneum foret, aliunde conquirere id, quod corpus ipſum ſuppeditaret nobis. Eodem planè modo

ſi omni-

ſi omnino corpori contrarium eſſet, tantum abeſt, vt quicquam vtilitatis præſtaret, vt mortem quoque accelerarct. Dicimus itaque antidotum inter corpus & venenum medio quodam modo ſe habere, idq́ue iuſta de cauſa, ſi exactè & propriè antidotum appellari debet. Alioqui enim quo magis ab hoc medio diſcederet, & in hanc vel illam partem inclinaret, hoc magis vim ſuam imminueret. Nam cùm ad corporis naturam accedit, in hoc certè vires ſuas labefactat, quòd venenum propria ſua natura perpetuò ſubſtantiam noſtri corporis, & quicquid huic eſt annexum, corrumpit, anteaq́ue non deſinit ſæuire, quàm alia quadam re, quæ diuerſa ab eo natura prædita ſit, fuerit occurſum. Pari ratione ſi magis ad venenum inclinaret, quo magis ipſius naturæ participaret, hoc magis vis etiam ipſius adaugeretur. Periculoſum autem eſt ob cauſam, quam modò attuli, antidotis magna nimis quantitate vti. Abſque dubio enim, etiamſi veneno ſuperiora eſſent, idq́ue euincerent, corpori noxam aliquam allatura eſſent. Quemadmodum etiam minimè conſultum eſt, ijs parua nimis quantitate, quòd periculum ſit, ne veneni vis vehementior euadat vti. Alexipharmaca autem, quæ vim habere extrahendi veneni dixi, id naturæ quadam cognatione, quam mutuò inter ſe habent, & quæ in ſcholis ſubſtantiæ ſimilitudo vocatur, efficiunt: non quòd per ſe ſatis efficax ſit ad procurandum interitum, ſed vt corpori tantùm (quemadmodum de primi generis antidotis oſtendi) ſi quis ea maiori quantitate ſumat, noxam aliquam inferant. Quædam etiam ex ijs hanc vim à calore acquirunt. Calor etenim attrahit, quod experientia in quàm plurimis naturalibus actionibus videre licet. Sed antequam ad explicationem aliarum materiarum, quas in medium protulimus, accedamus, quæſtionem prius, quæ ad hunc modum proponi poteſt, declarabimus. Qui fieri poteſt, vt venenum tam parua quantitate exhibitum, vim ſuam maleficam in omnibus actionibus corporis, animalibus, vitalibus, naturalibus in tam paruo temporis ſpacio exerceat? qui fieri item poteſt vt alexiterium tantam vim retundere poſſit, cùm fieri nequeat, vt tam exiguus liquor per tot corporis partes deferatur? Minimè profectò hoc in loco dubitare oportet, difficilimum eſſe

reddere rationem. Affirmare enim velle cum Galeno, ſubſtantiam veneni, & alexipharmaci non diſtribui per corpus, ſed qualitatem duntaxat illius, quid id, obſecro, aliud eſſet, quàm iniuriam facere principijs naturalibus, quibus edocti fuimus, qualitates abſque corpore non poſſe conſiſtere, præcipuè eas, quæ è primis effectibus ſubſtantiæ, ſuorum corporum proficiſci videntur, quemadmodum calor qualitas eſt, quæ quàm proximè ad ignis naturam accedit. Dicemus itaq; has qualitates ita per corpus diſtribui vniuerſum, vt non ſit neceſſe exiguam veneni portionem ideò ad tot partes (nam id impoſſibile eſſet) deferri: ſed ita hæc accipere oportet quòd venenum quàm primùm corpus occupauit, tanquam hoſtis qui in ipſius perniciem conſpirauit, quicquid primùm occurrit, conuincit, & in propriam ſuam ſubſtantiam conuertit, ſiue ſanguis ſit in venis, ſiue pituita in ventriculo & inteſtinis, & hinc reliquas quoque corporis partes inuadit. Quemadmodum dux exercitus etiam cùm vrbem deditione captam hoſti tradit, quàm plurimos milites, quorum opera poſt acceptum damnum vti poſſit, ad ſe allicere ſtudet. Venenum itaque hac ratione, qua dixi, valentius redditum, per venas, arterias, & neruos ſeſe extendit, & maleficam vim ſuam iecori quoque, cordi, & cerebro communicat, & vniuerſum denique corpus in ſui ſubſtantiam conuertit. Quod verò ad alexiterium attinet, cum debita quantitate fuit aſſumptum, ventriculum petit, ibique calefactum vapores eleuat, qui à ſe inuicem diſiuncti, & per vniuerſum corpus diſſeminati, vi ſua ſimili ei corpori, à quo ſunt eleuati, venenum, quocunque tandem loco occurret, oppugnant. Hinc alexipharmacum exigua mole ſumptum, venenum euincere ob vaporum paucitatem, qui ad tot partes, in quas venenum ſe ea, qua dixi, ratione inſinuauit, deferri nequeunt, non poteſt. Taceo, quòd nullam corporis particulam in ſui ſubſtantiam vt venenum, conuertere poteſt. Quod etiam nec vtile nec neceſſarium eſſet, cùm vitæ damnum potius, quàm vtilitatem aliquam allaturum eſſet.

Redeamus itaq; ad primum tractationis noſtræ initium, & modum venena præcauendi demonſtremus. Diſtinguitur autem hic in tria capita. Primùm domus gubernationem reſpi-

reſpicit. Alterum in victus ratione conſiſtit. Poſtremum in medicamentis. Oportet itaque eum qui à venenis tutum ſe præſtare voluerit, omnem diligentiam adhibere, vt miniſtros quibus tutò fidere poſſit, quoſque à longo tempore cognouerit, & beneficijs quibuſdam deuinctos ſibi reddiderit, eligat. Quod facillimum factu eſt Regibus & Principibus, qui præcipuè his admonitionibus, tanquam quos multi odio ſimul proſequantur, & metuant, indigent. Nam quemadmodum aliquando in Tragœdia quadam noſtra, quam Cæſarem inſcripſimus, diximus.

Is quem ſinguli metuunt, à ſingulis cauere ſibi oportet:
Quilibet enim eum ictibus conficere, ſeu dilaniare cupit.

PRIMVM itaque præceptum, quod Princeps obſeruare debet, eſt vt vitæ & morum integritate amabilem ſe atque acceptum ſubditis ſuis reddat. Et quia rarò fit, vt magni viri eò vſque ſui ipſorum obliuiſcantur, vt quicquam improbè agant: operam dabit princeps, vt miniſtros habeat non ignobiles, nec obſcuro loco natos, ſed fideles & Deum timentes. Medicos etiam qui in ea parte artis medicæ quæ ſimplicium medicamentorum cognitionem ſub ſe complectitur, ſint exercitati, eligat oportet. Cauere etiam oportet, ne vaſa quæ ad menſæ vſum ſeruiunt in loco aperto ponantur, vt hac ratione exploratori occaſio veneficij præripiatur. Munda quoque ea & clauſa ſeruare oportet, pręcipuè cùm vinum aut cibus intus continentur, ne virulentum aliquod reptile ingredi poſſit, vel vini odore ſerpentes alliciantur. Naturaliter etenim ſerpentes, vt quàm plurimæ antiquorum hiſtoriæ, quæ exemplo nobis eſſe debent, teſtantur, vino delectantur. Curioſè etiam ſellas, & frena equorum, ne veneno inficiantur, obſeruare oportet, propterea quòd frequentiſſimè venenum ibi delitescens, ſub femore & in manibus equitantis incaleſcit, & per cutis meatus in corpus ſeſe ingerit, illudque inficit. Quibus ita ad amuſſim diſcuſſis, veneficia deinde rariora fortaſſe erunt. Improbitas tamen hominum eò vſque eſt progreſſa, vt domeſtici ipſi dominis ſuis venenum dare non erubeſcant: cui certè aliter quàm ex ſingulari Dei gratia, qui omnia videt, & occultiſſima quæque reuelat, ſuccurri non poteſt. Et videntur ſanè principes egregiè præcauiſſe ſibi, cùm pincernis ſuis imperant, vt vel vinum, vel edulia

quæ

quæ apponuntur, antequam ipſi quicquam de ijs ſumant, prægustent: qui tamen modus incertus eſt & fallax. Quòd ſi pocillator, vel alius quicunque hero ſuo toxicum præbere in animo habuerit, nequaquam dubitare oportet, eum cum anteà ſe antidoto muniuerit, quòd veneni vim labefactet, citra vitæ periculum gustare ea poſſe: aut certè tam parũ ſumpturum, vt nihil incommodi inde percipiat: aut ſaltem in eo loco, vbi venenum non eſt, aut denique ſi culpa etiam vacat, & nullius mali conſcius ſibi eſt, nihilominus tamen prægustaturum eſſe. Quod tamen non impedit, quo minus herus quoque poſt eum de eo capiat: vt plurimum enim venena hac ratione in cibis exhibita, non tàm citò maleficam vim ſuam oſtendunt, ſed in corpore aliquandiu, antequam quis ea animaduertat, deliteſcunt. Quam ob cauſam is, cui hac in parte periculum imminet, & non omnino tutus eſt, diligentem victus (quod ſecundum præcautionis caput fuit) rationem obſeruare oportet. Vtatur itaque cibis tàm primis quàm ſecundis qualitatibus mediocribus, hoc eſt, qui non ſint nimium, vel calidi vel frigidi, vel ſicci, vel humidi, vel dulces, vel amari, vel ſaliti vel acidi. Venena etenim plerunque, ſi ſaporem ſpectes, talia ſunt gustu, præcipuè ea quæ ob qualitatum exuperantiam agunt, taceo quòd venena plerunque cum dulcibus commiſceri conſueuerunt. Vitandi præterea ſunt cibi colore candido nimis. Nam ſub his metalla quædam venenoſa occultari queunt. Vſus item olerum ſuſpicione non vacat. Nam bonis lethalia quoque admiſceri poſſunt. A cibis quoque non conſuetis in primis abſtinere oportet, quæ facilimè ſapore non conſueto decipere nos poſſunt. Sanguinis item vſus, intermittendus, cum facilimè illi, quo nos vtimur, aliorum animalium venenoſorum ſanguis admiſceri queat. Omnium tamen ſecuriſſimus & certiſſimus præſeruationis modus hic eſt, non diu famem aut ſitim ſubſtinere, idque duabus de cauſis. Primum quòd venæ primæ arctiores redditæ, fameque oppreſſæ ſine vllo diſcrimine in id quod primò incurrit, irruunt, & quia venenum iterum ad ventriculum vel aliò regurgitat, illud quàm celerrimè per corpus, perinde ac ſi eſſet illi nutriẽdo idoneũ alimẽtum, diſtribuunt. Altera ratio eſt, quòd cùm venenum ventriculum plenum offendit, ſæpenumero cibis ſeſe commiſcet,

miſcet, quibus illius vires hebetantur, quas antequam recuperet, ſpacium ſuccurrendi datur. Imò quandoq; cum communibũs, & quotidianis corporis excremẽtis ipſum quoque expellitur. Aliud eſt remedium æquè præſtans, non vti cibis variè mixtis, aut diuerſis ſaporibus conditis: nam ijs commodè venena admiſceri poſſunt.

RELIQVVM eſt, quod ad hanc materiam attinet, vt de ijs medicamentis quæ vulgò præſeruantia, hoc eſt, apta ad præſeruandum nos, appellamus, loquamur. Sunt autem duorum generum, ſimplicia nimirum & compoſita. Simplicia (quemadmodum & compoſita) vel per os aſſumimus, vel circungeſtamus, vel alioqui in promptu, & penes nos habemus. Per os aſſumi poſſunt ficus aridæ, iuglandes, cortex medius caſtaneæ, apium, radix raphani ſylueſtris, rutæ folia ex vino, dictamnus, lauri baccæ, caſtorium naribus admotum, & ſerpyllum vulgare, betonica, nigella, radix aſphodeli cum aqua tepida, cymini ſemen, olibanum, lignum aloës, anethum, agrimonia ex vino, mala citria cruda, rapi ſemen ex vino, folia pulegij ſylueſtris vel calamenthi, terra ſigillata, terra Lemnia, aurei pondere duntaxat ſumpta, arthemiſia, abſinthium, fœniculum, iuniperi baccæ, & quàm plurimæ aliæ plantæ quibus hanc vim prouida natura, vt venenorum incommodis occurri queat, attribuit. Mithridatum autem & Theriaca probè & fideliter compoſita principatum inter omnia antidota compoſita obtinet. A nimia tamen ipſius quantitate cauere oportet. Nam (vt anteà dixi) alexipharmaca propriè ſic dicta, aliquo modo naturæ noſtræ ſunt contraria. Eſt & alia vulgaris antidotus, efficaciſſima tamen, qua olim Mithridates Rex Ponti longiſſimo tempore, vt quidam è veteribus ſcripſerunt, incolumem ſe conſeruauit à veneno. Conſtat autem è rutæ folijs quinque duabus iuglandibus, tribus caryciſ, & ſalis momento, & appellatur Mithridatium minus, ad differentiam maioris, cuius compoſitionem Gal. libro 1. de antidotis docuit. Narrat Plinius Pompeium victo Mithridate, hanc compoſitionem propria manu ſcriptam ſub ipſius ſcrinio inueniſſe. Hæc itaque quod ad medicamenta tam ſimplicia, quàm compoſita, è quibus diuerſa compoſitionum genera pro arbitrio medici experti parari poſſunt attinet dicta

dicta ſufficiant. Nunc de ijs agendum, quæ quis vel collo ſuſpendit, vel alioqui ſecum fert, quæ venena produnt: quibus tamẽ, vt vera fatear, fidere non expedit. Et quod ad me attinet planè dubito, tàm veteres quàm recentiores, qui hæc literis mandarunt, fraudulenta quædam & ſuperſtitioſa illis immiſcuiſſe: nihilominus vt lectori ſatis faciam, modos aliquos præſcribam, facta tamen prius hac obteſtatione, ne quis fidem adhibeat, niſi prius ipſe periculum fecerit. Hic itaque ſcribunt cornu Ceraſtæ (quem Cornutum primo libro vocari diximus) ſeu linguam (quam ſerpentis linguam vulgò appellant) pręſente vipera, aut napello, aut pardi felle exudare: quod Petrus Aponenſis in tractatu ſuo de venenis memoriæ prodidit. Sunt alij, qui pro certo tradunt, lapidẽ Torcoidem ſeu cyaneum à cæruleo colore dictum, ſplendorem ſuum præſente vino amittere: quod tamen experimento nõ vidi, quemadmodum nec in ranæ terreſtris lapide, quem digitum eius qui geſtat, præſente veneno adurere vehementer affirmat. Addunt quidam candelam è dextro vulturis pede factam extingui. Pſittacum etiam ſolito vehementius vociferari, & perdicem etiam enutritam domi caueam ſuam cum maximo clamore dilacerare. Infinita alia ſunt mendacia in medium à Piſone, Medelbo, Simònide, Ariſtodemo, Pherecyde (vt Ætius ſcribit) & Gilberto Anglico, Petro Aponenſi, Alberto Magno, Petro Hiſpano, & alijs, qui etiam characterum necromanticorum meminerunt: imaginis nimirũ ſerpentis cum ſtellis ſuis inſculptæ lapidi precioſo: hominis item genibus flexis ſerpente cincti, cuius caput dextra teneat, caudam verò ſiniſtra: quod totum ex obſeruatione influentis potentiæ quarundam ſtellarum proficiſcitur. Quæ ineptiæ omnes tam parum certitudinis habẽt, quàm parum nos effectus videmus. Negare tamen interim nolo, quoſdam lapides precioſos, Smaragdũ nimirum, Achatem, Sapphirũ, margaritas, & alios in puluerẽ redactos, & per os aſſumptos, veneno infectos ab interitu vindicare poſſe, cuius experientia, ſæpè fidem nobis fecit. Sed quòd collo ſuſpenſi, vel circungeſtati hunc vſum præſtent, vel hanc vim habeant, nullam video rationem. Reliquum igitur eſt, poſteaquam de præcautione locuti ſumus, vt generalem venenorum curationem, quæ tam neceſſaria eſt, vt ſæpenumerò, imò ſemper

ad eam

ad eam recurrere cogamur, tradamus. Nam cùm homo nobis veneno infectus offertur, nondum adhuc quale venenũ aſſumpſerit, conſtat. Quare relicta particulari curationis methodo, communem adhibemus. Bonus tamen medicus, qui diligenter omnia percurrit, exactius paulò per ea quæ ſunt oculis ſubiecta, hoc eſt, ſigna exteriora, quæ in Symptomatibus à veneno dato exortis ſtatim ſeſe produnt è generali particulare colligere poterit: nõ tamen adhuc omnino certus eſt, ſed in genere tantùm nouit vtrum ſit vel calidum, vel frigidum, vel ſiccum, vel humidum. Ventriculi etenim, renũ & veſicæ inflammatio, excoriatio item linguæ & faucium nõ tantùm ob cantharides, ſed Salamandram etiam & bupreſtem accidunt. Vertigo autem ſeu caligatio, ſtupor & refrigeratio in corpore non ob cicutam tantum, ſed mandragoram etiam oriuntur. Indicia itaque primum, quæ ex vniuerſalibus particularia magis, & è primis quatuor qualitatibus deducta ſunt, aſſignabimus. Per has enim veneni malignitas plerunque detegitur, illius præcipuè quod per exuperantiam qualitatum ſiue ſolarum, aut alij particulari coniunctarum, de quo in primo capite primi libri locuti ſumus, agit. Venena itaque calida plerunque ſe produ͂t per acutam omniũ membrorum inflammationem, quæ è ſiti intolerabili, & ſudore continuo, & membrorum contorſione colligitur. Et vbi cum hoc calore peculiaris quædam malignitas occultatur, tum punctio, & intolerabilis ventriculi & inteſtinorum dolor accedunt, animi item deliquium, & ſudores iam calidi, iam frigidi emanant. Venenum frigidum è ſomno profundo cognoſcitur, qui interdum adeò excedit modum, vt non niſi magno labore excitari qui ſic ſunt affecti, poſſint. Nonnunquam cerebrum ita turbatur & afficitur, vt ſæpenumerò ſtultitia & inſania ſubſequantur, vniuerſum corpus refrigeratur, & æger aſpectu eſt pallido & horribili, ſudor erumpit frigidus, & frigore totus riget. Venena autem calida, quæ perpetuò ferè calorem comitem adiunctum habent, os & fauces exiccant cum ſiti quæ mitigari & ſatiari non poteſt. Et quia ſiccitas membra & corporis meatus, membranæ inſtar, quæ prope ignem collocatur, in ſe contrahit, vrina etiam, & reliquæ quoque corporis excretiones quotidianæ ſupprimuntur, & æger vigilijs premitur. Contra venena frigida

inexpugnabile dormiendi deſiderium comittatur vel ventris fluxus cum neruorum omnium & ligamentorum relaxatione, ita vt oculi quandoque è capite procidere velle videantur. Plerunque etiam manus, pedes, aures, nares, & reliquas extremas corporis partes putredo occupat. Quando igitur hęc & ſimilia ſigna apparuerint, facillimum erit ea per ſua contraria euincere. Et quamuis non ita expreſſè venenum cognoſcatur, cognita tamen ipſius ſpecie, curatio aliquo modo etiam diſtincta eſt. Quòd ſi contingat, hæc vel ſimilia accidentia abeſſe, & ſudor tantum adſit paucus & frigidus, magno argumento erit, venenum ſubſtantiæ tantum proprietate, & non qualitatum exuperantia agere. Quá ob cauſam ijs, quæ aduerſantur illis, vti poterit. Quod prudens Medicus poſt communia omnibus venenis adhibita remedia demum faciet, quæ primum ex ijs rebus, quas medicorum vulgus non naturales vocat, proficiſcuntur, deindè è medicamentis. Res non naturales ſeptenario numero comprehenduntur. Sunt autem aër, cibus, potus, motus, quies, ſomnus, vigiliæ, fames, ſatietas, animi accidentia, Venus. Quod itaque ad aërem attinet, eligatur quàm maximè fieri poteſt, lucidus, ſerenus, mitis, mediocriter & calidus, & frigidus. Quòd ſi venenum frigidum fuerit, cubiculum ægri ſuffitu facto ex rebus odoratis præcipuè, calefacere: ſin calidum, contrarijs refrigerare oportet, ſuffitu facto è rebus infra poſitis, vt myrrha, ſandalis, aloë, & alijs quæ veneno reſiſtendi vim obtinent. Cibus ſit qui bene nutriat, & ex ijs rebus quæ veneno repugnant, paretur, quale eſt lac aſininum caprillum, vaccinum, & lac mulieris benè habentis ſe, præcipuè cùm venena calida ſunt, & acria. In genere tamen cibis vtendum pinguibus, & viſcidis, propterea quòd meatus obſtruunt, & ne venenum tam facilè per vniuerſum corpus diſtribuatur, impediunt, acrimoniamque eorum hebetant. Ex vſu itaque erunt medullæ, butyrum, cerebella veruecum, pullorum, & aliorum animalium, & herbæ hic præcipuè idoneæ, quarum in primo libro meminimus. Vini præterea generoſi vſus, vt ſæpè in hoc libro admonebimur, huc accómodatiſſimus eſt. Motus verò præſertim à principio, obeſt: venenum enim intrò ad intimas corporis partes pellit, quod præcipuè debet cauere medicus, ne ſcilicet ea exhibeat, quæ

venenum dum adhuc cõmoratur in ventriculo,aliò diſpergi faciant. Somnus ſuperfluus vitandus eſt. Nam quicquid in corpore continetur facilius & promptius multo in ſomno, quàm vigilijs à circumferentia ad centrum mouetur. Neque nimis ieiunum eſſe oportet: cibus enim & potus cùm in vẽtriculum deſcenderunt, veneni malignitatem reprimunt. Animi item affectus ſunt cauẽdi, quod commune præceptũ eſt in omnibus morbis, præcipuè verò Veneris vſus. Nihil enim eſt quod magis calorem natiuum,qui tamen præcipuũ aduerſus venena præſidium eſt, diſſipet atque deſtruat. Reliquum eſt vt in genere loquamur de modo curandi per medicamenta (nam in ſecundo loco propoſueramus) quorum aliqua intrò per os ſumuntur, quædam verò extrinſecus applicantur. Quæ per os aſſumuntur, duabus de cauſis exhibẽtur. Primum vt venenum,ſi fieri poteſt,expellant: deinde vt euincant atque expugnẽt. Expellitur autem venenum aut per ſuperiora aut inferiora. Quæ per ſuperiora expelluntur, ea ſunt quæ vomitũ mouent, quibus ſtatim poſt aſſumptum venenum vti vtiliſſimũ eſt,hoc eſt, cùm adhuc in ventriculo continetur. Nã cùm ad inteſtina deſcendit,enematibus euocãdum erit. Vomitum autem ciet decoctum ſeminis maluę, vel lini,vel fænugręci,& id genus alia. Neq; enim hoc tãtum pręſtant,ſed vim etiam veneni hebetant,atque extinguunt. Quòd ſi fortè æger his omnibus ita adhibitis, adhuc nõ vomuerit,conſultũ eſſet ei medicamentum,quod per inferiora expelleret,quale eſt rabarbarũ,exhibere. Secũdus modus venena expugnandi vſu Theriacæ & Mithridati, aut aliarũ cõpoſitionũ,quę ex arbitrio prudentis medici,& prout neceſſitas poſtulauerit,parari poſſunt,adimpletur. Extrinſecus etiã remedia quædã adhiberi poſſunt. Vt balneæ,ſudatoria ſicca, quę tamen nõ ſtatim à principio,ſed longo tẽpore pòſt,quàm quis veneno infectus fuit, vt hac ratione opera externi caloris,venenum ad partes externas extrahatur, adminiſtrari debent. Eadem de cauſa cucurbitulæ quoque cùm venenũ iam intimas corporis partes occupauit, cõueniunt. Alioqui enim tantum abeſt vt quicquam perficiant,vt interitum etiã (quẽadmodũ iam diximus) accelerent. Quibus ita expoſitis,reliquũ eſt,vt in ſpecie de quolibet veneno loquamur. Sed antequàm rem ipſam aggrediamur, prius quæ difficiliora in hac

 Nican-

Nicandri de Alexipharmacis librum præfatione videntur, explicanda ſunt, quem ad amicum ſuum Pythagoram ſcribit. Habitabat is Cyzici Aſiæ vrbe, quæ ſita eſt in littore maris Helleſpontici, in inſula, quæ terram ob pontem quendam contingit, ad radices montis, qui à Græcis Arctos dicitur: quo in loco ſpecus quidá, in quo Rhea Deorum mater olim ſacellum in honorem Atthis, qui pecuarius erat, cuiuſque amore flagrabat, propterea quòd perpetuò dum gregem ſuũ cuſtodiret, laudes illius decantaret, ædificauerat. Fuerat autem Iouis inſtinctu, qui infamiam matris ſuæ Rheæ, Lobrinę denominatæ, quòd illi in Lobrino Phrygiæ monte, vt interpres Græcus aſſerit, ſacra fierent, ab apro interfectus. Nicander autem è Colophone Ioniæ, quæ Aſiæ minoris regio eſt, & hodie Natolia dicitur, vrbe oriundus erat. Prope Colophonem autem vrbs eſt clarus dicta, in qua templum eſt Apollini olim dicatum, & piſcina, de cuius aqua ſi quis bibiſſet, oracula edebat, & ad quælibet interrogata reſponſa ferebat. Hinc Apollo clarius cognominatus eſt, & Deus qui à longinquo iaculatur, propterea quòd à ſummo cælo (quia ſol eſt) nos qui in terra ſumus infima radijs ſuis contingat: Homerus eum ſæpè ita vocat, vt primo Iliadis, cùm de Calchante loquitur:


Loquebatur vaticinia ſciens
Procul iacientis, vel ſagittarij &c.

HAC in regione porrò Ion & Achæus, Creuſæ, & Xenthæ filij, terras quas in Epeiro Græciæ regione, hodie Albania dicta, poſſidebant, partiti ſunt. Nicander itaque hunc librum Protagoræ dedicaturus, ſcribit, etiamſi longo locorum interuallo à ſe inuicem ſunt diſiuncti, eum nihilominus tamen illi, qua ratione venenis occurrere, eaque propulſare queat, oſtenſurum.

DE

DE ACONITO.

CAPVT II.



Ἀκόνιτον, Aconitum.

ACONITVM Græcis ab vrbe Acone, quæ portus eſt in mari Pontico, vbi hæc planta copioſiſſimè naſcitur, denominatum eſt: præcipuè verò ad ripas Acherontis, prope ſpecum Acheruſiam, quam Poëtæ antiqui portam inferorum appellabant, frequentiſſima prouenit. Hanc ob cauſam ſcripſerunt Aconitum è Cerberi canis tricipitis inferorum cuſtodis ſpuma originē duxiſſe, qui cùm ab Hercule catenis alligatus eſſet, & ex inferno extractus, ſpumam è faucibus anteà proijcere non deſtitit, quàm ex ea aconitum generatum eſſet. Hinc Ouid. 4. Metamorph. cùm Aconiti meminiſſet, id oris Cerberi ſpumas duntaxat appellat. Locus eſt in deſcriptione veneni, quo Athamas in furorem à Iunone actus fuit. Alij quòd in dura caute naſcatur, aconitum appellarunt, quemadmodum Ouid. lib. VII. Metamorphoſeon ſcriptum reliquit, & Nicander dixit:

In ſaxis petroſis naſcens oritur.

ACONITVM alij dici putant à vocabulo Græco ἀκονιτὶ, id eſt, abſque puluere, quòd iuxtà nullus puluis interueniat. Hæc quod ad nominis ſignificationē, quam partim ex Theophraſti nono libro de hiſtoria animalium, & Ouidio loco citato, partim etiam è Plinij quibuſdam locis huc tranſtuli, at-

 tinet,

tinet, dicta ſufficiant. Sunt autem Aconiti quatuor genera. Primum, Dioſcoride teſte, folia habet cucumeris, minora tamen & ſubhirſutæ, caulem palmo altum, radix ſcorpij caudam emulatur. Et de hoc pręcipuè Nicander locutus eſt, imò, ſi verum fateri debeo, hoc ſolo. Præterquam enim quòd non diſtinguit Dioſcorides, eadem cognomina etiam, quæ Poëta noſter illi tribuit. Vocat enim Pardalianches, cammoron, teliphonon, myoctonon, & theriophonon denique, hoc eſt, ferarum occiſorem. venatores enim ex hoc Aconiti genere, paſtam qua Pantheras, & reliqua ferè animalia omnia, mures item & glires occidebant, parare conſueuerant. Theliphonon autem ideò dicitur, quòd radix ipſius fœminarum pudendis imò quadrupedibus animalibus omnibus impoſita, ſeu extrinſecus adhibita, eas vno die interficit. Reliqua duo genera communi nomine à Dioſcoride cynoconon & lycoctonon dicta ſunt. Priore (quemadmodum ſcribit) venatores vtebantur: alia duo in vſum ſuum vertêre medici, è quibus tertium Ponticum peculiari nomine cognominatum eſt, folia habet effigie platani, crebriore diuiſura, longiora & multò nigriora. Caulem cubitali altitudine, aut ampliorem, filicis pediculo ſimilem, ſemen in ſiliquis oblongis recondit, radices in modum ſquillæ marinæ cirrorum nigreſcunt.

Secun-

Secundum & Tertium Genus Aconiti.



Dvo reliqua genera ab hoc non multum differunt, niſi quòd folia breuiora habent,& florem diuerſum: ſecundum præſertim, quod omnino diſſimilem profert, vt ex iconibus ſuprà poſitis colligere licet. Primi autem generis effigies è Matthiolo, qui id vidiſſe ſe teſtatur, deſumpta eſt. Scio acriter illum fuiſſe reprehenſum, ego tamen eum tam audacter, vt quidam, mendacij accuſare non auſim, cùm dignus ſit cui fidem etiam in rebus maioris momenti adhibeamus, vt ego quidem firmiter exiſtimo, etiamſi teſtimonio eorum, qui plantam hanc, vt ipſe teſtatur, viderunt, deſtitueretur.

Huc effigies quarti generis aconiti pertinet.



SIGNA autem quibus cognoſci poteſt, aliquem aconito infectum eſſe, ex accidentibus, quæ pòſt declarabuntur, manifeſta fiũt, ex aſtrictione nimirum omnium oris partiũ, qualem nos cùm vel omphaciũ, vel aliquod aliud vehementer acerbum aſſumpſimus, percipimus, nihilo minus tamẽ, vt Dioſcorides refert, cum hac aſtrictione in principio dulcis quidam ſapor commixtus eſt, propterea quòd ſanguis dum primum à ſuo contrario moueri incipit, hanc dulcedinem linguæ communicat, quæ deinde perinde ac reliquæ quoque circunuicinæ partes omnes ob humiditatem & vim aconiti putrefacientem, conſtringitur, ſanguine exhalante. Quàm primùm autem in ventriculum deſcendit, eam partem potiſſimum, quæ exactiore ſenſu prædita eſt, hoc eſt, os ipſius, quod Græci Pyloron vocarunt, arrodit, eoque in loco morbi genus, quod vulgo Cardiacam appellant, introducit: non quòd cor ſit affectum, ſed ea tantùm quam modò diximus, ventri-

ventriculi pars, quæ à veteribus quibuſdam Cor dicta fuit, quemadmodum Galenus aſſerit lib. 11. de placitis Hippocratis & Platonis, cum ori & ventriculo vicinam eſſe cordis ſedem affirmat, quemadmodum primo libro, cũ ſimile quoddam vocabulum interpretaremur, admonuimus. Et quandoquidem aconitum vehementis aſtrictionis particeps eſt, ita ventriculi fundum in anguſtum coarctat, vt penitus ferè claudatur, quo fit vt ob reſolutionem humorum à putredine genitam, flatus & vapores maligni exurgant, qui delati ad caput grauitatem, & tremulum arteriarum motum, & hinc ad oculos perreptantes caligationem, ita vt omnia geminata conſpiciantur, inducunt. Hinc lachrymæ inuoluntariæ copioſæ, quod certiſſimum argumentum eſt ſubſtantiæ cerebri colliqueſcentis, & quia pars vaporum inteſtina quoque petunt, flatus, qui in vmbilici regione percipiuntur, & quandoque aut naturæ robore, aut copia inteſtina diſtendente erumpunt maximo cum ſtrepitu, excitant. Humores autem fuſi & colliquati ob vehementem veneni putredinem, vniuerſum corpus in tumorem, ita vt hydropicis non ſint abſimiles ægri, attollunt. Quam ob cauſam etiam grauitatem, & pondus veluti quoddam in ventriculo percipiunt. Quibus ita apparentibus, minimè dubitare oportet, ſed quàm primum ad curationem properare. Primò omnium itaque, ſi fieri poteſt, venenum vomitu, aut clyſtere educi, præcipuè ſi quis adhuc in ventriculo & inteſtinis contineri exiſtimat, debet, & ante omnia diligenter obſeruare ea, quæ in primo capite propoſuimus. Vbi Nicander dixit, remedia ſpecialia tum demum conferre, cùm cibus qui tardè concoquitur, è ventriculo per aluum ſubductus fuerit. Deinde itaque remedia particularia applicari poſſunt, & calcis viuæ, quantum manu comprehendi poteſt, ſumi cum vini cotyla. Calx enim ſicca eſt, & hac ratione putredini aconiti reſiſtit. Huc referendum etiam abrotonum, marrubium, ruta item cum aqua mulſa pota, quæ omnia peculiari quodam Naturæ munere, ſicut libro primo eſt oſtenſum, ea vi prædita ſunt, vt venenis aduerſentur, præcipuè verò ruta eam aduerſus aconitum proprietatẽ obtinet, vt qui manè de ea aliquid ſumpſerit, tutum ſe ab eo præſtet, atque illæſum, vt Athenæus è Theopompo libro III. tranſſcripſit. Chamelæa ſeu oleago

ſurculoſa fruticat, ramis dodrantalibus, folia oleæ ſimilitudinē habent, tenuiora & amara, & guſtata linguam mordent. Quam ob cauſam ventriculū etiam hoc veneno turgidū exiccant, atq; expurgant. Adhæc vinum, vel aqua in qua vel ferrum, vel ferri recrementū, vel aurum, vel argentum candens reſtinctum ſit, vim habet vt veneni tranſitum impediat, putrediniq; facultate ſua exiccante, quam ab igne accepit, reſiſtat, ventriculumq; purget. Cæterum Iua quā moſchatam vocant, peculiare, Dioſcoride teſte, aduerſus aconitum remediū eſt, ſiue in iuſculo, vt ipſe voluit, vel vino, vt Nicāder ſcripſit, aſſumatur. Eſt autem parua herbula, in terra repens, folijs ſemperuiui minoris, multò tenuioribus, hirſutis & pinguioribus, odore pinus, hinc quidam terreſtrem pinum appellarūt, flore tenui, luteo, radice cichorij. Dicitur etiam Iua Arthetica, quòd articulorū vitijs medeatur probè. Origani radix, & Polijcnemi (qua planta nos hodie caremus) calidæ & ſiccæ ſunt, Galeno teſte, & ob hoc putredini quoq; reſiſtunt. Intrita etiam vituli & pullorum (qui inter aues domeſticas connumerantur) in magno habentur pretio, proptereà quòd & ventriculum roborant, & piguedine ſua corporis meatus obturant, neq; venenum tam facilè per vniuerſum corpus feratur, impediunt: ijs tamen anteà non vtendum, quā quis alijs vſus fuerit remedijs. Inter quæ ſuccus balſami arboris recenſetur, quæ Dioſcoride & Plinio teſtibus in Iudæa ſolū & Ægypto naſcitur, quāuis poſt illorum tempora non defuerint, qui eam in Italia viſam fuiſſe aſſeruerint. In Gallia certè ignoratur. Habemus quidem ſuccū, qui ex arbore manat, quem opobalſamum vulgo vocant. Hiſtoria tota copioſè à Dioſcoride lib. 1. & à Matthiolo in commentarijs eſt deſcripta. Succus autem calidus eſt & ſiccus, & ob hoc putredini aconiti reſiſtit, & cum lacte muliebri (vt Nicander voluit) aſſumi debet, quod & ipſum veneno aduerſatur, vel ſi non ſuppetat, aqua. Coagula item leporis, aut hinnuli magna vi aduerſus aconitum pollent, & ſingula ferè, proptereà quòd exiccant, digerunt, & ſuo acore mundificant. Ex vino, vt Poëta noſter ſcripſit, vel aceto (vt Dioſcorides voluit) aſſumi debent. Et vbi alia remedia deſunt, mori quoque radicem accipere poſſumus, eamque in mortario tritam cum vino decoquere, & ius illud cum pauxillo mellis potui dare. Mori etenim radix,

præcipuè verò cortex ipſius expurgandi vim, qua venenum quoque expellit, habet. Nolo autem ſilentio præterire medicamentum, quo nos quotidiè in quàm plurimis alijs morbis vtimur, vinum nimirum abſinthites, quod facultatem habet exiccandi & abſtergendi, & peculiari dote aduerſus venena præditum eſt. Dioſcorides illud cap. de aconito, vbi eiuſmodi compoſitionem parat, commendat. Accipit opobalſami drachmam, admixto mellis, lactis, caſtorij, piperis & rutæ ſingulorum pari pondere, & totum è vino potui dat. Sed hęc hactenus, quod ad naturam & accedentia, quæ aconitum aſſumptum ſubſequi ſolent, pertinet, è quibus facilimè colligere licet, id eſſe frigidum & humidum, vt doctiſſimè Gorrhæus ſcripſit, cum remedia ipſius calida ſint & ſicca. Habet tamen præter hæc naturam putrefacientem peculiarem ſibi. Inter ea ergò venena referendum meritò, quæ tota ſubſtantia ſua humanæ vitæ aduerſantur. Iiſdem remedijs porrò ij etiam, qui mel, quod Dioſcorides in Heraclia Ponti, vbi aconitum quoque prouenit, naſci tradit, ſumpſerunt, ſanitati priſtinæ reſtituendi ſunt.

DE CERVSSA. Cap. III.

Ψιμμύθιον. Ceruſſa.

CERVSSA, aliàs album Hiſpanicum dicta, venenum eſt factitium. Fit autem è plumbo ab acerrimo aceto ſoluto & liquato, quemadmodũ Victruuius, & ante illum Dioſcorides lib. v. docent. Quod ideò fecit, quòd alia multa accidentia quæ corpori extrinſecus adueniunt egregiè proficiat. Qualia ipſe eodem in loco deſcribit. Medicamentum eſt vulgò cognitum, præcipuè mulieribus, quæ cum nihil quicquam præter formæ elegantiam in maiori precio habeant, arte id, quod à natura denegatum illis eſt, comparare ſibi ſtudent. Signa autem per quæ cognoſci poteſt aliquem ceruſſa infectum eſſe, hæc ſunt quæ ſequuntur. Primùm ſe ipſa colore ſuo prodit. Nam cùm lac repræſentet, linguam & gingiuas, quibus adhæret, candido colore infi-

inficit. Prætereà cùm ventriculum iam occupauit, pulmonibuſq; tam qualitate ſua frigida & ſicca iam eſt communicatum, quam portione quadam, quæ relicta eſt, faucibuſq; adhæret, tuſſim ſiccam, hoc eſt, cum qua nihil expuitur, etiamſi aliquandiu perduret, commouet. Huic accedit ſingultus, & vomendi deſiderium, quod ſignum eſt intemperaturæ ſiccæ ventriculi, quam iam anteà primo libro declaraui. Ab hoc inſuper veneno vapores eleuantur, qui quia refrigerantur, & in cerebro moram trahentes congelantur veluti, ægrum ſomnolentum omnino reddunt, qui ante oculos phantaſmata quædam conſpicere ſe putat. Cerebrum enim cùm ſit turbatum & refrigeratum, conſequenter reliquos quoque ſenſus, qui ab eo initium ducunt vnà ſecum perturbat, & corpus denique vniuerſum ob partium omnium inter ſe colligátiam & conſenſum. Auicenna alia quædam ſigna adijcit, animi videlicet deliquium (quod commune ferè ſignum eſt omnibus venenis) quod ob orificium ventriculi læſum accidit. Aſperitas adhęc fauciũ & linguæ à ſiccitate & frigiditate veneni introducta, adeſt, & eandem ob cauſam etiam os ventriculi, & ventriculus ipſe dolores ſentiunt pungentes, ructuſque æger cum magna difficultate emittit. Corpus vniuerſum album apparet, & vrina quandoque ſanguinolenta, quandoque nigra redditur, veneno iam ad extremas partes delato, factaque maxima humorum colliquatione. Atqui primus modus vindicandi ægri ab interitu eſt, vt quàm primum, ſi fieri poteſt, ad vomitum cogatur, vel vt venenum, quod hauſit, per aluum excernat. Quamobrem omnia pinguia & oleoſa vtrique ſcopo accommodata erunt, vt tria genera oliuæ, præmadia, orchas, & myrtina, quæ Nicandri ætate, vt Scholiaſtes Græcus vult, ita appellabantur. Tale quoq; lac eſt à quo quis cùm quieuit parũ, pelliculam illam in ambitu, & quæ à Græcis γρυὴς, hoc eſt, vetula ſeu anus, proptereà quòd rugis vetularum inſtar ſit oppleta, dicitur, extraxit, quòd, vt ego quidem exiſtimo, vim quandam deſiccandi habet, huic veneno oppoſitã. Eiuſdẽ efficacię maluæ quoque decoctum eſſe creditur. Viſcida enim cùm ſit, & calida & humida, hoc magis ſiccitati & frigiditati ceruſſæ reſiſtit: quemadmodum ſeſamum quoque, cuius ampliori deſcriptioni, cùm in ea rei herbariæ ſcriptores tantum inter ſe diſſideant, ſuper-

ſuperſedebo. Galenus ait pingue eſſe & lentum, & hoc maximè aptum, & ea præſtet, quæ Nicander ſcripſit. Vti adhæc poſſumus, ſi Dioſcoridem ſequimur, oleo amaracino et irino, aut decocto ficuum & prunorum, vel gummi iuglandis, pruni & thuris lachryma. Iam cùm quis ſuprà poſita ad ciendũ vomitum, & venenum euacuandũ exhibuit, os lixiuio è cinere ſarmentorum vitis facto colluere oportet, ita vt ad ventriculum etiam portiuncula aliqua deſcẽdat, nam vim quod reliquum veneni ſupereſt expurgandi, quod tam ori ventris, quàm ventriculo ipſi adhærere poſſet, habet. In quem finem Dioſcorides hordei decoctum, & aquam mulſam, quod vim habeát abſterſoriam imperat. Et quia Perſicorum oſſa amara ſunt & calida, minimè dubitare oportet, ea facultatẽ habere abſtergẽdi, & frigiditati veneni reſiſtendi. Arbor autem quæ fructum hunc profert, Latinis Perſica dicitur, quod Perſeus Iouis filius eam à Cepheo quodã dono datam ſibi omnium primus plantauerit Mycænis. Quod contigit poſt victoriam quam aduerſus Meduſam, quæ alioqui Gorgone dicirur, obtinuit, cui caput enſe, quem à Mercurio mutuò acceperat, amputauit. In mandatis autẽ illi dederat, vt quocunque enſis capulus decideret, ibi vrbem cõſtrueret. Id quod re ipſa præſtitit, cùm vidiſſet ad Melanthium montem decidiſſe. Hanc autem vrbem in Æthiopia ſitam, olim Peloponeſum dictã, Mycęnas appellauit. Et dum eam ædificaret, nympha quædam Langæa quam vim oſſa Perſicorum aduerſus venena poſſideant, illi commonſtrauit. Et hęc ferè ſumma eſt fabulæ à Nicãdro adductæ. Sed vt ad inſtitutum redeamus, ſi quis ſuprà poſitis remedijs vſus eſt, balneum tam ad veneni portionem quandam, quæ fortaſſe iam extremas quoq; partes occupauit, attrahendum, quàm ad frigiditatem, & ſiccitatem illius corrigendum, parare oportet. Quòd ſi fortè accidit, vt ea remedia quæ iam anteà præſcripſimus, in promptu haberi nequeát, vtiliſſimum erit, vt æger magnam vini & cibi copiam aſſumat. Præterquam enim quod vinum ſua caliditate huic veneno aduerſatur, ſæpènumero cum plus ſolito illud hauſit, vomitũ ciet, aut certè cum cibo vim veneni extinguit. Expedit item exhibere Mithridatiũ, theriacam, vel vinum meracum album, & mouere vomitum, rapi & atriplicis ſemine, & clyſteribus ex decocto caulium & oleo aluum

ſubdu-

ſubducere. Manifeſtum igitur eſt tàm accidentium, quàm remediorum, de quibus egimus, ratione, ceruſſam eſſe è genere eorum venenorum, quæ ob qualitatum exceſſum humanæ naturæ è diametro repugnant: non tamen omnino peculiari quadam malefica vi carere, & cùm è duobus frigidis & ſiccis, aceto nimirum & plumbo, ſit parata fieri, nequit, vt perpetuò illorum naturam quoque ſeruet.

DE CANTHARIDE. CAP. IIII.



Κανθαρίς. Cantharis.

CANTHARIS ſpecies eſt muſcæ, à Græcis ita vocata ob ſimilitudinẽ, quam cum Scarabeo, quem Cantharum appellant, habet. Aurũ colore æmulatur, aſpectu iucundo, ob lineas luteas quas varias & in pennis tráſuerſas habet. Plerunque in fraxino, & quàm plurimis alijs arboribus, quarum folijs nutritur, perinde ac bombyces mori, naſcitur. Inter ſegetes nonnunquã inuenitur, & ob hoc à Nicandro fruges cõſumere dicitur, & frequentiſſima eſt in regionibus calidioribus, vt in Italia, temperamento calida & ſicca eſt, idq; in ſummo gradu. Hinc erodere, & adurere poſſunt, & venenoſæ ſunt, non ob extremam caliditatem & ſiccitatem duntaxat, ſed ob peculiarem quandam naturæ contrarietatem etiam, qua natura eos aduerſus nos dotauit: quod facilimè ex accidentibus, quæ mox declarabuntur, & primum in quibuſdam corporis partibus vt renibus & veſica ſe produnt, cognoſcere licet.

licet. Primùm autem ſignum è quo colligi poteſt aliquem hauſiſſe cãtharides, in odore & guſtu apparet: Olfactu enim picem liquidam referunt, guſtu cedriam, quemadmodum Dioſcorides lib. VI. prodidit: quæ tamen à Nicandro mutuatus eſt. Cùm itaque ventriculum iam occuparũt, propriæ naturæ ſuæ (quæ autem ea ſit, diximus) inſtinctu primum eas partes omnes quas perreptant, vt labia, os, fauces, erodũt, atq; exulcerant. Dolorem prætereà vehementiſſimum in ea regione ventriculi, quæ eſt prope os enſiforme, quod nonnulli vt Picardi furculam vocant, & quo in loco exactiſſimè ſentit, excitant. Hinc ad inteſtina deſcendunt, & per venam portam ad veſicam vſq; deferũtur. Sed quia per anguſtos meatus feruntur, partes, quas contingunt, exulcerant, atque abradunt. Quò fit vt talia per aluum excernant, qualia in torminibus inteſtinorum egeri ſolent, vrinamque difficulter, ſæpè etiam ſanguinem per eam reddãt. Nam quia vrinę ductus exiccant, eam omnino ſupprimunt. Sanguis item corruptus, & plus æquo ab hoc veneno incenſus febrem ardentem commouet, quam deinde furor & phrenitis comitantur, animi item deliquia & mors denique, niſi quis primum ſolicitè & diligenter medicamentis vomitum elicientibus, & clyſteribus aluum ſubducẽtibus ſuccurrat, quemadmodum ſuprà monuimus. Vomitus proritandus, Nicandro autore, decocto capitis porcini, vel agnini, vel caprini. Cerebella enim omnium animantiũ cum lentore quodã prędita ſint, difficilimeq; concoquantur, ſuccũ generant craſſum, vomitumq; mouent, quod melius præſtant, ſi cũ lini ſemine, quod craſſum eſt, & flatulentum, elixentur. Nam & ventriculũ laxat, & aluum lenit, & acrimoniam maleficamque vim Cantharidum obtundit. Quod iura carnium pinguium quoq; præſtant omnium, quibus ita infarciendus eſt ventriculus, vt tandem ea vel hoc modo vomitu, vel digito in fauces emiſſo, reijciat. Clyſteres item è lacte parandi ſunt. Præterquam enim quòd lac egregiè omnes corporis ſordes abſtergit, eam quoq; vim poſſidet, vt reſtinguat, & aliquo modo temperet caliditatem & ſiccitatem cantharidũ, quam ob cauſam ſanè conſultiſſimũ fuerit ægro lac propinare. Quod ſi alia remedia deſiderentur, Dioſcoride monente, ſeminis lini, maluæ, fænugræci, & ibiſci radicis decocto vti poſſumus. Poſtea ea quoque adhibere,

quæ

quæ peculiari quadam vi, & venenum expugnent, pollent, quale eſt pulegium, de quo in primo libro locuti ſumus. Neque enim Cantharidibus qualitate ſua (calidum enim eſt & acre) ſed ſpeciali quadam naturæ ſuæ propietate, quæ à Græcis ἀλεξιφάρμακον dicitur, aduerſatur, & non illis tantum, ſed reliquis quoque omnibus contrarium eſt. Hanc potionem è pulegio Ceres (vt Nicander refert) aſſumpſit, tum cùm tota mœrens eſſet ob amiſſam filiam Proſerpinam à Plutone inferorum Deo raptam, & hoſpitio exciperetur in ædibus Hippotoontis filij Neptuni, ab illius coniuge Metanira. Cui Ceres cùm vinum oblatum bibere recuſaret, in mandatis dederat, vt aquam illi, cui pulegium admixtum eſſet, porrigeret. Interim Iambe è Thracia oriunda, Metaniræ ancilla, fabulas & alia ridicula verſibus recitabat, qui deinde Iambici ab ea ſunt denominati. Vinum præthereà naturã habet contrariam omnibus venenis, & ob hanc cauſam rarò illius Nicander obliuiſcitur in ſuis alexipharmacis: quemadmodum hic etiam minutarum in vitibus gemmarum meminit, eaſque reliquis commiſcet, cùm vim habeant abſtergendi & refrigerandi. Imperat præthereà herbæ cuiuſdam, quæ radicem habet aculeatam, & aſphodelo ferè ſimilis eſt, vſum. Quæ autem ea ſit, diuinare non potui, cum nec ipſe, nec interpres Gręcus mentionem fecerit. Quò in loco certè Lonicerus, Latinus interpres in ſuis annotatiunculis deceptus eſt, vbi hunc textum ita exponit, vt aſphodelum, ſeu haſtulam regiam ipſam intelligat. Drachmæ præthereà quatuor terræ Samiæ aſſumi poſſunt. Proficit ea aduerſus Cantharides duabus de cauſis: Primum ob naturæ ſuæ ſpecialem quandam proprietatẽ: deinde ob temperamentum aliquo modo frigidius, quo caliditatem cantharidum hebetat, fluxumque ſanguinis reprimit, & vlcera inteſtinorum, quæ cantharides potas comitari diximus, ad cicatricem perducit. Dicta autem eſt Samia ab inſula Samo, in qua è fodina quadam Phylli appellata prope regionem Imbraſidem, ab Imbro flumine Inſulæ Sami cognominatã, deſumpta eſt. Fuit autem (vt Nicáder teſtatur) ab ariete Nymphis, quæ in inſula Samo degebant prope Cercetum fluuium, qui eandẽ inſulam præterfluit, primùm demonſtrata. Alius præthereà Antidoti poſt Nicandrum, Dioſcorides & Galenus meminerunt, cum octo drachmas paſſi,

cum

cum rutæ ſucco & oleo irino, ſeu roſaceo miſcent. Nam & paſſum & ruta eam vim per ſe habent, oleum autem aptiſſimum eſt, vt acrimoniam Cantharidum infringat, eaſque per inferiora expellat. Plura prætereà medicamenta habemus, quibus in hoc caſu vti poſſumus, & quę multum tam ab antiquis, quàm recentioribus ſcriptoribus commendantur: ea tamen, quia hæc de quibus locuti ſumus, ſufficere videntur, facileque comparari poſſunt, præteribo.

DE CORIANDRO. CAP. V.



Κόριον. Coriandrum.

CORIANDRVM planta eſt vulgaris notitiæ. Caulem habet admodum exilē, ſeſquicubitali lōgitudine, ramis numeroſis, folijs in principio adiantho, quod capillū Veneris appellari diximus, & pòſt cùm adoleuit, fumariæ ſimilibus, radice breui, dura & capillacea parum Dioſcorides, Galenus, & Auicenna, quod ad naturam & facultates Co-

 riandri

riandri attinet, plurimum inter ſe diſceptant. Dioſcorides etenim libro tertio Coriandrum frigidũ eſſe ſcripſit. Quod Galenus reprehendit, contrariumque probare libro ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, nititur. Auicenna tertius acceſſit, & Galenum vt Dioſcoridem defenderet, reprehendit. Ego tamen mallem ſequi opinionem, cuius primùm euidens ratio reddita fuiſſet ab Hippocrate, & deinde à Galeno, quàm aliorum duorum ſententiam pertinaciter tueri. Quòd ſi de primis qualitatibus ex ſecundis iudicium ferre licet, tàm guſtu profectò & odore, quàm tota ſua ſubſtantia calidum potius, quàm frigidum eſſe deprehendemus. Neque verò hîc ad conciliandum hos duos præſtantes viros dicere oportet, coriandrum recens frigidum, vetus calidum eſſe. Neque enim fieri poteſt vt qualitates duæ tàm diuerſæ, frigiditas ſcilicet & caliditas, ita immutentur, verum autem eſt, recens plus habere humiditatis, quàm vetus. De quo in ſequentibus agemus.

VTILITAS quam quis è Coriandro percipit præcipue eſt in ſemine, quod paruũ eſt, rotundũ & ſolidum. Cùm autem præparatur, vt ventriculi concoctionem iuuet, & vaporem aſſenſum ad cerebrum impediat, in aceto vt plurimum maceratur, & exiccatur deinde. Hac enim ratione vis ipſius malefica tolli traditur. Sed vt liberè dicam quod ſentio, quomodo ſit venenoſum non video, niſi fortè venenum ipſius tam debile ſit, & tam exiguæ efficaciæ, vt vim ſuam non niſi magna quantitate aſſumptum exerceat, qua ratione optima quæque etiam venenoſa dici poſſent, cùm ſi quis ea maiori quantitate quàm par eſt, ſumat, aut mentem turbent, aut eum, qui vſus eſt ijs, ſtrangulent. Quæ ideò à me dicuntur, quòd Coriandrum ſerpentis Amphisbænæ, de qua in primo libro egimus, morſui opitulatur: quemadmodum Plinius libro ſecundo affirmat.

DICEMVS itaque vel plantam ipſam viridem adhuc, vel decoctum illius, vel ſemen maiori quantitate, & nullo diſcrimine habito aſſumptum, præcipuè verò ſi ſyluestre eſt, venenoſum eſſe. Neque enim dubitare oportet, duo eius eſſe genera, ſyluestre vnum, alterum ſatiuum, quemadmodum Nicandri interpres in ſuis annotationibus in ipſum

ſum declarauit : etiamſi Braſauola contrarium ſentiat : Campeſtre ſeu ſylueſtre Coriandrum id eſt, quod grauiter olet, & à Græcis Κόριον (quod vocabulum cimicem denotat) dicitur, quod odorem cimicum referat. Quam ob cauſam Dioſcorides libro ſexto ſcripſit, Coriandrum propter odorem latere non poſſe, qui ſubitò illius, qui ſumpſit, eo imbuit, & corpus denique vniuerſum implet. Et hæc quidem ſymptomata primùm apparent in ægris. Mentis deinde alienatio ſubſequitur, & more temulentorum mente ſunt capti, ob vapores venenoſos ad cerebrum delatos. Grauitas denique capitis, & torpor veluti, quem quidam ab aſſumptione huius veneni induci ſcripſerunt. Nicander dementię tantùm meminit, eoſque turpia verba effutire ait, quæ cum furore, & altis Thiadum, Bacchi ſacerdotum, clamoribus comparat, quæ illi ſacrificia faciebant, & cum vino turgidæ eſſent, abſque vllo pudore, metu, nullo honoris diſcrimine habito vociferabantur, & vlulabant, hinc ægrum perinde acſi œſtro percitus eſſet, clamare ait. Poſteaquàm ergò ea quæ vomitum prouocant fuerunt exhibita, quale eſt irinum oleum, quod Dioſcorides hoc in loco imperat, & id genus alia, de quibus ſæpenumerò locuti ſumus, ad ea remedia accedere oportet, quæ venenis tota ſua ſubſtantia cõtraria ſunt. Coriandrum etenim venenoſum eſt ob occultam potius, & particularem quandam malignitatem, quàm ob qualitatum exuperantiam, cui mederi non eſt abſurdum. Coriandrum etenim recens, quemadmodum Galenus aſſerit, multa humiditate ſcatet. Vinum itaque aduerſus hanc venenoſam qualitatem exhibere oportet, vt humiditas illa exiccetur, ſal item & aquam vel ouorum confractorum teſtá cum maris ſpuma, vel muriam, vel ius gallinaceum & anſerinum ſalſum, poſtremò paſſum cum lixiuio, quę omnia facultatem habent exiccandi immoderatá illam humiditatem, & peculiarem inſuper vim contra venena poſſident. Hinc Nicander ęgrũ in aqua marina immergi iubet, quod ita intelligi debet, vt id tum demũ fiat, cum venenũ extremas iam corporis partes obſediſſe putatur. Sed quia & paſſum, & vinũ dulce temperaméto calida ſunt, ſi fortè accidit, vt æger vindemiæ tempore (quod calidũ adhuc eſt) decumbat. Nicander ad coërcendum extremum vini calorem, niuem admiſcere, vel

oleum etiam præcipit. Dioſcorides, vt abſinthium, quod vim antidoti habere ſæpenumerò diximus, addatur, conſulit. Sed nos hîc tanquam facilioribus contenti erimus, nec plura, vt multi ſolent, qui multas paginas librorum ſuorum abſque ordine & iudicio adimpleuerunt, prętereà coaceruabimus.

DE CICVTA.

CAP. VI.



Κώνειον. Cicuta.

CICVTA hodiè tàm vulgaris eſt notitiæ, vt difficulter quiſquam inueniatur, qui eam non nouerit, cùm copioſiſſima in pratis, & locis vmbroſis proueniat. Caulem edit longum ſatis, geniculatum, vt fæniculum, folijs coriandri non diſſimilibus, multum anguſtioribus tamen, & ferulam repræ-

repræſentantibus. Eſt autem cicuta è numero extremè, hoc eſt, in quarto gradu, vt medici loquuntur, refrigerantium: id quod accidentia abundè teſtantur. Quàm ob cauſam inter ea venena iurè annumeratur, quæ talia ſunt ob qualitatum exceſſum: quamuis adhuc alia ſpeciali & occulta malignitate præditum ſit, quæ eam dementiæ ſpeciem excitat, quæ Græcis *κωνάριον* à cicuta dicitur, quemadmodum Galenus libro VII. de ſimplicium medicamentorum facultatibus ſcriptum reliquit. Athenienſes mortis reos, & homines facinoroſos cicutæ potu interficere conſueuerunt. Quam ob cauſam cicuta apud omnes gentes celebris facta eſt. Accidentia porrò quæ huius exitialis veneni potum conſequuntur, effectus ſunt extremæ frigiditatis, quæ in calorem natiuum agere iam incipit, qualia ſunt oculorum caligo, quam noctem tenebroſam in capite inductam Nicander vocat, tremor, virium exolutio, & corporis extrema imbecillitas, ſtrangulatio, difficultas ſpirandi, extremarum partium frigus, arteriarum motus prætereà, quas autor antiquorum more venas, per quas arterias quoque quæ pulſum mouent ſubintellexit, appellauit, ceſſat. Quæ profectò omnia certiſſimum teſtimonium præbent de maxima huius veneni & frigiditate & grauitate, aduerſus quod cùm quis remedijs generalioribus, quæ in principio adhibere oportet, vſus eſt, quemadmodum diximus, oleo nimirum ad ciendum vomitum, præſertim irino, quod cæteris calidius eſt, & clyſteribus ad aluum ſubducendam, vt id quod ad inteſtina iam deſcendit, profluat: veniendum erit ad remedia illa ſumma, quæ calida & tenuium partium, cùm venenum frigidum ſit & craſſum, eſſe debent. Primum itaque in potu affatim & ſæpè vinum, quàm maximè haberi poteſt generoſum & meracum, offerre oportet. Quod ſi quis vino debili minuſque forti & pauco vteretur, periculum eſſet ne conductoris potius vicem ſubiret, quàm quòd venenum euinceret atque domaret. Quam ob cauſam Athenienſes, quemadmodum alio in loco dixi, cum ijs, quos capitis condemnarant, cicutam potui dare vellent, pauxilli vini ei admiſcere ſolebant, vt ſua partium tenuitate craſſitiem ipſius extenuaret (cùm enim oligophoron, debile & paucum ſit, aliud præſtare non poteſt) & eam ſubtiliorem efficiat, magiſque

aptam vt per venas & arterias penetret. Hoc facto vt certiores eſſe poſſimus de ægri ſalute, lauri quoque folia tenera, & dauci ſumma germina, piper item & vrticæ ſemen, quod tamen maiorem vim reſoluendi, ſeu diſcutiendi quàm calefaciendi obtinet, exhiberi queunt. Calefaciendi enim facultate hæc remedia ſingula prædita ſunt, vt quottidiana experientia videre licet. Poſt vſum denique horum remediorum, lac aſininum quoque vel caprillum, ſeu bubulum adhiberi poteſt. Proderit item mulſum dulce bibere, vt vehemens illa, acris, & cauſtica medicamentorum, quibus quis anteà vſus fuit, facultas, mitigetur, & ſi quid fortè ventriculi tunicis adhuc adhæſit, repurgetur, quemadmodum Nicander præcipit, cùm ait:

Atque Cyrenaicus nitida cum Pallade ſuccus
Proderit, & dulcis pariter data pocula mulſi,
Iuncta quibus pinguis fuerit cutis extima lactis,
Quam modico leui ſuper igne in vaſe reſolue.

HOC autem ita accipi debet, vt fiat poſt vſum aliorum, de quibus locuti ſumus, remediorum. Et cùm quis veneni vires fractas iam penitus, idque extra corpus eſſe exiſtimat: alioqui vti eo congruum non eſſet. Quapropter autor quoque noſter hos verſus reliquis poſtpoſuit: in quo tamen quis decipi poſſet. Sæpenumerò enim quæ primũ adhiberi debent remedia poſtremo loco, & contrà, deſcribit, vt licentia & libertas Poëtica, id requirunt. In hoc igitur caſu prudentis medici concilio opus eſt, qui facilè ex artis præſcripto medicamenta diſcernere, & ſingula in claſſes ſuas aptè diſponere, quemadmodum nos quoque his in libris facimus, poteſt.

DE TOXICO. CAP. VII.

Τοξικόν, Toxicum.

QVOD medicamenti genus toxicum apud antiquos, & an in Europa cognitum fuerit, in hunc vſque diem ignoratum, neque quicquam certi de eo affirmari potuit. Quantumuis enim Dioſcorides, Galenus, Auicenna, & quam plurimi

rimi alij ipſius in libris ſuis meminerint: facilè tamen videre licet, eos nō minus quā nos in ipſius hiſtoria perplexos eſſe. Dioſcorides quidem mentionem facit, quemadmodum Galenus etiam & Auicenna, ſed eam non deſcribunt. Primò ſat eſt ea, quæ ante illū Nicander ſcripſerat, literis mandaſſe tantùm. Galenus venenum eſſe ſolummodò ait. Auicenna plura adfert, ſed ambigua, quo factum eſt vt Manardus medicus Ferrarienſis fuerit deceptus, cùm Toxicum napellum Arabum eſſe exiſtimauit: quod tamen à veritate alienum eſt, cùm napellus neque furorem, neque rabiem, vt toxicum, excitare ſoleat, & alijs multis de cauſis, quas hoc in loco enumerare minimè neceſſarium eſt. Plinius vlterius progredi cupiens, dixit quoſdam putaſſe toxicum eſſe venenum, ab arbore Taxo latinis vocata, denominatum, & toxicum quaſi taxicum, quòd è Taxo proueniat, dici. Sed hoc ſatis abſurdum videtur, cùm Nicander poſt toxicum, ſermonem etiam de Taxo priuatim inſtituat, in fine tractationis de alexipharmacis, quemadmodum deinde ſcribemus. Sed vt eleganter admodum Gorræus dixit, non multum laborare nos in tam peſtilentis veneni inueſtigatione oportet, imò ſi inueniſſemus, omnem diligentiam adhibere, vt id denuò amitteremus. Quicquid ſit, toxicum apud antiquos venenum erat pernicioſiſſimum, quo ſagittas & tela, vt vulnera incurabilia infligerent, inficiebant, quemadmodum Nicander ſcripſit, & poſt eum Ouidius libro quarto de Ponto, vnde nomen, vt Dioſcorides aſſerit, ſortitum eſt. Τόξα enim Græcis ſagittæ vocantur. Tam autem exitiale virus hoc erat, vt Nicander cum Viperæ veneno comparet, tanquam æquè peſtiferum & lethale. Et Poëtæ cùm venenum κατ' ἐξοχὴν appellare vellent, toxici voce tanquam omnium maximè perículoſi, & lethalis vſi ſunt, vt Ouidius Amorum libro ſecundo ſcribit:

Non ſcelus aggredimur, non admiſcenda coimus
Toxica, non ſtricto fulminat enſe manus.

Et Plautus in Mercatore. Certum eſt (inquit Charinus) ibo ad medicum, atque me ibi toxico morti dabo. Hæc itaq; quod ad notitiam veneni huius & ſignificationē attinet, dicta ſufficiant. Accedamus nunc ad effectus, quos producit, è quibus cognoſcere poterimus toxicum eſſe de natura

eorum, quæ tota ſua ſubſtantia humanæ vitæ inſidiantur. Præterquam enim quòd occultam quandam & maleficam vim habet, caliditatis etiam & ſiccitatis extremæ particeps eſt, quo fit vt ſtatim, nulla interpoſita mora, lingua eius, qui aſſumpſit, ob inflammationem è vehementi caliditate & ſiccitate ortam, intumeſcat. Hinc Dioſcorides linguam & labia infecti inflammari ait, ob eaſdem qualitates tuſſis quoque ſicca exoritur. Appellamus autem tuſſim ſiccam, cùm æger ſæpe quidem tuſſit, ſed nihil quicquam tamen reijcit. Hanc præterea inflammationem, ob occultam & latentem veneni vim, ſubitò putredo vehementiſſima comitatur, quæ cùm comitem habeat & ſociam veluti peculiarem quandam malignitatem, gingiuas quoque, & reliquos vniuerſi corporis humores putredine inficit, à quibus maligni vapores retinentes naturam humoris à quo eleuantur, ſurſum feruntur, è quibus cordis tremor, phrenitis, oculorum incompoſiti motus oriuntur. Et ſpuma ex ore reijcitur, quæ è ſpirituum turbatione & commotione generatur. Clamores item & vlulatus exaudiuntur, non abſimiles, vt ſcitè Nicander comparat ijs, quos homo cùm ſtrictum videt gladium, & vibratú, vt caput ei abſcindatur, edit, aut ijs certè quos olim Rhea ſacerdos (de qua ſuprà etiam locuti ſumus) nono quoque menſis die, quo ſacra fieri in ipſius honorem ſolita erant, emittebat. Nam inter alias ceremonias in montibus quoque oberrabat, altaque voce inclamabat, quemadmodum in ſtatutis ſacrificiorum ſuorum præceptum fuerat. Curatio autem huius veneni ita adminiſtrari debet, vt primùm præhenſo ægro & vinculis ligato (alioqui enim minimè ob mentis alienationem obtemperaturus eſſet) quemadmodum in cæteris quoque venenis omnibus, vomitus, ſi fieri poteſt, eliciatur, ſiue digito ſiue penna in fauces immiſſa, vel oleo roſacco, aut irino in os inſtillato, vel anſerino iuſculo, vel è rapis confecto cum vino propinato. Nec alterius quoque remedij è clyſteribus, quemadmodum in curatione reliquorum quoque venenorum monuimus, deſumpti, obliuiſci oportet. Quibus omnibus ita peractis ad ſpecialia deinde remedia progrediendum eſt, quæ frigida & humida, vt caliditati & ſiccitati huius veneni reſiſtant, eſſe debent, vt ſunt omnia pomorum genera, tàm domeſticorum quàm ſylueſtrium:

ſtrium: & non ipſa tantùm, ſed eorum quoque folia, & rami mundati prius. Decoquunt autem in aqua, & ius eorum ægro propinatur. Decoctum etiam coton eorum (quę Latini ad imitationem Græcorum, mala Cytonia, quòd è Getæ quadam vrbe Cytone fuerint aducta, appellant) & carnes ipſorum etiam, magnam præſtent vtilitatem, tàm ob proprium temperamentum, quam quòd ventriculum mirificè roborát, qui in hoc morbi genere præcipuè afficitur. Mixtura prætereà, qualem Nicander deſcribit, parari poteſt. Decoquere nimirum Cytoniorum ſemen in aqua, & cùm pulegio trito. Dioſcorides alijs quibuſdam remedijs vtitur, ſanguine nimirum hircino & aliorum animalium, qui huic veneno occulta quadam & cœca naturæ ſuæ contrarietate repugnare videtur. Si quis verò his remedijs vti voluerit, ea facilè è Dioſcoride colligere in vnum poterit. Nihilominus his omnibus adhibitis, veneni huius malignitas tàm vehemens adhuc eſt, vt ob moleſtiam, quam naturæ infert, difficilimum ſit quenquam euadere. Quod ſi quandoqne contingit, plerunque deinde longiſſimo tempore magna virium imbecillitas eum comitatur. Vapores etenim venenati ad cerebrum delati, graue delyrium inducunt, & tantam viriũ imbecillitatem poſt ſe relinquunt, vt æger magna cum difficultate, aut certe vix tandem ad ſe redeat. Hinc vertigines, & quàm plurimi alij cerebri morbi, qui poſt curationem huius exitioſiſſimi veneni reliqui manent, exoriuntur. Atqui non inutile erit obiter hic ea accidentia, quæ à vulnere, à ſagitta veneno tincta, illato ſequuntur, quemadmodum Nicander quoque facit, annotare: carnis videlicet liuorem, à vehementi putredine & ſubſtantiæ partis vitiatæ corruptione introductum, & quia venenum hoc calidum eſt & ſiccum minimè mirari oportet ſi, cum obuia quæque adurat, extremam cutim ita exiccet, vt rumpatur, cùm idem in corio quoque, ſi quis igni id propius paulò admoueat, vſu venire videamus. Nunc quod ad vulneris à ſagittis veneno imbutis illati curandi rationem attinet, ea commodiſſimè è primo libro noſtro, in quo de generalibus remedijs morſuum animalium virus eiaculantium egimus, huc transferri poteſt, cùm morſus à vulneribus venenatis parum differant. Huius autem veneni quamuis incogniti curationem ideò latius

 tractare

tractare volui, quòd ad reliqua quoque venena ſimili natura prædita accommodari queat.

DE EPHEMERO.

CAPVT VIII.



ἐφήμερον, Ephemeron.

EPHEMERON Colchicô ad differentiâ iridis ſylueſtris denominatû fuit. Copiosè etenim in inſula Colcho naſcitur, & Gallico noſtro multò exitioſius eſt: quod cùm Nicâder à reliquis diſtinguere vellet, Colchicum quo Medea Colchica primùm vſa fuit, appellauit. Teſtantur autem antiquæ Poëtarum hiſtoriæ, Medeam magicæ artis peritam, filiam fuiſſe Regis inſulæ Cochi, in qua à Iaſone, ad recuperandum

randum aureum vellus rapta fuit. Ephemeron autem vox eſt Græca, & noſtris quaſi diarium dicitur, quod eum, qui id hauſit vno die interimat. A quibuſdam Cynoctonon vocatur. Planta eſt, quæ ſub autumni exitum primũ florem emittit ſubalbidum, croci æmulum. Cauli innititur qui altitudine quatuor digitos æquat. Folia porrò ſimilia habet, quæ tum demum cùm flos euanuit, apparent. In Gallia vulgo cognita eſt, non tamen tam exitioſa, quàm ea de qua Nicander locutus eſt. Quidam affirmare voluerunt, ephemeron noſtrum eam eſſe plantam, cuius radix hodie à ſeplaſiarijs hermodactylus appelletur, propterea quòd radicem habeat bulboſam, ſuauem, lacteſcentem, & exterius ſubruffam. Cordatiores tamen qui ſunt, nequaquam huic opinioni ſubſcribunt, inter quos Matthiolus magno iudicio vir, & rei herbariæ peritiſſimus in ſuis in Dioſcoridem commentarijs abundè id præſtitit. Quod ego quoque confirmare poſſum, qui in horto Petri Quenti Pharmacopolæ diligentis & in inueſtigatione ſimplicium medicamentorum per quam ſolertis, vtranque plantam vidi ipſe. Tantum autem inter ſe differunt, quantum aſinus & equus. Hermodactylus etenim folium profert latius, & ſubcandidum magis quàm ephemeron, & in lateribus vndas veluti repræſentat, quod ephemeron non facit. Sub veris finem florem emittit pulcherrimum, colore luteo, cum folia iam eruperunt: alterum autem ſub autumni exitum florem edit longo antè tempore, quàm folia appareant. Et vt breuibus loquar, tantum inter vtranque diſcrimen eſt, vt omnino ſit ſuperuacaneum latius de eo diſſerere. Eſt autem venenum hoc humanæ naturæ omnibus ſui partibus contrarium, tam ob occultam vim quandam, quàm qualitatum, hoc eſt, caliditatis & ſiccitatis exuperantiam, ob quam os, ventriculum, & quaſcunque partes ſuo contactu offendit, arrodit, & exulcerat. Hinc labiorum eroſiones, quales vrtica, lac ficulneum & ſcylla inducunt, exoriuntur. Acria enim omnia exedunt, & pruritum deinde excitant, & incendium veluti in ea parte quam arrodunt, commouent. Et quandoquidem ephemerum multa ſuperflua humiditate abundat, præter alias qualitates naturales, ſtrangulatum in ventriculo inducit, perinde ac ſi quis fungos qui natura ſua

ventri-

ventriculum grauant, & ſtrangulant, commediſſet. Quod ſi contingat, vt venenum hoc diutius in corpore perſiſtat, neque expellatur, ita ventriculum & reliqua membra naturalia corrodit, vt breuiſſimo temporis ſpacio ea perforet penitus, tandemque viſceribus principalioribus communicetur, inflammationemque in iecore concitet. Vnde ventris fluxus ſequitur, & æger excrementa per aluum deijcit, ſimilia loturæ carnis recenter mactatæ, hoc eſt, ſanguinolenta. Neque verò hic fluor tantum ad eſt, ſed vomitus quoque eiuſdem coloris. Quibus ſignis omnibus apparentibus, certò & indubitanter ſtatuere licet, morbum fore incurabilem, cùm quòd venenum iam partes principes occupauit, tum quòd ventriculus & inteſtina perforata, curationem amplius non recipiunt. Antequam igitur incommoda hæc accedant, operam dare oportet, vt tàm vomitu quam clyſteribus (ſicut aliquoties diximus) maxima huius veneni pars educatur, & deinde ad alexipharmaca ſpecialia, quæ tam aduerſus ephemeron, quàm accidentia, quæ inducit, faciunt, progredi. Lacte itaque præcipuè bubulo vtendum. Nam & veneni ardorem reſtinguit, & alui fluorem, qui fortè iam præſens eſſe poſſet, compeſcit. Eadem aſtringendi quoque vis folijs & glandibus quercus & fagi, folijs item & radici eius herbæ, quàm Græci Polygonon, ſeplaſiarij centinodiam vocant, attribuitur. Sic dicta eſt quod ramos habeat graciles, teneros, multis nodis inſignitos, humi ſerpit, & prope cæmiteria copioſè prouenit. Vitis etiam ſurculis, & paruis germinibus vti quis poterit. Vehementius enim quàm reliquæ ipſius partes, aſtringunt. Rubi item ſuccus proficit, & caſtanearum interior tunicula, quæ ſic dictæ ſunt, quod primum prope Caſtum vrbem excultæ fuerint, hinc & regio illa à caſtaneis denominata fuit, & arbores ipſę idem nomen retinuerunt. Quæ à me ad textus autoris noſtri explicationem dicuntur. Quod ſi hæc remedia omnia deſiderentur, cum his ipſis adiungi poſſunt quæ ſequuntur, & aſtringendi vim habent, hoc eſt, myrthi ſemen aut folia, malicorium, origanum, lixiuium è cinere vitis ſarmentorum, & tenerarum ferularum medulla. Sed vt Nicandri locum explicemus, notare opertet, Prometheum

theum,cùm hominem è molli luto (vt Poëtæ refernut') formaſſet, & in cælum Palladis opera ſublatus eſſet, virga è ſerula,exempta tamen medulla,facta, ſolis currum attigiſſe, Iouique ignem furatum eſſe, quem ſub hoc baculo concauo occultauit. Hinc furtum ipſius clarum dicitur, quòd ignis etiam clarus ſit.Hinc Nicander dixit:

Imæ etiam ferulæ prodeſt exempta medullæ
Quæ tenet aſtripetæ clariſſima furta Promethei.

Cvivs fabulæ ſuprà cum de Dypſade ageremus,meminimus. His remedijs omnibus ægrum à periculo tutum præſtare conabimur,decoctis in potu exhibitis,& clyſteribus per aluum iniectis, quandoque vinum etiam admiſcebimus, quemadmodum Dioſcorides præcepit, præcipuè verò cum ſuccis vel polygoni, vel vitis ſurculorum, vel rubi, vel ferulæ medulla vtimur. Quæ omnia ab experto medico, pro ægri temperamẽto, & morbi neceſſitate adminiſtrari,commiſcerique debent. Præ omnibus tamen operam dare oportet, vt lac vel aſininum vel bubulum haberi poſſit, in quo deinde ſerpyllum decoquatur. Strangulatus enim, quos ſtatim venenum hoc epotum ſubſequi diximus, aufert atque diſſoluit,& (quemadmodum Dioſcorides affirmat) fieri poteſt,vt æger ſolo lactis vſu liberetur.

DE VLOPHONO SEV IXIA.
Capvt IX.

Ουλοφόνον, ἰξίας.

Omnes in hoc conſentimus, vlophonum liquorem eſſe glutinoſum, qui à Græcis ἰξίας, appellatur. Sed cùm diu in ea opinione cùm alijs quibuſdam qui ante me ſcripſerunt, perſtitiſſem, hoc glutinis ſeu viſci genus eſſe id, quod veteres è radice Carlinę(quæ & Gręcis & Latinis Chamæleon albus dicitur)deſumi literis mandauerant: tandem cùm locum quendam Nicandri in Theriacis relegiſſem,valdè dubitare de illius veriſimilitudine cœpi, & omnino coactus fui cogitare eam à veritate alienam eſſe ob cauſas, quas in medium proferam poſteà. Quarum prima, quæ vt hoc crederent,illos impulit, hæc fuit,quòd Plinius è radice Carlinæ

linæ candidæ liquorem exire ſcripſit, quo mulieres, vt maſtiche in Candia vtantur, eumque ixiam appellari. Deinde Theophraſtus & Dioſcorides ſcripſerunt, radicem chamæleontis albi cum farina hordeacea, oleo & aqua mixtá, canes necare, mures & ſues. Sic itaque videmus quod ſit huius opinionis fundamentum, videamus nunc vtrum hoc ſolum ſufficiat, vt affirmemus viſcum è radice Carlinæ candidæ profluentem venenoſum eſſe. Fateor quidem eum hinc manare, ſed venenatum eſſe nego. Quãtumuis enim Plinius ſcripſerit, hunc viſcum Ixiam nominari, non tamen idem eſt, ac ſi venenũm eſſe dixiſſet, cùm ſit communis vox Græca, & idem quod Latinis & Gallis gluten ſignificet. Et cùm authores Ixiæ meminerunt venenati plerique certè Vlophonon denominarunt vt Nicander & Dioſcorides lib. VI. Ætius item & Paulus Ægineta. Chamæleontem tamen album nuſquam ita denominari, quàm apud Plinium cernimus, qui in hac parte deceptus eſt tàm ob cauſas quas deinceps adducam, quàm quòd aſſerit illi nomen hinc inditum, quòd buculas enecet. Et quod fallatur, Nicander teſtimonio eſſe poterit, qui primo ſuo libro chamæleontem vtrunque & album & nigrum deſcribit (è quo Dioſcorides ſua deſumpſit) aitque album ſerpẽtium morſibus mederi vt nigrum tanquam venenum fugiamus, admonet. Locus eſt in radicibus Theriacalibus his verſibus deſcriptus:

Perpendenda etiam eſt varij medicina leonis,
Montanæ, & radios imitantis floribus, herbæ
Illius eſſe duas ſpecies cognoſce, prioris
Aßimilis ſcolymo quadam caligine forma,
Atque rotunda effuſa iuba eſt, denſa aurea radix
Aprica effugiens loca opacis naſcitur vmbris
Aſperius folium, ſed nullum habet altera caulem,
Imò humili medium floris caput horret echino
Alba intus radix referenti mella ſapore.
Vitandus niger eſt, tacitum fouet illa venenum
Mixti autem lympha drachmam potaueris albi.

VIDEAMVS nunc quid alij poſt eum dixerint. Theophraſtus & Dioſcorides ſcripſerunt decoctum radicis ipſius in taleolas inciſæ maximè proficere contra catarrhos, & ex vino potam latas interaneorum tineas neçare, aquæque inter

cutem,

cutem, vrinæ ſuppreſſioni, & ſerpentum morſibus mederi. Galenus lib. 8. de Simp. Medicamentorum facultatibus loquens, de vtraque ſpecie, omnino nigrum chamæleontem fugiendum eſſe ait, niſi quis fortè extrinſecus eo velit vti, quòd venenoſus ſit. Vſum autem albi ſaluberrimum eſſe in morbis ſuprà commemoratis. Quid agemus igitur? accipiemus ne quod Matthiolus in ſuis in Dioſcoridem commentarijs ſcripſit, pro reſponſo ſatis idoneo, Galenũ ſcilicet in eo deceptum fuiſſe, cum chamæleontem nigrũ venenatum eſſe ſcripſit, neq; idem de albo quoq; affirmauit? Debuiſſet ſanè conſiderare potius abuſum vocabuli ixiæ, & vires quas radici veteres, imò Nicádri interpres ipſe, attribuerunt, qui examinatis ijs fortaſſe, quę dixit, ſcripſit ixiá genus eſſe vermis, quáuis hoc non vſq; adeò ſit magni momenti. Sed progrediamur vlterius. Si radix intus aſſumpta bona eſt & ſalutaris, qui fit quòd ſuccus ipſius venenatus eſt? an nõ radix ſuccũ quoque ſub ſe cõprehendit? an non hic potiſſima cauſa eſt, vt ea vel bona vel mala ſit? dicemuſne ſuccum, eſſe deleterium medicamentũ, radicẽ verò eius antidotum? atqui hæc refugia, vt quis ipſum ſe deciperet, lõgè nimis petita eſſent. Addamus & hoc, quòd quicunq; de vlophoni ſumpti ſignis quicquam prodiderunt, id guſtu & odore ocymum referre affirmarunt. Ocymum autẽ eſt, vt vulgo patet, guſtu amaro, odore ſuaui. Nicander tamen, Theophraſtus & Dioſcorides, radicẽ Carlinæ dulcem, odorẽ autem horridum & graueolentem eſſe ſcripſerunt. Hinc facilè concludi poteſt, vlophonon non eſſe id viſci genus quod è radice Carlinæ albæ colligitur, & quo mulieres in Candia abſq; periculo vtuntur. Et quãuis Ætius Carlinam candidá inter venena connumeret, non tamẽ ſtatim inde quis colliget ixiã ab ea deſumi, cùm dicat ſe præcedẽti capite ſpeciatim de vlophono verba feciſſe. Taceo quòd ſolus ille ex autoribus fide dignis Carlinã, ſeu Chamæleontem album venenũ eſſe ſcripſit. Quòd ſi hac in parte præceptorem ſuum Galenũ, à quo reliqua omnia ferè de verbo ad verbum tranſſcripſit, ſecutus fuiſſet, non ſolus hanc opinionem mordicus retinuiſſet. Vlophonon itaque genus eſt viſci cuiuſdá, è planta quadam venenata, de qua tamen nihil certi affirmare poſſum, & in qua indaganda non multum operæ ponam, deſumpti. Guſtu autem hoc venenum manifeſtatur, quem

quem ſimilem cum ocymo habet,& innata ſua malignitate, & totius ſuæ ſubſtantiæ contrarietate, tantam vaporum copiam ad caput tranſmittit, vt mente abalienati ægri ad inſaniam redigantur. Hinc linguam mordent, vt Poëta noſter aſſerit,& ſtatim valida linguæ inflammatio,& tumor oboriuntur. Et quandoquidem viſcidum eſt, inteſtina & alia loca, & communes corporis ductus obturat. Quo fit vt magna vaporum copia in his anguſtijs concluſa,magnus excitetur ſtrepitus,agitatis ijs hinc inde,& in gyrum veluti vertentibus ſe,hacque ratione thorace compreſſo, ſpiritus difficultatem incurrant ægri. Aliud adhuc peculiare ſignum huius veneni eſt,materia nimirum craſſa & glutinoſa, quæ vomitu irritato,& aluo clyſtere ſubducta, excernitur. Materia autem hæc pituitoſa ſimilis eſt ouis,quæ pulli gallinacei imperfecta adhuc ob frequentiorem concubitum gallorum, quo impeditur,ne integrè abſoluantur, ediderunt. Hinc abſque cortice conſpiciuntur, & materiam intus ſubalbidam, & glutinoſam omnino continent. Quibus ita apparentibus, poſtquam vomitiones excitatæ fuerint,aut aluus ſoluta,vt meatus aperiantur, abſinthium cum paſſo, aut certè cum vino maximè meraco,diluere oportet. Danda præterea terebinthi reſina,vel picea,vel pinea. Singulę etenim reſinę deobſtruēdi vim poſſident,& abſtergendi, celerrimè item,quòd ſint ſubtilium,& valdè tenuium partium, pertranſeunt. Autor autē noſter obiter hic fabulæ cuiuſdam meminit, quæ poſt eum ab Ouidio quoque deſcripta fuit, vt Poëticam rationem afferret, quare pinus reſinam funderet. Fabula porrò hæc eſt: Marſyas excellens ſuo tempore Muſicus, tam temerarius fuit,vt cū Apolline tibia cōtendere auſus fuerit. Quod cùm Apollo animaduertiſſet, & tantam inſolentiam & faſtum hominis ferre non poſſet, viuum excoriauit, & ad arborem pinum pellem ſuſpendit. Cuius mortem non nymphæ tantum,ſed cæteri quoque ruris incolæ, arboreſque intolerabili fletu proſecutæ ſunt, omnium verò maximè pinus,quæ deinde ſemper lachrymarum vice reſinam profudit. Reliqua porrò medicamenta, quæ vlophono aduerſantur, ea ſunt, quæ vt priora vim habent craſſitiem ipſius extenuandi, & obſtructiones in inteſtinis aperiendi. Talepotium eſt, quòd Nicander mures necare tradit (quemadmodum antea de

aconito

aconito diximus)quam ob cauſam autem neſcio. Neq; enim Theophraſtus, nec Dioſcorides, qui de polio ſcripſerit, hanc illi facultatem tribuit,nec diuinare poſſum,quam ob cauſam hoc affirmet, niſi fortè id, quemadmodum Galenus aſſerit, quòd amarum ſit & guſtu accerrimum præſtet. Prætereà polij maſculi meminit,ad differentiam alterius: Dioſcoride etenim, & Galeno teſtibus duo eius ſunt genera, quemadmodum primo libro annotauimus. Ruta, nardus Indica, liquor Cyrenaicus,caſtorium,tragoriganum,origano quàm ſimilimum,vim habent diſcutiendi flatus, & extenuandi humores craſſos & viſcidos. Quá ob cauſam hic maximè proficiunt. Quæ omnia, quemadmodum alia quam plurima à Dioſcoride adiūcta,de cōſilio prudētis Medici ſimul miſceri queunt.Sed mirum fortaſſe cuidá videtur. Quare Nicander poſt vſum horum medicamentorum digerentium, caſeum vltimò addiderit,cùm tamen ex diametro cum remedijs ſuprà poſitis pugnet. Quod ſanè veriſſimum eſt,& negari nequit.Sed tempus in quo eo vti, hoc eſt,morbi finem, & cum quis alijs iam vſus eſt,& venenum eſt euictum, præcipit, obſeruare oportet. Tum etenim caſeus recens natura frigidus, temperandi calorem vehementem vim habet, qui à veneno in ventriculo, & inteſtinis relictus eſt.

DE SANGVINE TAVRINO. CAPVT X.

Αἷμα ταύρȣ, Sanguis Taurinus.

SANGVIS tauri ſua natura craſſiſſimus eſt, quod fit, vt ſi vētriculum obſideat, facilè indureſcat, imò omnis ſanguis ſponte ſua extra venas & arterias leui negocio in grumos vertitur, atque putreſcit,etiamſi in loco calidiore quàm anteà eſſet. Quamobrem quàm primum eſt in ventriculo, ibi concreſcit, & in grumos conuertitur, putreſcit denique, & malignos vapores ad cerebrum tranſmittit,quo fit vt æger ſubinde animi deliquio corripiatur. Cùm etenim grumi magni ſint,nec ſuprà,nec infrà expelli poſſunt,vnde ſtrangugulatus,& viarum tam ventriculi quàm pulmonum obtura-

tio ſubſequitur. Fieri enim nequit, vt bibendo nō aliqua eius portio in vijs ſpirituum relicta fuerit. Hinc æger magnam ſpumæ copiam ore reijcit, nec aërem commodè attrahere, aut liberè ſpirituum ducere poteſt, & ob vapores ad cerebrū eleuatos eoſdem ferè inſultus, quos epileptici, patitur. Hæc itaque incommoda hominibus accidunt, non quòd ſanguis taurinus propria ſua natura venenatus ſit, ſed ratione tantum quadam aduentitia. Per ſe enim, & à primo ſuo ortu, nullius qualitatum exceſſus particeps eſt, nec contrarium tota ſua ſubſtantia, ſed ob craſſitiem duntaxat, quemadmodum de lacte intus coagulato dicemus. Hinc medicamenta præſcribuntur quæ ſua natura vim habent, diſſoluendi & incidendi id quod per ſe craſſum eſt, & concretum. Tales ſunt groſſi liquore ſuo pleni, acetum, omnia coagulorum genera, vt hinnuili, leporis, aut alterius animalis, nitrum, laſerpitium, braſſicæ ſemen, rubi ſuccus, piper, cunilæ radix, & id genus alia, quæ tenuium ſunt partium & calida, quibus ſolis vti oportet, & abſtinere ab ijs, quæ vomitum mouent, quod tamen primum præceptum in curatione omnium venenorum eſſe diximus, hoc eſt, eorum quæ talia ſunt, vel ob quatuor primarum qualitatum exceſſum, vel naturę quadam ſuæ peculiari proprietate. Quod ſi quis eos ad vomitum cogere vellet, tantum abeſt vt quicquam proficeret, vt venenum vias potius obturaret, in ijſque maiori quantitate coaceruaretur, hacque ratione ſpiritum impediret, mortemque acceleraret. Quando itaque Nicander iubet vt graue excrementum è corpore educatur, nequaquam hoc vomitione perfici vult, ſed clyſteribus tantum, tum cum venenum inteſtina iam obſedit. Verum quidem eſt Galenum in libro de antidotis ſcripſiſſe, vt is, qui tauri ſanguinem hauſerit, acetum bibat, & deinde vomat. Sed hoc ita intelligi debet, vt tum demum fiat, poſteaquam acetum ſanguinem, qui intus coijt, diſſoluerit vniuerſum. Exiſtimare tamen debemus, hæc accidentia omnia euenire, de quibus locuti ſumus, non, cùm quis eum ſumit, qui olim coagulatus fuerat, ſed tum demum cùm in ventriculo concreſcit, & calidus ebibitur antequam coëat, qualem Themiſtocles Athenienſium dux, vt mortem ſibi conſciſceret, hauſiſſe fertur, vt Plutarchus in Cheronæo teſtatur.

DE

DE BVPRESTE.

CAPVT XI.



Βούπρηστις, Bupreſtis.

BVPRESTIS tam Græcis quàm Latinis ita dicitur, propterea quòd (vt Nicander & Plinius affirmant) cùm boum corpora & vaccarum ingreditur, ea in tumorem attollit. Beſtiola eſt Cantharidi ſimilima, aut Scarabeo longipedi, quæ in herbis latitans, ſæpenumero ab animalibus prætereuntibus deuoratur, eaque interficit. Quod plerunq; paſtores in veruecibus experiuntur, qui tympani inſtar intumeſcunt. Quòd ſi hominem ea infici contingat, guſtu id ſtatim deprehenditur, & odore, quem ſimilem cum nitro habet, vehementi item ventriculi dolore, & vrinæ ſuppreſſione. Quorum Symptomatum ratio, ex ijs quæ ſuprà de Cantharide attulimus, elici poteſt. Malignitate etenim nihil inter ſe differunt. Et planè eadem cum Cantharide in corpore accidentia inducit, eaque in tumorem attollit, perinde ac ſi æger ea hydropis ſpecie, quæ à Græcis tympanites dicitur, laboraret, in quo venter, ob flatuum, qui ſunt inter carnem & cutem, copiam, ita diſtentus eſt, vt ad tactum tympani ſonum edat: quod fit ob vapores, qui ſurſum eleuantur, & humores, qui ob venenum colliquantur.

Remedia quibus in hoc morbo vti oportet, eadem ſunt cum ijs, de quibus in Cantharide locuti ſumus. Sed Nicander particularia quædam adhuc poſt vomitionem præſcripſit, ficus nimirum aridas ex vino veteri generoſo, quæ ſolæ ita mixtæ vim habent, calore ſuo temperato

 flatus

flatus diſcutiendi,& aluum ſoluendi, vt veneni portio aliqua per ſedem excernatur. Et quia Bupreſtis calida eſt, Nicander pyris ſylueſtribus, & myrthi baccis, quæ facultatem habent refrigerandi, & aſtrictione ſua ventriculum roborandum, vtendum conſulit. Quod ſi accidentia remittere aliquantum, febriliſque calor mitigari parùm videbuntur, palmularum fructus ex lacte dare expediet. Nam aſtrictione ſua, & vẽtriculum & calorem innatum roborant. Lac etiam (muliebre præſertim) & deinde bubulum, præterquã quòd peculiari quadam vi aduerſus venena pollet, vehementes compunctiones etiam, quæ in ventriculo & inteſtinis adhuc ſupereſſe poſſent, ſedare atque lenire poteſt. Minimè tamen dandum, cùm corpus adhuc tumidum apparet, & febris vehemens adeſt. Augere enim tum morbum poſſet.

DE LACTE INTVS COAGVLATO.

CAPVT XII.

Γάλα ἐμπυτιασθέν. Lac intus coagulatum.

NEQVAQVAM exiſtimare oportet lac intus coagulatum, de quo in præſentia loquimur, & de quo omnes antiqui ſcripſerũt tanquam veneno, id eſſe, quo nos, poſteaquam coijt, abſq; periculo vtimur. Quotidiè enim experimur, præcipuè æſtatis tempore, id abſque vllo incommodo, & valetudinis iactura aſſumi, niſi fortè quis eo plus quàm oportet, veſcatur. Quod itaque nos lac coagulatum appellamus, id eſt cui recens coagulum eſt admiſtum, & quod antequam cõcreuit, deuoratur. Quæ ideò à me dicuntur, quòd Dioſcoridis interpretes hoc modo libri ſexti caput intellexiſſe videntur, & pugnare inuicem, affirmare lac concretum nõ eſſe venenoſum, ſed coagulatum, cùm tamen lacti concreto admixtum ſit coagulum, & vtrunque idem ſit, niſi quòd illud iam coagulatum eſt, hoc verò primo quoque tempore coaleſcet. Vt igitur hæc inter ſe conciliemus, dicemus lac coagulatum minimè venenoſum eſſe. Cùm etenim in ventriculo reſederit, à calore ipſius innato diſſoluitur, & ita facilimè concoquitur. Sed id cui coagulum tantum eſt admixtum, cùm ventriculum iam obſedit, vi coaguli ita con-

creſcit, vt calori ipſius contumaciter ſeſe opponat, & tantum abſit, vt euincatur, vt eum penitus tam frigiditate ſua, quàm viarum obſtructione ſuffocet, atque extinguat. Ibi quantumuis non coierit adhuc, tamen cùm coaguli portionem ſecum adhuc retineat, ſe colligit & ita vias obturat, vt accidentia lethalia ſubſequantur, vt ſunt ſuffocatio, animi deliquium, vehementiſſimi dolores capitis, & alia, quæ omnia ratione vaporum malignorum à putrido lacte eleuatorum contingunt. Quapropter curandi ratio ab ijs rebus petenda, quæ vim diſſoluendi & extenuandi habent, quemadmodum in capite de ſanguine taurino diximus, ſed ante omnia diligenter cauere oportet, ne quicquam quod lac coagulatum indurare queat, quale ſal eſt, offeramus, aut vomitum ciere, ob rationem quam loco citato attuli, quamuis Auicenna contrarium, ſed abſque ratione, & contra Dioſcoridis præceptum, imperare videatur. Hanc vim poſſidet acetum duabus paſſi partibus admixtis, aut cum radice vel ſucco laſerpitij, Thymum prætereà, & vitis folia ex vino Iuniperi baccæ, & menthæ folia ex eodē liquore, vel melle, vel aceto etiam aſſumpta. Præter hæc remedia eo præcipuè lixiuio, quibus ij lanas, qui pileos conficiunt, lauant, vti oportet. Etſi enim omne lixiuium vim habeat diſſoluendi: hoc tamē magis ob lanam in eo lotam, & efficacius præſtat. Coagulum autem ſummum eſt & præſtātiſſimum omnium remedium: ex aceto enim hauſtum, vim habet extenuandi & diſſoluendi: neque leporinum tantum, ſed reliquorum quoque omnium, vt Galenus affirmat, animalium. Quod etſi fiat, mirum tamē videtur, propterea quòd coaguli vi lac concreuit: atqui fieri poteſt coaguli ratione, vt lac & coëat, diſſoluatur: ſed nō vno & eodem tempore: nam cùm nondum coijt, & coagulum admiſcetur, coaleſcit caloris opera temperati, qui ea quæ diuerſa ſunt natura, ſeparat, quemadmodum lac clarum & craſſum, quas duas primas qualitates diuerſas in ſe continet. Idem in caſeo quoque, qui ex diſſimilibus rebus conſtat, præſtaret, ſi in maiori quantitate adderetur, & roboris aliquid adhuc illi ſupereſſet. Sed quia debita quantitate ſumitur, poſteaquam lac concreuit, & tam à calore innato, quàm aceto mixto adiuuatur, eum liquat atque diſſoluit. Sic verè cùm calor non ita vehemens eſt, lutum abſumpto

magna ex parte humore, indurari, & cùm Sol vehementius vrit, id in puluerem redigi videmus. Coagulum itaque, quia à calore naturali vires acquiſiuit validiores, exactè partes diſſimiles diſcernit, & ſimiles in vnum cogit, vt Ariſtoteles II. libro de generatione animalium ſcriptum reliquit.

DE DORYCNIO, SEV SOLANO FVRIOSO. CAPVT XIII.

Δορύκνιον, Dorycnium, Solanum furioſum.

ANDREAS Matthiolus in ſuis in Dioſcoridem commentarijs nequaquam conſentit, id quod Græci appellarunt Solanum furioſum eſſe Dorycnium, propterea quod, queadmodum affirmat, Dioſcorides lib. IIII. duo capita diſtincta fecerit. Quòd ſi tamen ea quæ idem Dioſcorides lib. VI. & Theophraſtus & Plinius ſcripſerunt, conſiderare voluerimus, reipſa profectò cōperiemus, aut erraſſe Dioſcoridem, aut Dorycnium ſimile aliquid Solano furioſo habere, & hac in parte liberum ſit cuique iudicare, ea quæ ſcripſerunt, in medium proferam. Quod enim ad me attinet nollé quicquam homini tàm inſigni, vt alterius partes ſequerer, derogare, in ea præcipuè re, in qua ſibi ipſe non vndiquaque conſtare videtur. Theophraſtus itaque ſcripſit drachmæ pondere ſumptum, hominem ita afficere, vt primùm ſibi ipſe mirificè placeat, ſeque eleganti forma præditum eſſe, tanquā qui mente captus ſit, exiſtimet. Quod ſi vſus fuerit pondere duplicato, plus delirabit, & ante oculos variæ illuſionum ſpecies obuerſabuntur. Sin verò ad tres vſque dies continuauerit, omnino mente abalienabitur, etſi quid addat, ſubitò morietur. Idem Plinius XXI. libro hiſtoriæ naturalis, & Dioſcorides, cùm de Solano manico agit, ſcripſerunt. Prætereà Dioſcorides in Proœmio lib. VI. aſſerit, Solanum furioſum eſſe Dorycnium, & idem denuò cap. VI. eiuſdem libri confirmat. Verum quidem eſt eum lib. IIII. duas diuerſas deſcriptiones ponere, cui Matthiolus inſiſtit, ad ea quæ quis, quod ad locum lib. VI. attinet, afferre poſſet, reſpondens, cùm ait, verum eſſe Dioſcoridem affirmaſſe Solanum furioſum appellari Dorycnium. Nemo tamen hinc inferre debet, ideò

ita

ita ſenſiſſe eum, ſed quòd aliqui tantùm ita vocarint. Hoc tamen reſponſum, ſaluo tamen meliore iudicio, non vſquequaque mihi ſatisfacit, cùm ea quæ Theophraſtus & Plinius de Dorycnio literis prodiderunt, à Dioſcoride de Solano furioſo quoque dicâtur. Taceo quòd ſub finem proæmij idem ex ſua ſententia, & non aliorum affirmare videtur. Solanum porrò furioſum Dorycnium dictum eſt, propterea quòd antiqui eo haſtarum cuſpides, quas δόρατα vocarunt, inungere conſueuerant, aut certè quia tam peſtiferũ eſt, vt non ſecùs quam haſta interimat. Auicenna vuam vulpinam vocat, quòd, vt ego quidem exiſtimo, acinos ferat vuæ non diſſimiles, quemadmodum Dioſcorides in ipſius deſcriptione affirmat. Dicitur etiam Solanum furioſum, quòd in eo, qui id in potu acceperit, furorem commouet: idque præſtat non ob qualitates ſuas, quæ frigidæ ſunt & ſiccæ, ſed ob innatam & peculiarem quandam malignitatem. Tantum enim abeſt, vt frigus furorem excitet, vt potius contrà ægrum ſomnolẽtum & grauem reddat, ſicut alibi diximus. Nicáder tamen in deſcriptione accidentiũ, qui ab hoc veneno eueniũt, furoris nõ meminit, quòd hæc per ſe manifeſta ſint, & facilimè ſubintelligi, ob peculiarem huius plantæ naturam, poſſint. Num autem quis eo veneno ſit infectus, tàm guſtu quàm colore deprehendi certò poterit. Vterque enim aliquid cum lacte commune habet, dulcedinem nimirum & albedinem. Et quandoquidem, vt dixi, Solanum furioſum frigidum eſt & ſiccum, accidit vt quàm primum in ventriculo reſederit, vt partes ipſius neruoſæ afficiantur. Neque enim quicquam neruis tàm contrarium eſt quàm frigus, & quaſcunque etiam partes occupat. Hinc ſingultus, vomitiones, & animi deliquia ſuboriuntur. Et quia multoties accidit, vt ob crebras vomitiones venæ colli & faucium rumpantur, fit vt quæ euomuntur, cruenta appareant. Humores etiam peculiari quadam malignitate, quam huic veneno ineſſe dixi, putreſcentes, ob acrimoniam quam coniunctam habent, inteſtina ita excoriant atque abradunt, vt ea quæ infrà per aluum redduntur, muccoſa appareant, & dolor excitetur, qualem tormina, & frequens deijciendi cupiditas inducere conſueuerunt. Hinc æger viribus fractis, & deficientibus propè, frigidam haurire non audet, etiamſi ob veneni

ſiccitatem ſiti prematur. Quandoquidem igitur tàm frigiditate & ſiccitate, quàm occulta quadam vi venenum eſt, optimo iure remedia etiam duplici natura prædita, hoc eſt, calida & humida, & peculiari quadam vi contraria huic, eligi debent. Primi generis ſunt lac tepidum vino dulci commixtum, caro capi aſſa aut elixa; piſces item ſquamoſi, qui in ſaxis degunt, & qui præter naturalem bonitatem vim etiam habent ventrem emolliendi, & infre venenum latens tam per ventriculum, quàm inteſtina expellendi. E quibus omnibus præſtantiſſimi habentur, oſtrea, purpura, locuſta, echinus, pirma, pecten, porcellana, & reliqua oſtracoderma, quæ partim cruda, partim toſta, præcipuè quæ difficiliora ſunt concoctu, de conſilio Medici docti aſſumi debent.

DE PHARICO.

Cap. XIIII.

Φαρικόν. Pharicum.

QVI de Pharico tàm antiqui quàm recentiores autores ſcripſerunt, nihil certi nobis, quid id eſſet, indicarunt: quod hinc accidit. Priores etenim aut negligentia, aut quòd illa ætate vulgò cognitum eſſet, prætermiſerunt. Dioſcorides tamen in ordine venenorum ſimplicium collocat, ſiue herba ſit, ſiue arbor, ſiue fructus. Fuit autem ſic dictum, Protagora teſte, à nomine venefici cuiuſdam, qui primus id adinuenit, vel quòd Pharis Arcadiæ vrbe apportetur. Athenæus Phariacum appellat. Ex accidentibus porrò, quæ in corpore inducit, facilimum eſt colligere, venenum ipſius tale eſſe tota ſua natura. Nam quod ad qualitatem attinet, eas ob actionem ſubitam, calidas & ſiccas eſſe crediderim. Nicandro enim teſte conſtat, id

Vno adeoque die Stygio demittere regi.

Ex accidentibus autem primum eſt, quod guſtu Nardum Indicam repræſentat. Hinc quidá id Nardi genus quoddam eſſe aſſeruerunt: quidam verò venenum è nardo aliqua ex parte confectum exiſtimarunt. Poſt hæc oris excoriatio, cum animi deliquio & mentis furore, atque neruorum reſolutione, ob

ne, ob cauſas ſæpè anteà à me adductas, ſubſequitur, præcipuè verò ob vapores, qui ſurſum ad caput elati, motus & ſenſus inſtrumenta perturbant. Remedia porrò quibus ſuccurri poteſt, primò ſunt euacuationes conſuetæ, de quibus hactenus ſæpè locuti ſumus, deinde verò medicamenta quædam ſpecialia, hoc eſt, nardus tranſmarina, quæ in Ciliciȩ montibus, ad radices quorum Ceſtrus fluuius præterlabitur, prouenit, & Thylacites, quod in ſacco è corio cōfecto circūferatur, dicitur. Olim enim id fieri conſueuerat in illis regionibus. Smyrnium item & iris facultatem poſſident calidam & ſiccam, & ob hoc tàm putredini Phariaci, quàm neruorum dolori ab eo excitato aduerſantur. Nicander lilij flores adhuc adiecit. Qui cùm reuera frigidi ſint & humidi, etiamſi integrū florem videatur intellexiſſe, tamen eam tantū virgulam flauā, quæ è medio flore erumpit, & peculiari quadam virtute aduerſus venena pollet, accipiendam eſſe voluit. Confert autem cum aſini genitalibus, propterea quòd in extremitate craſſa ſit, & aliquo modo accedat ad ſimilitudinem illius, hinc occaſione ſumpta, fabulam quandā ad hunc modum in mediū profert. Venerem videlicet aliquando in hūc florem puellam quandam, quæ temerè perſuadere ſibi auſa fuerat, ſe formæ elegantia eam, quȩ tamen Dea pulchritudinis erat, ſuperare, conuertiſſe, & vltionis deſiderio, & perpetuæ ignominiæ gratia, aſini genitalia in medio foliorum ipſi affixiſſe. Sunt præterea alia quædam remedia, quibus Dioſcorides huius veneni noxas abigit, de quibus nihil vlterius dicam, quòd & incognitum ſit, & aduerſus mala incognita remedia curioſius, inquirere ſuperuacaneum & nimimè neceſſarium videatur. Sat enim erit id quod Nicander contra capitis dolorem præſcribit, addidiſſe, vt nimirum pilis abraſis capiti cataplaſma ex hordei farina & ruta inducatur.

DE HYOSCIAMO.

Cap. xv.



Ὑοσκύαμος. Hyoſciamus, Altercum.

ATTERVM Græcis *Ὑοσκύαμος* dicitur, propterea quòd ſues cùm de eo comedunt, toto corpore conuelluntur. Vox autem hæc nihil aliud quàm fabam ſuillam ſignificat. Latinis Apollinaris & altercum vocatur. Frutex eſt caulem emittens craſſum: folia lata, oblonga, diuiſa, nigra, hirſuta: flores è latere caulis prodeunt ordine, tanquam punicorum extimi, ſcutulis ſepti ſeminum plenis, vt papaueris. Dioſcorides, Galenus, & Ætius tres eius differentias conſtituunt. Vna (inquiunt) ſemine nigro eſt, floribus purpureis. Alterius ſemen ſubflauum eſt, flores lutei. Tertium genus album eſt & ſemine & floribus. Priora duo venenoſa ſunt, tertium

tertium medici in quorundam morborum curatione vſurpant. Nos præter ſecundam ſpeciem, nullam cognoſcimus, cuius iconem hic appoſuimus. Plinius primam in duo genera diſtinxit. Vnum in Galatia naſci ait, alterum vulgare appellat, priore candidius, fruticoſius, papauere altius: in reliquis cum Dioſcoride conuenit. Si itaque contingit vt ſtupidus quidam ex imprudentia, vel quouis alio modo, vel infans pulchritudine floris illectus de eo veſcatur, in ginginis & labijs maxima ſubſequetur eroſio, & pruritus ſimilis ei qui percipitur, cùm dentes prodire incipiunt, ob magnam alterci ſiccitatem, cum maxima frigiditate coniunctam. Frigidum enim eſt & ſiccum, & ſpecialem prætereà malignitatem cerebro inimicam poſſidet, quo fit vt cùm ventriculum obſederit, magnam vaporum copiam ad caput tranſmittat, affectumque ebrietati ſimilem inducat. Hinc Plinius altercum vini naturam habere ſcripſit. Cum hac mentis abalienatione, æger magna totius corporis inquietudine conflictatur, animo deficit, tremore moleſtatur, & in vniuerſo corpore dolorem percipit, quaſi virgis cæderetur, oculi rubent, & magnus adeſt pruritus. Vt igitur tam ingenti ſiccitati occurratur, Nicander præcipit, vt lac in potu, aſininum præcipuè detur, vt Dioſcorides ſcripſit, & ſi deſideratur, caprillum, bubulum, aut muliebre. Idem aquam mulſam quoque, & ficuum aridarum decoctum, tàm ob cauſam ſuprà poſitam, quàm vt vomitum, quo hoc in loco tanquam primo pugnæ ictu vti oportet, moueat, imperat. Ea propter fænugræcum etiam, quod eandem vim habet, & emollit, quoque commendat. A Græcis cornibus inſigne dicitur quòd herba ſit ſiliquam longam ferens in ſummo acuminatam, factam ad effigiem cornu bouis. Reliqua remedia omnia à Nicandro propoſita, vim habent calefaciendi & reſoluendi tàm frigiditatem veneni, quàm vapores iam ad caput delatos. Talis eſt vrticæ ſuccus & ſemen ipſius exiccatum parum, quod fit ob partes tenues, quibus cùm calorem habeant comitem temperatum, craſſities diſcutitur. Naſturtium prætereà, raphanus, ſinapi, ceparum & alliorum ſemina, omnia calefaciendi, extenuandi & abſtergendi facultate prædita ſunt, quemadmodum alibi diximus. Perſicorum inſuper nuclei ob amarorem, quos

quos Nicander ſolos, vt ego quidem exiſtimo, intelligere voluit, & non folia aut fructum arboris Perſeæ ob rationes anteà iam allatas. Dioſcorides porrò alia quædam remedia in curatione alterci præter ea, de quibus ex autoris noſtri ſententia locuti ſumus, præſcribit, quæ tamen facilè ad ſupra poſitas rationes accommodari poſſunt. Cichorium enim, cuius meminit, quemadmodum Nicander quoque, aduerſus altercum proficit non ob qualitates tantùm ſuas, ſed ob facultatem etiam, qua à natura dotatum eſt, aperientem & attenuantem. Quibus ita peractis, æger quieti ſe dabit, vt id quod fortè in corpore reliquum manſit, concoquat.

DE PAPAVERE.

CAPVT XVI.

Μήκων, Papauer.

Μηκώνειον, Succus Papaueris. Opium.

Primum



Secundum



ANTEQVAM

Tertium.



ANTEQVAM papaueris ſucci, cuius Poëta noſter meminit, explicationem aggrediamur, prius in genere de eorum diuerſitate & natura agam. Etiamſi enim ſuccus qui è ſingulis extrahitur, & vulgo Opium appellatur, nullus ſit vſus in arte medica, nullum tamen corú ferè eſt, quod non naturalem quandam malígnitatem apud ſe retineat. Quædam autem, ſponte proueniunt, quædam in hortis hominum induſtria ſeruntur. Sponte creſcunt corniculatum, & quod ſpumeum vocant. Corniculatum ita dicitur, quod ferat ſiliquas longas effigie cornuum bouis vt ſuperiore capite de fænugræco annotauimus, folia habet candida, hirſuta, verbaſco albo ſimilia, in ambitu tamen ſerrata, caule hirſuto, flore pallido, ſemine papaueris vulgaris, nigriore tamen puſillo magis, radice nigra & craſſa, nõ altè in terram defixa, naſcitur in maritimis. Spumoſum verò alias Heracleum dictum à Dioſcoride deſcribitur, & quandoquidem eo caremus,

mus, ea illinc tranſſcribere nolui. E ſatiui porrò papaueris generibus, primum eſt quod in hortis plerunque noſtris ſeritur, capitulum habet longiuſculum, & ſemen intus candidum, & propriè ſatiuum vocatur. Secundum nigrum eſt, ſemine nigro, & capitulo longiore. Tertium erraticum vocatur, quod florem ferat protinus deciduum: folia cichorio ſimilia habet, florem puniceum, interdum album, caulem aſperrimum, plerunque inter ſata prouenit, tanta interdum copia, vt qui ea è longinquo intuetur, terram vniuerſam eo tegi putet. Natura autẽ omnium papaueris generum frigida eſt & ſicca. Differũt tamen ſecundũ magis & minus, nigrum enim reliquis omnibus exitioſius eſt, & ex eo præcipuè ſuccus, quem Opium appellamus, colligitur, non quod idem quoque in cæteris fieri nequeat, quod fit, cùm capita quis aperit, ita tamen vt ea intus non lædat, tùm cum magna ſunt, floreſque deciderunt: ibi ſuccus paulatim deſtillans in vnum cogitur, & induratur albus, ponderoſus, ſolidus, amarus guſtu, odore ſomnum concilians, læuis, in aqua facilimè diſſoluitur, non aſper eſt, non grumoſus, inter colandum non vt cera coit, nec in Sole diffunditur, admotus lucernis non atra lucet flamma, extinctus denique odoris vim conſeruat priſtinam. Hic delectus in opio adhiberi debet, quod tamen multoties adulteratur eo modo, quo Dioſcorides docuit: de quo vlterius verba facere non eſt inſtituti noſtri. Quod ſi contingat Opium aliquem hauſiſſe, accidentia quæ ſequuntur, apparent, hoc eſt, ſopor grauis, refrigeratio, & vniuerſi corporis pallor, ob magnam veneni frigiditatem, quòd confeſtim palpebras tanto torpore afficit, vt apertæ manere nequeant, & partes internas ita lethaliter refrigerat, vt halitus etiam ex ore prodiens frigiditatem præ ſe ferat. Quam calor natiuus fugiens tanquam ſuperiorem ipſo, quandoque extrà propellitur, ſudorque fætidus excitatur, veneni, quod per ſe fædo eſt odore, qualitatẽ retinens. Hinc reſolutiones earum præcipuè partium, quę capiti viciniores ſunt, maxillarum videlicet, exoriuntur, & vt breuibus abſoluam mortis propinquæ ſigna apparent qualia Hippocrates in Prognoſticis deſcripſit, vnde Nicander ſua deſumpſit, cùm ait:

Obtor-

Obtortæ apparent nares, fit liuidus vnguis,
Atque lateſcentes oculi in ſua antra recedunt,
Quæ certam tibi ſigna queunt portendere mortem.

HÆC autem fiunt ob caloris innati abſentiam: quod hoc magis quoque admiratione dignum eſt, in eo præcipuè, qui non ita diu decubuit, quo cauſa pernicioſior oſtendi poteſt. Calor itaque natiuus in ſanguine conſiſtens debilitatus ad cor retrocedit, parteſque faciei muſculoſas derelinquit, quæ & ipſæ tandem fulcro & baſi deſtitutæ conſumuntur. Oculi item concaui fiunt tam ab hanc cauſam, quàm ob defectum ſpiritus animalis, qui alioqui in magna copia illinc ad cerebrum, quod præcipuè in hoc morbi genere læditur, tranſmittitur. Narium item extrema retorquentur, quòd fibræ aridæ prorſus redditæ ſunt ob ſanguinis inopiam. Vngues quoque nigreſcunt, tanquam vicini caloris natiui extinctioni. Nicander adhuc aliud ſymptoma, inflammationem ſcilicet labiorum ab inſigni veneni amarore excitatam, addidit, quæ primum ea corrodit, & ardorem mouet, quo fit vt dolor ſubſequatur, ægerque aliquoties à ſomno, quamuis vehementer dormiat, excitetur. Ætius ſingultus & conuulſiones, quæ ex reſolutione neruorum, qui à cerebro exoriuntur, contingunt adiunxit. Sed quandoquidem ij qui Opium hauſerunt tam graui ſopore ſunt oppreſſi, vt ſibi ipſis auxilium ferre nequeant, os eorum vi apperire, & lanæ hapſum oleo oliuarum, vel roſaceo, vel irino imbutum, vt hac ratione vomitus eliciatur, immittere oportet. Oleum tamen irinum præſtantiſſimum eſt omnium, Calefacit enim. craſſitiemque & frigiditatem vaporum ab hoc veneno eleuatorum diſcutit. Poſteaquam igitur vomitionibus, & clyſteribus acribus vſi fuerimus, ad remedia ſpecialia fugiendum eſt: è quibus primùm eſt vinum dulce, aut certè quàm maximè meracum, cum melle, quòd Poëta noſter Hymmetidum opus appellat, ab Hymetto Atticæ, quæ regio Græciæ eſt, monte, & quia perpetuò floribus pulcherrimis & ſuauiſſimis refertiſſima eſt, apibus etiam abundat, quæ mel conficiunt optimum & ſuauiſſimum, quod Martialis ipſe nobile nectar apum appellat. Nicander præterea apum ortum, de quo in 1. lib. egimus, obiter attingit. Et

quia olim, quemadmodum Vergilius ſcribit in Georgicis, Cereri alueoli in quibus apes mel conficiũt offerri ſolebant. Poëta apes alueolos pro Cerere parare dixit, non tamen vocabulo Græco proprio vſus eſt, ſed quoddam cibi genus è pane & melle factum denotat, ſub quo tamen alueolos tantùm intellexit. Quemadmodum Lycophron idem vocabulum pro tritico quoque vſurpauit. Quam ob cauſam Poëtæ, præcipuè verò Nonnus in Dionyſiacis, Cererem ὄμπνιαν, quaſi nutrientem, appellarunt, quo noſter quoque author vſus eſt. Imperat autem mel cum vino, moderatè etenim calefacit, abſtergit, & naturam ſubleuat aliquantum. Vinum autem quàm maximè meracum eligendum eſt, vt vehementius veneni frigiditati maximæ & ſiccitati reſiſtat. Nam ſi vinum eſſet oligophoron, deduceret illud potius ad partes internas, quemadmodum de cicuta diximus: Hæc itaque Nicander intrinſecus adhiberi voluit, ſed Dioſcorides plura alia remedia addidit, vt abſinthium, vel cinamomum ex vino meraco, acetum calidum cum melle, aut ſale mixtũ, & id genus alia, quæ ex libris ſuis huc tranſferri poterunt. Quæ verò extrinſecus applicantur, balneæ ſunt, idque ob maximam frigiditatem, quæ cutim duriſſimam reddidit, & illarum partium ſanguinem in grumum ferè redegit, aut certè ob eroſionem, quam excitare potuit. Balneæ cùm ſint calidæ & humidæ cutim extendunt, partes refrigeratas & exiccatas corroborant, & per inſenſibilem tranſpirationem exhalare faciunt id quod inter carnem & cutim relinqui potuit, ſanguinemque priſtino vigori ſuo reſtituunt. Præterea non ſunt prætermittenda, præcipuè cùm æger ita ſomno eſt oppreſſus, odorata, quæ naribus indere oportet, vt ſternutamenta moueant, vt cerebrum & facultas animalis irritentur, & ad ſe defendendum inſurgant. Quod reliquum eſt, ſicut accidentia poſt papauer corniculatum vel in potu, vel in cibo ſumptum ſubſequentia ſimilia ſunt his, de quibus modò locuti ſumus: ita curandi quoque ratio eadem omnino eſt, vt Dioſcorides libro VI. memoriæ prodidit.

DE

DE LEPORE MARINO.
CAP. XVII.

Λαγωὸς θαλάσσιος. Lepus marinus.

Primum. *Secúndum.*




LEPVS marinus piſcis eſt ex mollium gener,e in mari naſcens. Dicitur autem ita, non quòd lepori terreſtri corporis ſpecie, ſed colore dúntaxat ſimilis eſt. Lepus etenim marinus nihil aliud eſt, quàm maſſa quædam carnea, informis, teſtaceorum inſtar, & cochlearum teſta exempta. De eo autem loquor, qui in noſtro mari reperitur, & quē Guilielmus Rondeletius, homo in piſcium indagatione diligentiſſimus, vidiſſe ſe teſtatur: Ælianus etenim & Plinius aliam adhuc ſpeciem deſcribunt, eamq́ue in Oceano Indico degere, & omnino Leporem terreſtrem repræſentare, pilis exceptis, quos marinus erectos ſpinoſos, & ad tactum reſiſtentes habet, quæ in terreſtri deſiderantur, affirmant. Celeri autem & concitata natatione eum vti, Ælianus aſſerit, & ex animalibus eò difficilimum ad capiendum eſſe, quòd neque in rete incidit, neque ad lineę eſcam accedit. Cùm ægritudine afficitur natare nequit, & in littus eijcitur. Tanta autem pernicie pollet, vt quiſquis manum ad eam admouet, vel baculum tangit, ſtatim inficiatur, & ſubitò, niſi radice, quam ad idem

Tertium.



mare in inſula quadam naſci ferunt, ſuccurratur. Hactenus Ælianus. Alius porrò qui vulgo ebrius dicitur, in tres ſpecies eſt diſtinctus. Prior venenoſiſſimus eſt, & cochleã exenterata parte præcipuè poſteriore refert. Os habet in dorſo veluti ſepia, duo cornicula qualia ſunt in cochleis. Sed id in hac leporis ſpecie mirandam, quod cùm in omnibus animantibus, partes ſiniſtræ dextris ſimiles ſint, in hoc valdè ſint diſſimiles. Odore & guſtu eſt piſculento, tetroque & qualis eſt piſcis putridi, quem Nicander his verſibus eleganter ſanè expreſſit.

Quod ſi fluctiuagi leporis lethale venenum
Deprendas, fœdum qui ſumpſerit, halat odorem
Qualiter exemptæ reliquo cum viſcere ſquamæ
Vel putridi quod olent, neque loto corpore piſces,
Talis & immundo ſapor obuerſatur in ore.

TAM exitioſa prætereà huius veneni vis eſt, vt non eos tantum qui id per os aſſumpſerunt, ſed qui tetigerunt & inſpexerunt ſolum, quemadmodum Plinius refert, inficiat, ita certè vt ſi grauida aſpiciat, vel accedat propius (præcipuè verò hæc in femella eueniunt) ſtatim ventriculi dolorem, & nauſeam ſentiat, abortumque denique faciat. Quod Rondoletius in grauida quadam muliere, quæ fortè fortuna interuene-

teruenerat, cùm leporem marinum allatum ſibi à piſcatore quodam, diſſecaret, omneſque partes internas ſedulò rimaretur, vidiſſe teſtatur. Cùm autem Plinius ſcribit, contactu quoque mortem afferre, id de prima tantum ſpecie, cuius hiſtoriam ex Æliano ſuprà deſcripſimus, intelligi debet. Veſcitur porrò hic piſcis limo, ſordibuſque, ob eam cauſam in ſtagnis marinis lutulentis, quemadmodum & loligines, vt Ætius ſcripſit, libens verſatur. Hinc Poëta noſter leporem marinum nuper in lucem editum ſub alis ſeu appendicibus loliginis & ſepiæ occultare ſe ſcripſit: cuius naturam etiam obiter depingit. Nam cùm inſidias ſibi ſtructas eſſe à piſcatore animaduertit, magnam atramenti copiam reijcit, quod ideò in corpore aſſeruauit, vt mare tum cùm piſcator eam capere in animo habet, turbet, atroque colore tingat, illaque hac ratione ſaluti ſuæ conſulat. Plutarchus in paruo quodam opuſculo illius meminit, quo in loco ſepiam cum Homeri Dijs comparat, qui cum modò Græcis, modò Troianis bellum indicerent, ſe quòd viribus inferiores eſſe intelligerent, cùm ad pugnam ventum eſt, intra denſas nubes abſcondiderunt, & ita conflictum effugerunt. Secundum leporis genus primo maius eſt, illique omnino ſimile eſt, exceptis partibus externis. Partes enim dextræ ſiniſtris ſimiles ſunt, Parte priore duas latas appendices carnoſas habet, in quarum medio rima eſt: paulò infrà, cornicula duo, qualia in ſuperiore deſcripta ſunt, niſi quòd acutiora & breuiora ſint. Expreſſimus autem vnam tantum partem, quemadmodum in primo etiam. Tertium genus leporis marini, cuius partem pronam & ſupinam repræſentamus, Rondeletium imitati, eadem malitia, qua ſuperiora duo, præditum eſt, & hoc præterea peculiare habet, vt oculos eius, qui exactius eum intuetur, oſtendat: neque alibi quàm in alto mari inuenitur. Reliquum eſt vt de accidentibus, quæ huius veneni aſſumptionem ſubſequuntur, agamus, quod ſua natura manifeſtè calidum eſt, arrodens & putrefaciens. Primum enim guſtu & odore deprehenditur, de quo iam locuti ſumus, & cùm in ventriculo & inteſtinis reſederit, naturalem illarum partium æconomiam diſturbat, & dolores varios excitat, appetitum denique proſternit, &

 biliosas

bilioſas vomitiones venenum redolentes mouet: poſtremò per primas venas ad iecur vſque delatum, ſanguinẽ & ſpiritus calefacit, vnde ſudor fœtidus ſequitur. Ita prætereà vniuerſi corporis culinam vitiat, vt ſanguis qui egreditur, totus ſit aquoſus. Hinc aqua inter cutem exoritur, quæ à pedum & tibiarum inflatione, vt plerunque fieri ſolet, incipit, quod Nicander intelligere voluit, cùm ita ſcripſit:

Nauſea adeſt, tumet alta cutis, taliq́ue viciſsim.

QVI tamen locus malè à Leonicero & Matthiolo, meo iudicio, conuerſus eſt, qui eum ſecutus eſt in ſuis in Dioſcoridem commentarijs, cũ de talorum incendio, & oculis concauis loquuntur, quorum nulla in textu Græco prorſus fit mentio, quod ideò dico, ne qui vtrunque legerint, verſionem meam falſam eſſe exiſtiment. Nam qui eam cum reliquis conferre voluerit, rem ita ſe habere certò comperiet. Æger deinde in icterum, ſeu regium morbum incidit, in quo vniuerſi corporis color ex nigro viridis, & plumbeus tandem apparet. Partes etenim, quæ hunc humorem expurgare conſueuerant, dum corpus ſanum erat, vitiatæ ſunt & obturatæ, quemadmodum ſunt vrinæ meatus: imò virga ipſa intumeſcit, vrinaque minori quantitate quàm ſolebat, reijcitur, imò paucum id quod redditur, cruentum eſt, quandoque etiam purpureum, hoc eſt, è colore rubro & nigro mixtum, quod ſignum eſt extinctionis caloris natiui, hunc colorem Ætius violaceum appellat, & vt breuibus rem abſoluam, meatus ob renum & veſicæ inflammationem ſunt obſtructi. Quibus omnibus ita in corpore inuerſis, & vitiatis, dubitare minimè oportet, partes etiam alimento deſtitui, hincq́ue aridas & exangues reddi, corpuſq́ue in extremam maciem incidere. Sanguis etenim qui ad eas defertur, putredinem, & fatalem huius veneni malignitatem ſentiens, in illarum ſubſtantiam conuerti nequit, præcipuè ob pulmonum, quibus peculiariter infeſtus eſt, eoſq́ue non aliter quàm cantharides veſicam arrodit, quemadmodum Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem ſcriptum reliquit, vlcera. Idq́ue peculiari quadam naturæ ſuæ vi, adeò vt idem libro de compoſitione medicamentorum ſecundum genera ſcribat. Pulmones ex omnibus corporis partibus præcipuè & ſolos quidem à marino lepore excoriari. Quod etiam extrinſecus

maxillarum rubore, quem Nicander flori germinandi confert, deprehenditur. Maxillarum enim rubedo, in affectibus plumonum inſeparabile accidens, quod Græci pathognomonicum vocant, eſt. Pulmones autem à calore, qui à putredine eleuatur, exulcerantur. Noui autem Rondelitium de hoc ambigere, & contra Gorrhæum diſputaſſe. Gorrhæi tamé rationes, quas in defenſione ſententiæ ſuæ in medium profert, manifeſtò ea quæ ſcripſi comprobant. Præter ſigna verò ſuprà commemorata autor noſter aliud adhuc addidit, hoc eſt, quòd qui marinum leporem hauſerunt, omne piſcium genus auerſantur, non tàm quòd à piſce ſunt infecti, quá ob peculiarem quandam naturæ diſſimilitudinem: quod ex eo patet, quòd à cancro, qui tamen ipſe quoque piſcis eſt, non abhorrent, & cùm eum expetere videntur, certiſſimum ſignum ſit futuræ ſalutis. Quòd ſi fortè eo deſtituantur, tot dies ſuperuiuent cum languore, quot lepus, à quo infecti fuerint, vixerit. Quod incommodum vt auertamus, poſteaquam vomitu & clyſteribus vſi fuerimus, ægrum veratro nigro, quod Phocidium autor noſter, quòd primùm in Phocide Græciæ regione parua fuerit inuentum, vocat, purgare oportet. Scio quoſdam aliter hunc locum interpretatos fuiſſe, & vocabulo Græco pro cruento vel nigro vſos fuiſſe: nulla tamen hic ſubeſt difficultas. Scammonij ſuccus eadem vi aduerſus hoc venenum pollet, & Auicenna autore, glycyrrhizæ ſeu dulcis radiculæ ſuccus, & agaricus. Quæ tamen pro medici arbitrio miſceri debent. Scammonium etenim & veratrum non in omni morbo impromiſcuè & abſque ratione adhiberi debent, quemadmodum inſenſatus Pædagogus meus ſolet, qui flagello plerunque etiam abſque vllo diſcrimine vtitur, in quem optimo iure Perſij verſus, quos ad ſui ſimilituem ſcripſit, accommodari poſſunt, cùm ait: Sat. 5.

Diluis elleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen: vetat hoc natura medendi.

LAC aſininum, & maluæ tam radicis quàm foliorum decoctum, magnam vim aduerſus hoc venenum obtinent: inflammationes etenim & punctiones leporis marini mitigant. Reſina item Cedri ex vino oboli pondere ſumpta alexipharmaci naturam & effectum ſortitur. Mala item Pu-

nica cuiuſcunque generis, Ænopeſa nimirum, promenium, & Æginеũ putredini, quæ in corpore excitari poſſit, reſiſtũt. Acini porrò mali Punici tenuiſſima membranula, quam ob hanc cauſam Poëta noſter telam araneorum vocauit, integuntur, & cum vna quoque racemum denotare vellet, cibum vino humectatum dixit, propterea quòd, cùm quis vuam comedit, vinum etiam dulce in ea contentum, quàm primùm per fauces deſcendit, quod in hoc morbi genere tanquam aptiſſimum alexipharmacum, quo perpetuò vtendum, imperat. Oliuam præterea nidificantem denominauit ſub torculari, propterea quòd cùm oleum exprimitur, oliuæ omnes in vnum nidi inſtar colligantur, ita tamen vt prelum illis ferendis par ſit. Dioſcorides his remedijs anſerinum ſanguinem, recens è corpore manantem, & adhuc calentem adiunxit. Santes Ardoynus, qui ea remedia omnia, quorum autores, qui de venenis commentati ſunt, meminerunt, colligere ſtuduit, ſyluam illorum habet, ad quæ, qui plura ſcire voluerit, recurrat oportet: Sat enim mihi fuit ea tãtum quę ad materiæ noſtræ explicationem faciunt, in medium attuliſſe, cùm plura remedia, quæ & parum ad inſtitutum ſeruiunt, quibuſque alia meliora ſuppetunt, & paratu faciliora, in vnum coaceruare nequaquam voluerim.

DE HIRVDINE.
CAP. XVIII.



Βδέλλα. Hirudo. Sanguiſuga.

HIRVDO animal eſt è genere inſectorũ, quod plerunque in aquis, præcipuè cœnoſis & lutoſis, vt ſtagnis, viuarijs, & riuulis per loca paludoſa fluentibus reperitur. Eſt autem duorum generum. Vna marina eſt, & in ſtagnis marinis

marinis viuit, altera in aquis dulcibus degit. Marina ei quæ in aquis dulcibus naſcitur, ſimilis eſt, cuius effigiem ſuprà appoſuimus, niſi quòd grandior eſt, & cute duriore, quod in cauſa eſt, cur non ita facilè ſicut altera in globum ſe contrahat, nec ita ſe colligat: caudam etenim tantum & caput retrahit. Hirudines verò aquarum dulcium extenſæ, vermem, ſeu muris caudam mirificè repræſentãt: perpetuò enim ſeſe còntrahunt à cauda caput verſus, ſed non omnes ſunt ſimiles. Quædam enim ceruice cæteris ſunt latiore, ruſæ deinde magis, & paruis maculis inſignitæ: quæ certè longè pernicioſiores ſunt ijs, quæ nigræ tantum ſunt. Singulæ tamen corpus habent, quod veluti è paruis circulis, ordidine inter ſe colligatis conſtat, quorum opera quandoque in globum contrahuntur, & fabam, & longitudine & latitudine referunt, & ita priore parte ingrediuntur, & poſteriorem trahant. Sunt autem omnes venenoſæ. Quædam tamen plus cæteris. Nam quæ in aquis purioribus, & fluentibus inueniuntur, non ita exitioſę ſunt. Quare cùm quis ijs ad ſanguinis euacuationem vti voluerit, eas diligenter circa ceruicem obſeruare, & iuxta artis præcepta præparare oportet. Alioqui enim vlcera in carne maligna, & curatu difficilia relinquent. Quod eò magis præſtant, cùm quis eas relicto capite auellit, quemadmodum olim Meſſalino accidit, qui hirudinem genui admouerat, è qua perijt. Nam hoc peculiare habent, vt quamcunque corporis partem attingant, ei adhæreant, ſanguinemq́ue exugant, quam ob cauſam à Græcis βδέλλαι .i. ſugentes dictæ ſunt, & à Latinis Sanguiſugæ. Hinc etiam conciones & ſelecta verba, quibus pecunia emungitur, hirudines ærarij appellarunt. Quo loquendi modo Cicero in quadam epiſtola vſus eſt. Accidit autem aliquoties, vt viatores ſiti defatigati, & quamlibet aquam, quæ obuiam fit, bibentes, & os tauri inſtar inclinantes, vt autor noſter aſſerit, non obſeruantes quid hauriant, hirudinem vna cum aqua ingredi ſinant: quod in bobus ſępenumerò vſu venire Columella ſcripſit. Sanguiſuga itaque vel hoc modo, vel alia quacunque ratione, in os ingreſſa, faucibus quandoq; aut gutturi adhæret: quod Poëta intellexit, cùm ita ait:

Quandoquidem prenſæ ſugens ſe beſtia carni
Applicat, & vegetum trahit alto ex corpore ſuccum,

Aut etiam extrema pendens in fauce moratur,
Anguſtaſque animæ tenet ad præcordia portas.

NAM in hac parte aër qui inſpiratione attrahitur, in vnũ veluti cogitur, vt vuam quæ parua fiſſura eſt & anguſta ſatis penetrare poſſit. Quandoque etiam ad ventriculi orificium vſque deſcendit, nonnunquam ad ipſius fundum, cui affixa ſugere incipit. Quod è ſignis particularibus cognoſci nequit, ſed ex ægri relatione duntaxat; verum quidem eſt excreari quandoque ſanguinem aquoſum & paucum, tum hirudo paruæ venæ adhæret: nonnunquam omnino naturalem & copioſum excerni, cùm vena magna eſt: tamen quando hoc multis alijs de cauſis fieri contingit, ſi hæ deſiderentur, medicus ſuſpicari aliquid poterit. Quòd ſi nulla alia cauſa appareat, ob quam ſanguinem æger reddat, fateaturq́ue ſe bibiſſe, vt ſuprà oſtendimus, interimq́ue ſuctionis ſenſum in corpore percipere ſe conqueratur: tum ſecurè quis remedijs huic vitio proprijs & conuenientibus vti poterit. In quorum adminiſtratione duo ſibi Medicus proponere debet: primùm vt auellat ſanguiſugam, interficiat, & è corpore proijciat: deinde vt vlceri quod excitauit, medeatur: quod autor noſter, & reliqui qui de hac ſcripſerunt, ſilentio prætereriũt, Gorrhæo excepto, qui cùm vitium eſt in ore gargariſmis vti conſuluit, aut potionibus meditatis, cum malum inferiores partes infeſtat, quæ facultatem habeant abſtergendi, & moderatè aſtringant, & calefaciant. Venenum etenim hirudinum frigidum eſt. Reliqua remedia ad amouendas & occidendas hirudines, acida parum & acria, vel ſalſa eſſe debent. Quod in ijs quæ extrinſecus admouentur, experimur. Nam vt cedant, nihil præter ſal aut cinerem adhibere oportet. Cõuenientiſſimum igitur erit acetum cum niue ſeu glacie mixtum, in potu dare, aut ſale foſſili (quale in quibuſdam regionibus habetur) vel eo, quod artificio quodam ex aqua marina conficitur, vti vel muria ad Solem vel ignem feruefacta, vel ſalis ſpuma, quæ dum aqua dulcis ſalſæ commiſcetur, vt ſal guſtu ſit gratius, & quod fit, cum aqua, pluuiali deſtituimur, aufertur. Medicus præterea exercitatus pro morbi neceſſitate, quam plurima alia remedia, & gargariſmata tàm ex ſuprà comprehenſis, quàm infinitis alijs à Dioſcoride deſcriptis, componere poterit. Gargariſationes autem non ad-

hibeat,

hibeat, niſi tum cùm malum non altius quàm in os deſcendiſſe viderit, quemadmodum iam diximus.

DE FVNGO.
CAP. XIX.



Μύκης, Fungus.

SI vnquam neceſſarium fuit remedia aduerſus venena conſcribere, vt incommoda, & lethales inſidias, quæ nō ratò ex hominum malitia quadam ſtruũtur nobis, euitare poſſimus, hoc profectò tempore omnem lapidem mouere oportet, vt ea inquiramus, & in huius veneni explicatione in medium proferamus: quod non clàm ab inimico noſtro, aut fucatum, vel alijs bonis edulijs permixtum offertur nobis: ſed magno labore ab eo inquiritur, qui quietē ſuam interturbat, vt manè fungos colligat, aut mortem potius, non ſecùs ac leporem venetur. Qui tamen inuēti nondum eum adhuc iugulant. Sed ſtudioſè ab eo domum feruntur, iiſque tanquam cibo omnium delicatiſſimo ſatiatur. Quæ cùm ita ſe habeant, & homines luxui & gulæ addicti, ea ſæpenumerò, quæ mortis cauſam præbent, appetant: ſaltem quibus medijs tueri ſe poſſint, intelligere oportet, & qua ratione culpam cōmiſſam reſarcire, & pernicioſos à bonis diſtinguere queant. Fungus itaque corpus eſt ſpongioſum, leue, molle, & album, & vt

plurimum è terræ veloci, in quo naſcitur, luto prouenit. Quod effumat ob acidum quendam ſuccum in aurora præcipuè, quam ob cauſam Nicander eum terræ fermentum appellat. Nam & fermentum aciditatis particeps eſt, panemque tanquam fungum reddit, qui nihil aliud eſt quàm limus ab exigua aciditate inflatus, quę tantam cum ferméto cognationem habet, vt ſi aqua perfundatur, & in terram eo in loco quo quis populi nigræ truncum ad radicem vſque ſecuerit, effundatur, breuiſſimo temporis ſpacio copioſos edat fungos. Fungorum autem duo ſunt genera. Quidam enim terreſtres ſunt, quidam verò ſylueſtres, & in arboribus prouenientes, vtrique tamen abſque radice, abſque caule, folijs, fructu, ſemine, medulla, neruis, venis. E terreſtribus ſunt ij, quos à Græcis & Latinis boletos appellari exiſtimo, pellicula candida, ſub qua rubri apparent, integuntur, quos Paulus Ægineta omnium minimè noxios eſſe voluit. His verò bonitate pares ſunt amanitę Grçcis dicti, tertio loco Ægiritæ, qui in populi nigræ caudice fermento perfuſi, quemadmodum diximus, proueniunt. Qui deinde ſequuntur, ſinguli diuerſa ob varias ſpecies nomina ſunt ſortiti. Quidam etenim ouales, quòd ouum figura referant: quidam verò, quòd digiti inſtar longi appareant, digitales, nonnulli quòd ſciſſuras veluti, & rimas habeant, ſpongioſi dicuntur: quales ij ſunt, quos Galli marilles vocant. Nonnulli facti ſunt ad modum panis Zuccharini, quidam ad fuſi ſpeciem, & ſinguli pro regionũ & formæ varietate diuerſo modo appellãtur. Sunt prætereà adhuc quos Latini Lacinios quaſi inciſos vocant: quos ego magnos illos eſſe exiſtimo, qui intrinſecus inſtar Heluetici pilei ſunt formati, intus autem rimas ſeu fiſſuras habẽt. Alios prætereà habemus quos lupi flatus, & in lecto mingentes vocamus, qui acuminati & plurimum rufi ſunt, & cum quis pedibus caleat, ſtrepitum paruum cum fumo edunt. Hæc itaque, quod ad terreſtres, quos Poëta terræ filios, quod abſq; ſemine proueniant, pertinent, dicta ſufficiant. Prope Lutetiam tamen, & magni & lati inueniuntur, quæ in capitibus ſimile aliquid ſemini ferunt, quod pluuioſo cælo in terram proiectũ, copioſos deinde fungos producit. Sylueſtres porrò fungi ex arboribus, præcipuè verò earum radicibus enaſcuntur, ob illarum humiditatem ſuperabundantem, perinde ac

agaricus

agaricus, qui nihil aliud eſt quàm fungus ſpongioſus ex arbore proueniens. Diuerſa tamen eſt natura, & longioribus tractibus creſcit. Prætereà è ſyluestribus fungi quidam ſunt, quos Iudæ auriculas, quòd auriculam repræſentent, vocant. Quidam Riſollos ob ſimilitudinem quam cum illis habent, & circulum dimidiatum referunt, quemadmodum paſtæ è carnibus ferinis parantur. E fungis porrò quidam boni (ſi tamen boni ſunt vocandi) ſi in cibo aſſumantur, quidam verò exitioſi ſunt, & non abſque periculo aſſumuntur, idque vel propria ſua natura, vel ex accidenti. Propria natura tales ſunt, lupi flatus & in lecto mingentes, & qui ex arboribus enaſcuntur ſua natura venenoſis, vt taxo, & in ijs etiam, quæ quicquid mali continent, in eos transfundunt, vt quercus & quoddam eius genus, quod Ilicem Latini appellant: malus item Punica, & olea, quemadmodum è Nicandri verſibus, in Georgicis ſuis ſcriptis, & ab Athenæo ad eum modum, qui ſequitur, adductis, colligere licet:

Fungus lethalis, humidus, & grauis
In olea naſcens ſemper malè agit,
Secumque affert mortem pernicioſam,
In Punica malo creſcens, quercu, & ilice.

DELETERII porrò ex accidente ij ſunt, qui prope clauos rubigine tinctos aut pannos marcore confectos, fimos putridos, & ſerpentum latibula inueniuntur. Nam halitu ipſorum inquinati, venenum facilimè retinent, cùm ſint teneri & rari. Modus autem dignoſcendi eos hic eſt: quàm primum ſunt collecti atque purgati, cultello denique diſſecti, colore ſunt pallido, & rancidum aliquid redolent, plumbeique, aut nigri, aut virides apparent. Et poſteaquam elixati fuerint, viſcidi ſunt, & compacti inuicem. Innoxij porrò & eſculenti, candidi manent, ita tamen vt calor rufus ſit admixtus, quales ſunt qui in pratis & montibus naſcuntur, de quibus Horatius locutus eſt, cùm ait:

Præſentibus optima fungis
Conditio eſt: reliquis malè creditur.

ET quãuis tales ſint, tamen nõ ſimpliciter boni dicuntur, ſed reſpectu duntaxat priorum, quòd ſcilicet minus ſint noxij. Nam, vt Galenus aſſerit, fungi frigidi ſunt, & humidi, quam ob cauſam veneni participes ſunt. Imò alio in

loco

loco boletos pituitoſum, frigidum, & mali ſucci alimentum, præcipuè ſi quis ijs immoderatè veſcatur, præbere affirmat. Plinius inter ea ponit, quæ temerè manduntur, & Iuuenalis ancipites vocat, cùm ait:

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis.

CVI incommodo vt medeamur, eos coctura præparare, pomaque vel pyra ſylueſtria, vel ſi deſint, domeſtica, modò ſint acidiuſcula, adijcere oportet. Folia etiam & cortex earundem arborum eandem, quam fructus, facultatem obtinent. Id quod Cephiſodorus Iſocratis diſcipulus in verſibus ab Athenæo recitatis obſeruaſſe videtur, cùm ait: Antequá fungis vel alio cibo ſtrangulatum inferente veſci velit, ſe prius poma acida ſumpturum. Symptomata porrò omnia quæ in ijs, qui fungos lethales aſſumpſerunt, apparent, hæc ſunt: Primùm ſtrangulatum veluti inducunt, cum dolore colico, ob flatus & humores craſſos à fungis generatos, qui, vt diximus, frigidi ſunt & humidi. Quod commune quoque etiam cum ijs boni habent, ſi immoderatè ſumuntur. Alij tamen hoc peculiare habent, vt ventriculum & inteſtina exulcerent, eaq́; abſque ceſſatione pungant, corpus denique vitiato colore inficiant, & ad pallidũ vergente, vrinã ſupprimant, frigus & tremorem excitent, pulſum intercipiant, animi deliquium afferant, ſudorẽ poſtremò frigidum, & mortem tandem niſi quis maturè ſuccurrat, vomitionibus primùm & clyſteribus, deinde per ea quæ exiccant & calefaciunt: qualia ſunt raphanus, ruta, cinis clematidis ex aceto potus, Alexandri pes, nitrum, naſturtium, ſinapi, vini feces combuſtæ, gallinaceum item ſtercus in puluerem redactum, & ex aceto mulſo hauſtum. Dioſcorides cinerem vitis ſarmentorum, vel pyraſtri ſurculorum cum ſale, nitro, & onycrato, quod ex aqua & aceto paratur, ſumptum, adiecit. Oua item gallinacea cum ariſtolochiæ drachma, & id genus quam plurima alia remedia. Flos etiam æris veteris tenuiſſimarum eſt partium, & hanc ob cauſam humorem craſſum è corpore extrahit, quemadmodum Dioſcorides libro quinto ſcriptum reliquit: quam ab cauſam commodè aduerſus fungos adhibetur. Flos autem æris tum paratur, cùm candenti ęris maſſæ affunditur aqua, quæ ſubitò refrigerata, exiguam veluti ſpumam reijcit, quæ induratur, & milij grani effigie concre-

concreſcit. Atqui præſtantiſſima omnium remedia aduerſus hoc venenum ſunt Theriaca, & Mithridatũ, ex aceto, oxymelite, vel aqua vitæ ſumpta. Quòd ſi ea deſunt, conſultiſſimum erit, vt piper in vino, quoad eius fieri poteſt, maximè meraco decoquatur, & in potu ſumatur, alliumque deinde crudum, ruſticorum Theriaca & Mithridatum vulgò dictũ, deuoretur. Quæ autem de malignitate fungorum per accidens anteà retulimus, eadem in tuberibus quoque euenire poſſunt. Nam è Diphili ſententia quædam ex ijs ſunt, quæ ſtrangulatum eodem planè modo, quo fungi, inferunt. Aduerſus quæ remedijs ſuprà poſitis vti non inutile, meo iudicio, erit.

Præter illa verò Poëta noſter myrthi grana ſeu baccas adhuc præſcripſit, in fine ſui libri, quaſi oblitus eſſet, vt ea inter fungos collocaret. vult itaque vt myrthi ſemen, vel fructus, quem ex purpureo floridum appellat, quod ſit medio inter rubrum & nigrum colore, ſumatur, magis tamen niger eſt quàm ruber. Dicit prætereà eum hyemis radijs matureſcere: tardiſſimè etenim ad maturitatem peruenit. Debent autem baccæ teri, vt ſuccus inde poſſit exprimi, quem ei, qui fungos lethales comederit, in potu dare oportet. Nicander autem myrthi quidem non meminit, tam claram autem deſcriptionem apponit, vt facilimè quis cognoſcat, quid per vulgatam illam fabulam de Paridis, egregia forma iuuenis in monte Ida prope Troiam iudicio lato, per quod Veneri, quæ à Poëtis ſpumea denominatur, quòd è maris ſpuma procreata ſit, pomum aureum adiudicauit, intelligere voluerit. Quæ deinde myrtho in victoriæ ſignum coronauit ſe. Quam ob cauſam Pallas & Iuno Samienſis, ſic dicta ab inſula Samo, in qua adorabatur, myrthum odio proſequi ceperunt, tanquam ignominię acceptæ, tum cum Venus illis prælata fuit, teſtem.

DE

DE RVBETA, ET ALIIS RANARVM VENENOSARVM SPECIEBVS CAPVT XX.



Φρῦνος, καὶ βάτραχος ἕλειος, Rubeta, Rana paluſtris.

GALLI Ranas in vniuerſum in duo genera diſtinxerunt: Quædam ſunt venenatæ, quas propriè Bufones vocant. Quædam verò veneno carent, & ranarum nomen ſeruant: de quibus hoc in loco loqui nequaquam eſt inſtituti noſtri. Bufonum autem tres ſunt ſpecies. Prima viridis, quæ alioqui craſſa dicta eſt, & pinguis rana. Secunda rana paluſtris, ſeu bufo aquatilis. Tertia & poſtrema Rana muta. Primi porrò generis ranæ rubetæ dicũtur, quòd plerunq; in dumetis viuant. Magnitudine paruam teſtudinem æquát, duas habent in fronte appendices, & ranæ ſimiles ſunt, niſi quòd nigræ ſunt, & roſtrum habent latius atque rotundum magis, cùm quis eas adoriri voluerit, inflantur (id quod reliquis etiam eiuſdem ſpeciei, de quibus deinceps agemus, cómune eſt) hinc Gallico prouerbio data fuit occaſio, cùm de homine feroci & ſuperbo loqui voluerunt. Eum enim bufonis more inflari dixerunt. Inſurgunt autem contra viatores, eoſque habitu ſuo, qui vi deleteria præditus eſt, inficiunt.

Hæ



Hæ ranæ æſtiuę ab autore noſtro ſunt vocatæ. Pręcipuè enim æſtitatis tempore apparent, cùm venefici eas ad ſuam vtilitatem perquirunt. Secunda ſpecies illa eſt, quam Galli ſimpliciter bufonem appellant. Inuenitur plerunque in locis humidioribus, paluſtribus & cœno oppletis: quam ob cauſam etiam rana paluſtris, ſeu bufo aquatilis dicitur. In aquis generantur, & ſub magnis ſaxis, & ferè ranis ſimiles ſunt, niſi quòd roſtro ſunt acutiore, & pedes habent breuiores, in quo etiam à rubeta diſtinguuntur, cute ſunt tota tuberoſa, & maculis multis cinereis notata, tàm denſa & dura, vt difficulter ſæpenumerò perfori queat, idque tum potiſſimum, cùm ſeſe inflant rubetæ, quòd vehementius ictibus reſiſtat. Atque his duabus ſpeciebus venefici, & mulieres veneficæ, in Gallia vt plurimũ vtũtur, idque diuerſis rationibus, quas multo ſatius eſt occultas, quàm cognitas eſſe. Tertia ſpecies ranę rubetę ea eſt, quam mutá vocant, quæ reſpectu ſuperiorũ parua eſt, viridis, & plerunq; in arundinetis viuit, quá ob cauſam etiá, Plinio teſte, rana Calamites à calamis dicta eſt, & muta, proptereà quòd nullam vocẽ edat, quemadmodũ priores, præcipuè

rana

rana paluſtris. Hæc porrò rana aliquoties à bobus, ſeu vaccis deuoratur vnà cum herbis quibus veſcuntur, è quo totum corpus ita intumeſcit, vt ſæpenumerò rumpantur. Quòd ſi venefici, aut quicunque alij venenũ è rana rubeta compoſitũ fortè dederint, vel aliquis eas herbas quibus venenum ſuum ea aſperſerit, aſſumpſerit, vniuerſum corpus color pallidus occupabit, thapſi inſtar, qua herba olim ad tincturam vtebantur, quam tamen ad noſtratem accommodare non poſſumus. Hoc autem fit non tantùm ob huius veneni, quod, frigidum eſt, & humidum, naturam, ſed ob vim quandam deleteriam peculiarem, qua humores putredine inficit, corpus accendit, aut certè in tumorem attollit, ſingultus prætereà & fœtorem, quemadmodum quæuis putredo, mouet. Hic porrò tumor ex humorum abundantia oritur, & ita thoracem comprimit, vt æger aërem cum maxima difficultate attrahat. Nam ſeptum tranſuerſum, quod Græci diaphragma vocant, cum liberè moueri nequeat, reciprocat ſtatim, & ſpiritum crebriorem inducit. Ælianus prætereà ſcriptum reliquit, ſi quis eam acrius intueatur, & illa contra improbo obtutu ſuo reſpiciat eodem tempore, ſtatim hominem pallore infici. Quod tamen, vt idem aſſerit, ad dies non multos durat: de quo & nos alibi verba fecimus. Qui verò à rana paluſtri ſeu bufone aquatili ſunt infecti, humiditatem in ore percipiunt, nauſeam item, animi deliquium, vomitum, & vehementiſſimum oris ventriculi dolorem: quod fit tàm ob peculiarem & latentem vim, quàm ob frigiditatem & humiditatem huius veneni. Ranæ deinde mutæ eadem propemodum accidentia, quæ rana rubeta excitant. Ægrum etenim colore buxeo, hoc eſt, ad pallidum vergente inficit, & præterea in propagationem generis humani coniurat veluti, dum ijs partibus, quæ ad ſobolem augendam à natura ſunt deſtinatæ, ſeſe inſinuat. Meatus etenim & vias, per quas ſemen prolificum defertur putredine imbuit, ita vt cùm amplius in ijs contineri nequeat, præter voluntatem, & citra Veneris appetẽtiam excernatur, atque profluat. Hinc Poëta id ſterile ſemen vocant, quod veneni frigiditate & humiditate imbecillius iam ſit factum. Atque hæc quidem accidentia ranæ venenatæ introducunt, quæ tamen pro varietate venenorum, quæ quis cum toxicis miſcet, differunt, ita vt nõ

omnia hæc ſimul in infectis conſpiciantur. Hoc tamen vulgò in Gallia experimur, eos ferè omnes ictero corripi, ob maleficam huius veneni facultatem, quod in ſanguinem ſeſe, & partes nutritioni dicatas transfundit, eaſque ad tantam ariditatem perducit, vt à morte induratæ prorſus & lapideæ veluti, iecur præcipuè, appareant. Et quandoquidem hoc venenum tota ſua ſubſtantia deleterium eſt, id tàm manifeſtis qualitatibus, quàm peculiaribus antidotis debellare oportet: quod poſt vomitum irritatum, & aluum clyſtere ſubductam demum fiet. Et quia natura ſua frigidum eſt & humidum, flatus excitat craſſos. Hinc Nicáder picem, quæ calida eſt & ſicca, præſcribit, & quæ ſua partium, è quibus conſtat tenuitate, craſſitiem illam diſcutit atque diſſoluit. Debet autem ex Ætij autoritate ex vino ſumi. Breuiter, calida omnia hic maximè proficiunt. Antidotus etiam ſpecialis è liene ranæ rubetæ deſumitur. Confert item decoctum ranarum marinarum ex aceto, vel ranæ ipſæ aſſæ. Ratio autem horum è primo capite primi libri noſtri peti poteſt. Aduerſus hoc venenũ prætereà, & ranæ præcipuè calamitæ, ſeu mutæ, arundinis radix, ſeu cyperi è vino meraco ſumpta prodeſt. Cyperum porrò Nicander amantem vitæ vocat, propterea quòd vbi in loco aliquo radices agere, & erumpere incipit, copiosè plerunque proueniat, & perpetuò augeatur. Eius duas, vt interpres Græcus affirmat, ſpecies, marem ſcilicet & fœminam cõſtituit. Poſteaquam igitur his remedijs vſi fuerimus, ægerque iam melius habere ſe incipiat, eum balneis ſiccis vti oportet, vt cutis pori reſerentur, portioque humoris, qui hanc caloris mutationem induxit, per ſudorem euacuetur. Crebrò etiã lauare eum, & cogere, vt obambulet, oportet, vt magna humiditas à veneno inducta exiccetur, & effluat, calorque naturalis ſopitus veluti à frigidis & craſſis vaporibus, ſparſis per vniuerſum corpus excitetur. Totius etenim curationis fundamentum in eo conſiſtit, vt cauſæ quæ ægrum aggrauant, abſcindantur & auferantur. Caute tamen omnia ſunt agenda, & nihil quicquam abſque Medici hac in parte artis exercitati conſilio tentandum, ſeu moliendũ, niſi fortè tẽporis ratio aliud ſuadeat, neceſſitaſque, ob quam hos duos libros potiſſimum conſcripſi, vehementer vrgeat. Sunt prętereà innumera alia aduerſus hoc venenum remedia, vt beto-

nicæ decoctum, plantaginis, arthemiſiæ, & teſtudinis ſanguis è vino potus: quę omnia ab ijs, qui plura ſcire deſiderauerint, apud ſcriptores antiquos per ocium legi poſſunt. Hoc tamẽ poſtremò annotabimus venenum hoc non per os tantum ſumptum exitioſum eſſe: ſed cùm extrinſecus etiam cutis eo aſpergitur: quemadmodum crebrò in ijs vſu venire videmus, qui dum ranas venenatas occidere volunt, propiuſque ad eas accedunt, veneno ipſarum polluuntur. Locus itaque diligenter abſtergi debet, & aliquod ex remedijs, de quibus libro primo, cùm de curatione vulnerum à beſtijs venenatis, & præcipuè à cane rabioſo illatorum, deque ſpuma ipſius etiam ageremus, locuti ſumus, ſuperponi.

DE LITHARGYRO, ET ARGENTO VIVO. CAPVT XXI.

λιθάργυρος, Spuma argenti.

ὑδράργυρος, Argentum viuum.

QVod Græci Lithargyrum vocarunt, Latini ſpumam argenti appellant. Quamuis multò rectius ſpuma, aut lapis plumbi, vel argenti, ſiquidem ortum ipſius conſiderare voluerimus, dici deberet. Lithargyrum itaque medicamẽtum eſt metallicum, hoc eſt, quod artificio quodã è metallo quodam eſt compoſitum. Neque enim velut aurum & argentum naturæ ſponte gignitur, ſed è metallis naturalibus conficitur: quapropter inter ea recenſetur, quæ in ſecundis fornacibus, in quibus metalla ſeparari & expoliri incipiunt, parantur. Potiſſimum tamen è plumbo conſtat, cuius vna, eaque bona pars in ſpumã, altera in fecem, quæ Græcis molybdæna, Latinis plumbago dicitur, conuertitur. Fit autem quinque modis. Primum ex plumbo, ſiue in lapide, ſiue fodina, ſiue in laminis tàm diu in catino coctis, dum partim in ſpumam, partim in plumbaginem ſint conuerſæ. Secundò fit è miſtura plumbi & argẽti. Tertiò è mixtura plumbi & auri. Quartò è mixtura plumbi, argenti, & auri. Quintò ex ære & plumbo. Dioſcorides de tribus prioribus locutus eſt, & peculiaria ſingulis nomina indidit. Primam molybditin, Secundam argyritin, Tertiam chryſitin, appellat. Quarta & quinta

à Georgio

à Georgio agricola præſtantiſſimo rerum metallicarum ſcriptore, additæ ſunt. Omniũ verò optima eſt, & qua nos quoq; in arte medica vtimur, ea quæ è plumbo & auro conſtat, & colore fuluo eſt. Duæ tamen ſpecies eius in vſu ſunt, candida nimirum, quæ & argentea dicta eſt, & fulua ob ſimilitudinẽ quam cum auro habet, aurea vocata. Ita hæc duo vocabula, non materiam duntaxat, è qua argenti ſpuma parata eſt, ſed calorem etiam quo prædita eſt, & qui in eam imprimitur, ſignificant, prout ignis vel vehemẽs, vel lentus extiterit. Nam cùm magnam ignis flammam, vel vim ſuſtinet atque patitur, fuluum colorem contrahit, ſin exiguum, candida manet. Quòd ſi in catino inferiori, poſteaquam è ſuperiori defluxit, diutius manſerit, in maſſam grauis ponderis cõcreſcet. quod ſi ſubitò eximatur, inflata tantũ & pondere leuior erit. Prima à Græcis ſtereotis, hoc eſt, ſolida, altera pneumene, hoc eſt, inflata, dicitur, vt Plinius, qui tamen paulo aliter de hac re ſcripſit, quàm Agricola, affirmat. Matthiolus in ſuis in Dioſcoridem commentarijs, non omnino in hac ſententia eſſe videtur, quod ad lythargyrum argẽteum & aureum attinet. Colorem etenim aureũ è vapore æris fului cum plumbo mixti emergere ſcribit, argenteum verò ex argenti vapore, ita vt concludat tãdem, lithargyrũm nihil aliud eſſe, quàm plumbum æris vel argenti vaporibus commiſtum.

Etſi autem Nicander de Lithargyro duntaxat ſit locutus, hoc tamen in loco argentum viuum quoque adiungam, & deinceps alia quædam etiam metalla, quæ cùm vulgo nimis nota ſint, commodè huc referri poſſunt, vt ſi quis ijs ad perniciem, quemadmodum certè ſæpenumerò accidit, abutatur fortè, curandi rationem ſaltem calleamus.

Argentum viuum dictum eſt, quòd quaſi continuò moueatur, & viuum veluti videatur. Ariſtoteles argentum liquidum, fluidum, & fuſum vocat. Dioſcorides & Græcorũ plerique ὑδράργυρον, hoc eſt, argentum aquoſum vocant: quibus tamen duobus vocabulis Plinius eſt abuſus, in eorũ explicatione. Argentum itaque viuum metallum eſt liquidum, & aquæ modo fluidum, mobile, colore argenteo, ſed liueſcente parum. Qui de eo ſcripſerunt, duo eius genera conſtituerunt. Natiuum vnum & purum, quod in venis fodinarũ argenti inuenitur. Alterũ factitium, cuius cõponendi rationem

Dioſcorides libro quinto docuit. Hæc duo portò eadem natura prædita ſunt, & eandem ſubſtantiam habent, grauem nimirum, tenuem, & ad tactum frigidam. Et quamuis fluida ſint, loca tamen per quę fluunt, nequaquam humidiora reddunt, cùm ſiccitatem intus habeāt innatam, & in profundo, & in centro veluti deliteſcentem, quæ tamen aliqua ex parte humiditati externæ, à qua temperatur, commiſcetur. Chymiſtæ tanti hoc metallũ fecerunt, vt bona illorum pars non abſque magno ſumptu & expenſis illius, curſum intercipere & motus celeritatẽ præpedire conati fuerint: & cùm nondũ voti huius compotes facti ſint, nihilominus tamen animum in hoc puerili ludo fatigantes, præter opinionem remunerationis, ſumptuum & laboris loco, ex eo pernicioſiſſima venena collegerunt, quorum illi primum periculũ fecerunt. Nam cùm id, cum infinitis alijs medicamentis commiſcerent, cõpoſitiones inde pararũt, qua admirabiliores & pernicioſiores excogitari non poſſent. Hinc argentum ſublimatum, & quod præcipitatum vocant, Galliæ nimis familiaria, reſultant. Taceo quòd ex hoc metallo conſecuti ſunt tremores vniuerſi corporis, apoplexiam, neruorum retractiones, & articulorum dolores intolerabiles. Breuiter, non video in noticia huius metalli tantum vtilitatis ineſſe, quantum ſi ignoraretur. Nam, vt verum fatear, nihil inuenio, in quo ad humanam naturam accedat, niſi quòd aurum vehementer amat, atque amplexatur, cui ſoli ſua ſponte, nullaque artis ope adhæreſçit, idque intra ſe recipit. Cætera enim, præter aurum, metalla ei innatant. Vſum tamen aliquem præſtat in profliganda lue Venerea, non tamen talem, vt magna ſit habenda gratia. Cùm etenim caput & neruos, & oſſa ipſa quandoque petit, tantum humorum præcipuè ad gingiuas, & reliquas omnes oris partes deſcenſum mouet, vt cùm vitiatis boni etiam euacuentur, & vnà cum ijs vita quoque ipſa, niſi malignitas ipſius coërceatur. Quanto verò cum periculo fallax hoc medicamentum ab aliptis, ſtolidis mulierculis, & id genus imperitis hominibus, qui in Remp. tanquã peſtis ſeſe ingerunt, & multorum malorum cauſa ſunt, cum id nullo habito reſpectu, & abſq; vllo iudicio, quo deſtituuntur, adminiſtretur, nemo eſt qui non videat. Neque tamen hoc in loco diſputare inſtituti noſtri eſt, ſed hæc admonendi

gratia

gratia dixiſſe ſat eſt. Neque etiã diutius immorabor in explicãda copioſius argenti viui natura, quod nullũ habet præter ignem hoſtem capitaliorem, quem adeò fugit, vt quamuis ponderoſum ſit, ſuperiora tamen ſubitò petat, vt aurum quoque optimus amicus ipſius, facit. Hoc tamen dicam, difficulter inueniri quenquam, qui naturam ſuam & vires exactè perſpectas habere ſe iurè gloriari queat. Dioſcorides porrò id per os aſſumptum, mortem afferre dixit. Grauitate enim ſua maxima perforat & arrodit partes internas, & eadẽ accidentia quæ Lithargyrum, mouet, grauitatem nimirum in ventriculo, flatus magnos, dolores ventriculi vehementiſſimos, ijs ſimiles, quos, vt Poëta noſter aſſerit, æger in torminibus percipit: quod ob eroſionem inteſtinorum cõtingit aliqua ex parte. Accedit etiam vrinæ ſuppreſſio, ob dolorem qui fluxionem in partibus internis, in quibus veſica ſita eſt, mouet, quæ vrinæ meatus obſtruit. Quo fit vt corpus intumeſcat, atque colorem plumbeum ſiue liueſcentem præ ſe ferat, ob humores à lithargyro, quod plumbi naturam per omnia ſeruat, & ab argento viuo, quod argentum colore repræſentat, & ad plumbum aſpectu accedit parum, infectos & putredine inquinatos. Hæc itaque aſſumpti lithargyri & argenti viui accidentia ſunt, Dioſcoride teſte, quæ de verbo ad verbum è Nicandro nihil prorſus addens, deſumpſit. Galenus frigidè ſatis de eo in capite proprio agit, eiuſq; nullum feciſſe periculum fatetur. Quinto tamen ſimpliciũ medicamentorum libro inter ea collocat, quæ tota ſua ſubſtantia humanæ naturæ ſunt contraria. Matthiolus id extremè humidum & frigidum eſſe ſcripſit, ſuaque frigiditate humores corporis congelari, & humiditate putrefaciente infici ait. Quo fit, vt qui id ſumpſerunt, fœdum ex ore halitum reddant, quemadmodum ij qui eo in lue venerea inunguntur. Neque alia ratione noxium eſſe, quàm ſi quis in maiori quãtitate aſſumat, quòd continuò moueatur, & inferiora petat, vel ſi alteri medicamento, quod vim habeat illud in corpore retinendi, admiſceatur.

Horum autem venenorum curandorum ratio in duobus præcipuè capitibus conſiſtit. Primum cauere præcipit, ne partes internæ arrodantur. Secundò modum oſtendit, qua ratione tumor corporis diſcutiatur, viæque reſerentur

obſtructæ. Quam ob cauſam à vomitu excitato,& aluo enemate lenita, lac recens mulſum aſininum præcipuè, in potu dare, & vt vomat deinde,cogere oportet. Iura item è carnibus vituli, & pullorũ gallinaceorum aptiſſima ſunt. Oleum item amygdalarum dulcium, & id genus alia, de quibus in curatione Cantharidum hauſtarum locuti ſumus. Quo facto,alijs remedijs quę facultatem aperiendi,& digerendi habent, vt myrrha duorum obolorum pondere, vti oportet. Dioſcorides octo drachmas imperat, ſed locum deprauatum puto. Et pro octo drachmis obolos duos ponendos eſſe. Hormini ſuccus eandem, quam ſemen, vim obtinet. Hypericum item,hyſſopus,ficus ſylueſtris, ſemen petroſelini,piper,cyperus, flores mali Punici. Nicander apium ſeu Petroſelinum Iſthmium cognominauit,fabulamq́ue breuibus recitauit, quæ plurimum ad hoc vocabulum intelligendum facit. Deſcribitur autem à Pindaro in Iſthmijs, ab Ouidio lib. IIII. transformationum,à Cicerone libro I. Quęſtionum Tuſculanarum,& à Pauſania denique ſub finem primi libri. Athamas in furorem agitur Iunonis odio, quæ potionem illi obtulerat è qua infectus fuit. Ad inſaniam itaque redactus, Clearchum filium ſuum interficit.Ob quod facinus Ino cõiunx eius indignabũda, Melicertam filium è ſcopulo ſecum in profundum æquor præcipitauit. Quorum Venus miſerta Neptunum maris Deum precibus obſecrauit, vt vtriuſque commiſeratione moueatur. Quo impetrato, matrem in Deam marinam Nereida Leucotheam, quaſi albam Deam dictam,quam Latini matutam, vel Auroram vocant, Melicertam verò in Deum marinum Palæmonem vocatum trãſmutauit. Corpus autem Melicertis à Delphino ad portum vſque Corinthi vrbis fuit delatum, vbi cùm à Corinthijs(qui alioqui Siſyphides à Siſypho,qui primus eam condidit, Corcyramq́ue vocauit) inuentum eſſet, honorificè ab illis ſepultum fuit. In honorem itaque illius & matris ſimul,ex Apollinis oraculo Iſthmij ludi, vel Iſthmia certamina inſtituta fuerunt,vnde Inodea Iſthmia quandoque ab Euripide vocatur. Quod nomen à loco in quo Corinthus ſita eſt, inditum illi fuit. Condita enim eſt in anguſtijs illis inter Atticam regionem & Peloponeſum, aut Moream, quæ impediunt ne inſula ſit hæc vrbs. Habent etenim ab vno latere Ægæum pelagus,

pelagus, ab altero Ionium. Hinc Corinthus à Poëtis ea vrbs propriè dicitur, quæ ex vtroque latere à mari cingitur, ſeu quam duo maria ambiunt. Hæ porrò terrarum anguſtiæ à Græcis Iſthmia dicuntur, quemadmodum maris πορθμοί, quales ſunt anguſtiæ Gilbathar. Hinc itaque hæc certamina Iſthmia dicta ſunt, in quibus qui victoriam obtinebant, primũ cùm inſtituta eſſent, petroſelino ſeu apio coronabantur. Vnde deinde petroſelinum ſeu apium Iſthmium dictũ fuit. Semen etiam ipſius Nemeæum ab autore noſtro in Theriacis appellatur, propterea quòd in ludis Nemeenſibus victores eo coronabantur, quemadmodum in Iſthmijs pinu. Plutarchus in vita Theſei hos ludos noctu celebrari ſolitos ſcribit, & fuiſſe præludia veluti inſequẽtis diei certaminum, quæ à Theſeo inſtituta fuerant, & in Neptuni honorem fiebant. Quatuor autem certaminum genera in quodam Græco Epigrammate, quod ab Archia Poëta compoſitum fuiſſe ferunt, comprehenſa ſunt, inter quæ hoc in honorem Deorum, Iouis nimirum, & Apollinis, duo reliqua in honorem hominum Palæmonis & Archemori fiebant. Victoriæ ſigna erant pomum, olea ſylueſtris, apium & pinus. Certamina Olympica porrò à Ioue, Pythia ab Apolline, Nemeenſia ab Archemoro, Iſthmia denique à Palæmone celebrabantur. Odæ Pindaricę plenæ ſunt harum fabularum, ſcriptę in honorem horum quatuor Græciæ certaminum.

DE TAXO. Cap. XXII.



Σμίλαξ. Taxus.

TAxvs arbor eſt abieti,& folijs & proceritate ſimilis, quemadmodum Dioſcorides ſcripſit. Quanquam non eadem ſit magnitudine, foliaque habeat pinguiora, & ramos breuiores. Baccas fert exiguas hederaceis ſimiles,ſed grandiores, rubentes, dulces,vinoſaſque. Ligno eſt ex ruffo nigricante,pulchro,& robuſto,ita vt ex eo arcus omnium optimi & rigidiſſimi conficiantur. Naſcitur in Italia, & Narbonenſi Gallia Hiſpaniæ contermina. Ea cuius imaginem ſuprà appoſui,Lutetiæ in horto quodam,quem Arcubaliſtarũ hortum appellant,inuenitur. Nicander eam in monte Oethæa, qui eſt in Græcia inter Macedoniam & Theſſaliam, in quo Hercules in flammam conieciſſe ſe à Poëtis traditur, prouenire ait. Baccas eius & ſuccum per os ſumpta, imò vmbram ſolam tàm exitioſam eſſe, vt quidam toxicum, de quo ſuprà locuti

locuti ſumus, ex ea aliqua ex parte compoſitum exiſtimarint. Præterea ſi quis vinum in dolia ex huius arboris ligno concinnata imponat, ſi quis de illo bibat, moritur. Equi item, tauri, boues, vaccæ, verueces, & id genus animalia, quæ folijs veſcuntur, aut ſub taxo quieſcunt, aut dormiunt, inficiuntur: ita vt hæc arbor non homini tantum contraria, ſed cuilibet rei quam tetigerit noxia videatur. Dioſcorides præterea tradidit, auiculas, quæ Italicæ taxi baccas deuorant, denigrari, Narbonæque tàm præſentis eſſe veneni, vt ſi qui dormiant ſub ea, aut in eius vmbra reſideant, lædantur, & ſæpenumerò moriantur. Symptomata porrò quæ hoc venenũ comitãtur ſunt ventris fluxus, frigus vniuerſi corporis, ſtrangulationiſque ſenſus circa fauces. Quod fit non ob eius frigiditatem duntaxat, ſed peculiarem quandam naturam & occultam malignitatem, quę ſuo quodam etiam modo humores putredine afficit, & excoriationem inteſtinorum mouet. Cauſa porrò frigiditatis & ſtrangulationis è rationibus de cicuta adductis huc referri poteſt, cuius naturam hoc quoque venenum æquat, eandemque cum ea, quemadmodum Dioſcorides & Ætius tradiderũt, recipit curationem. Poëta noſter nihil aliud præcipit, quàm copioſam vini meraci, tàm ob caliditatem ſuam, quàm quòd alexipharmaci naturam habeat, potionem. Qui itaque reliqua quoq; remedia ſcire voluerit, is ea è loco anteà citato huc trãſferat. Quidam deniq; arbori è qua nuces iuglandes enaſcuntur, aut ſaltem vmbræ ipſius vim deleteriam attribuunt: quandoque expertus ſum nihil quicquam tale opinatus. Nam cùm aliquando media ęſtate ſub ea dormiuiſſem, vniuerſum corpus refrigerari cum maximo capitis dolore, qui quinque aut ſex dies durauit, ſenſi. In hoc caſu quis eodem modo vino generoſo, & remedijs ſuprà ſcriptis vti poterit.

DE MVLTIS ALIIS VENENIS, QVORVM NICANDER NON MEMINIT.

Cap. XXIII.

VT nihil eorum, quæ ad venena pertinent particularia, hominum nimis curioſa malitia & improbitate detecta, ſilentio prætercam: non ab re facturum me putaui, ſi breuibus de quibuſdam, quorũ nulla à Poëta noſtro facta eſt mentio, fortè quòd exiſtimauit curationis notitiam vel ſolam ad omnia reliqua venena accõmodari poſſe, vel quòd ſuo tempore nondum fuerunt inuenta, differerem. Inter quæ crucæ pinorum ſunt, quæ cùm ventriculum obſederunt, vehementiſſimum dolorem in palato, lingua, & omnibus oris partibus excitant, quemodmodum etiam in ventriculo, & inteſtinis, & dolores & punctiones mouent, totumq́ue corpus accendunt, ægerq́ue magno cibi faſtidio cruciatur. Remedia eadem cum chantharide habet.

Decoctum, aut ſemen pulicariæ per os aſſumptum, in vniuerſo corpore frigus excitat, grauitatẽ item cũ animæ defectu, melãcholia, & animi languore. Ijs autẽ remedijs ſuccurritur, de quibus in capite de Coriãdro egimus. Non autẽ ea herba eſt, quã Græci conyzam appellarũt, & quam nos libro primo ſub pulicariæ nomine explicuimus. Etſi enim vtraque à pulicibus ſit denominata, conyza tamen multò magis, quàm pſylium homini familiaris eſt. E ſpeciebus porrò ranũculi, quæ in pratis, & locis paluſtribus proueniunt, vna eſt, quæ herba Sardonia dicitur, quòd copioſiſſima in Sardinia naſcatur. Similis eſt apio magno, caule altiore, pluribus foliorum inciſuris, floſculis luteis, frequentiſſima eſt in foſſis, & fontibus. A quibuſdam petroſelinum, ſeu apium riſus dicta fuit, propterea quòd qui illud comederint, eoq́ue infecti fuerint, riſu moriantur, quemadmodum Pauſanias libro x. in deſcriptione inſulę Sardiniæ memoriæ prodidit. Homerus & qui eum ſunt ſecuti, Sardonium riſum quendam appellarunt, qui abſque cauſa mouetur, aut certè præter voluntatem illius qui ridet. Hoc venenum malignum, præcipuus cerebri & neruorum hoſtis, in ijs conuulſionem & retractionem

nem excitat:quo fit vt muſculi vniuerſi corporis,& faciei potiſſimum ad ſua principia redeant. Os item & genas confeſtim ridentium more retrahunt. Sua etiam frigiditate grauem inducit ſoporem,& caloris natiui ſuffocationem,quemadmodum cicuta etiam. Quam ob cauſam iiſdem quoque remedijs ſuccurri oportet. Ætius tamen cùm ex profeſſo de ea agit,ſpecialia quædam remedia addidit.

Mandragoræ decoctum tàm peſtiferum eſt,vt ſubitò, cùm quis illud hauſerit,ſopor excitetur,vniuerſi item corporis exolutio, & veternus deniq; vehemens non multum diſtans à Lethargo. Cùm etenim hoc venenum extremè frigidum ſit, ea omnia ſymptomata excitat, quæ ex ſrigiditate oriri diximus. Remedia quæ Dioſcorides præſcribit, ſunt nitrum & abſinthium è vino dulci,aut ſapa ſumpta, & vniuerſi corporis defatigatio.Et quandoquidem ſæpenumerò æger lethargo afficitur, multa remedia odorata, & grauem odorem ſpirantia addit,ad cerebri virtutem extimulandam. Huius generis ſunt agrimonia, piper, ſinapi, caſtorium, & ruta aceto macerata, pix liquida, lampadum & candelarũ extinctarum fumus. Breuiter omnia ea quæ ſternutamenta cient, & vim habent calefaciendi,& diſcutiendi vapores craſſos, quorum à nobis capite de cicuta & papauere facta eſt mentio. Duo porrò genera ſunt Mandragoræ, nigra quæ fæmina dicitur: alba altera,ſeu mas. Prior folia fert per terram ſparſa, longa, anguſta,& ſi cum altera conferantur,nigricantia. Habet autem folia maiora, latiora, & læuiora tactu inſtar magni pyri. vtraque caule eſt orbata, & poma fert, quæ è radice emergunt. quæ in eo tamen inter ſe differunt,quòd mas ea maiora & rotundiora profert quàm fœmina, colore in crocum inclinante, caudæ longæ inhærentia, iucundè cum grauitate quadam olentia. Fœminæ porrò effigie ſunt parui pyri, eodemq; modo,quo reliqua,inhærentia. Radices vtriuſq; ſuprà craſſæ,& infrà bifidæ ſunt. Hominem abſq; capite & brachijs referunt. Impoſtores tamen, qui omnem lapidem mouent, vt ignarum vulgus decipiant,hanc radicem effodiunt, & ſupra caput veluti & brachia efformant. Deinde ijs in locis vbi naturaliter pili exoriuntur, parua foramina ſculpunt, eaque milij granis adimplent, & in terram condunt: è qua ea iterum deinde effodiunt, quouſque grana illa radiculas emit-

emittant, paruorum pilorum inſtar, quos æqualiter cultello diuidunt,& vulgo perſuadent ea eſſe viua corpora,magnaſq; opes ſuppeditare. Volui autem breuibus hæc deſcribere, vt quorundam magnam impoſturam detegerem, & quorundá nimiam credulitaté redarguerem, quæ huic innititur, quòd Pythagoras Mandragoram homini ſimilem eſſe, & Columella dimidiatum hominem eſſe dixerunt. Id quod optimo iure fecerunt, cum infrà hominis inſtar bifida ſit: non quòd propterea affirmare voluerint Mandragoram, aut ipſius radicem hominem eſſe,vel viuere hominis inſtar.

Gypſum venenum eſt ſatis notum, quòd in ædificijs extruendis eo vtamur. Intus tamen in corpus aſſumptum tanta pernicie pollet, vt qui id hauſerit (quemadmodum facile in puluerem redactum ſumi poteſt) ſubitò ſtrangulatum prope fauces & thoracem vehementer vrgentem patiatur. Quod ideo fit, quòd in ventriculo indureſcit, ductuſque corporis obturat. Latentem præterea malignitatem habet,& natura ſua venenoſum eſt, ita vt Cicero cùm in epiſtola quadam ad Trebatium Medææ manuum meminiſſet, tanquam veneno ſiſſimarum, eas gypſatiſſimas appellarit. Remedia porrò huic veneno contraria ſunt ea, de quibus ſuprà in capite de Ceruſa & fungis egimus.

Calx viua notiſſima eſt ob vſum quem in ædificando pręſtat. Calidiſſima eſt,adeò vt cruſtam quoque inducat, & vehementer mordeat. Quare cùm ventriculum & inteſtina obſederit,ea arrodit,& cum dolore intolerabili vrit. Cui ardori per ea quæ vim leniendi habent, occurritur, qualia ſunt pinguia & oleoſa medicaméta,vt maluę ſuccus, & lac,iuſculaque caporum & vitulorum, & cuius generis multa in curatione aliorum venenorum ſuprà præſcripſimus.

Auripigmentum pallidum,& aureo colore micans mineralia ſunt ambo,quę facultatem habent igneam,erodentem, & eandem prorſus quam calx viua. Quam ob cauſam etiam ſymptomatis illorum ijſdem medicamentis medemur. Prius à Græcis Arſenicū, Latinis Auripigmentū dicitur. Neq; tamen vulgare eſt Arſenicū. Auripigmentū etenim metallū eſt ſimplex,& arſenicum noſtrum ex eo paratur. Alterū & Gręcis & Latinis Sandaraca vocatur, & nihil aliud eſt, quàm arſenicum rubrum,à natura in terræ viſceribus magis excoctū

Agricola

Agricola ea inter terræ ſuccos concretos recenſet. Seplaſiarij Sandaracam vernicem, qua ſcribæ pictores vtuntur, Arabica appellatione decepti, appellãt plerunq;. Arabes enim Gummi iuniperi, è quo vernix conficitur, Sandaracam vocarunt.

Arſenicum autem vulgare, ſublimatum, & Reagal tria ſunt medicamenta exitioſiſſima, è quibus plerunque toxica à veneficis præparãtur. Calida ſunt, & vi ignea prædita. Quapropter ventriculum & inteſtina corrodunt, eaq; perforant tandem: ſitim denique, quæ ſatiari nequit, & febrem inducunt. Vtiliora remedia erunt vomitus & clyſteres, lac item, butyrũ, oleum amygd. dulcium, ius pulli & vituli benè pingue, è quibus clyſteres ſæpè parare, nulla alia re admixta, eoſque in die ter aut quater in aluũ indere oportet. Eadem curatio etiam eſt viridis æris, æris item vſti, limaturæ æris, aquæ fortis, & aquæ ſaponis. Remedia itaque è præcedentibus capitibus ſunt petenda.

Plumbi limatura, & plumbum vſtum, eandem quam Lithargyrum, quod ſuam à plumbo malitiam habet, curationem ſumpta expoſtulant.

Sunt adhuc innumera alia, quibus medici vtuntur, medicamenta: quæ etſi ſua natura venenoſa ſint, ita tamen ab ijs præparantur, vt antequam applicentur, venenum illorum euanuerit, qualia ſunt cinabaris, minium, vitriolum, ſulphur, limatura ferri, lapis Armenius, adamas, lapis Lazuli, euphorbium, ſcammonium, vrticæ ſemen, crocus, & id genus alia quàmplurima è fodinis, plantis, & aquis, tàm dulcibus quàm ſalſis deſumpta: de quibus copioſè loqui nolui, tanquam cæteris minus frequentibus, & exitioſis. Quòd ſi contingat aliquem illis abuti, curatio facilimè è præcedenti tractatu huc transferri poterit.

AD

AD AMPLISSIMVM VIRVM DOMINVM CARNOVALETVM, EQVITEM ORDINIS REGII. &c.

Iacobi Greuini præfatio.

CVM voluntatem tuam, Ampliſsime vir, qua optima es erga bonas literas, naturalem quandam propenſionem, & non vulgarem beneuolentiam erga eos, qui aliquem in ſtudijs gradum conſequi cupiunt, in te excitaſſe, exploratum mihi eſſet: hunc meum paruum libellum, cui his præteritis diebus, vt in publicum è Muſæo noſtro prodiret, permiſi, tuæ Amplitudini offerre non dubitaui, non mehercule, quòd aliquam mihi vel famam, vel exiſtimationem comparare, ſed temporis neceſsitati, vt ex rationibus in medium adductis facile patebit, inſeruire ex amino cuperem. Quod enim auaritia & ambitio, ceu carnifices humanæ vitæ, plus perturbationis in hunc mundum, quàm vllum aliud vitij genus, quod dicēdo quidem exprimi poſsit, introduxerint, palàm & apud omnes in confeſſo eſt. Neque enim magnorum virorum tantum arcibus ſeſe immiſcuerunt: ſed & priuatorum quoque domus peruagatæ ſunt: ita vt nulla hodie ſit ex ijs artibus, quæ manu perficiuntur, & mechanicæ appellantur, quæ non vtrique vitio obnoxios alat, & vt breuiter omnia perſtringam (quod prouerbio dici ſolet) quælibet illarum ſua peculiaria habeat incommoda. Sed nouitas vtriuſque & impellens & effectrix cauſa eſt, quæ cùm in conſilium adhibetur, & vela orationis pandere incipit, ſtatim duo genera hominum, pro varietate animi eorum, quibus occurrit, producere conſueuit. Quidam enim admiratione tantum afficiuntur, alij ne à calumnijs quidem abſtinent: & vna, & eadem cauſa, hoc eſt nouitate, diuerſis tamē rationibus impelluntur. Nam illi ſimplici ſunt, & hebeti prorſus ingenio: hi verò maligno. Simplicitas, ſeu iudicij infirmitas, vt eas res quas non intelligimus admiremur: malignitas verò, vt tam eas quas nouimus, quā incognitas, aſpernemur, facit. Primi niuis aceruum repræſentare videntur, qui quò vehementius deuoluitur, hoc magis augetur: nam veſtigia aliorum ſequuntur, & ſi de cauſa illos interroges, id quod alij faciunt, ſe quo-

ſe quoque facere, reſpondebunt. Alij callidiores ſunt, & ideò rationes quaſdam ad tegendam malignitatem fucatas habent. Sed etſi nouitas hæc præſtare poſſe videatur, ſunt tamen aliqui, qui cùm ſint ingenio perſpicaciſſimo, affectibus minimè ſeruiunt, & ſtatim veritatem à mendacio diſtinguunt. Eiuſmodi morbis medendi artem paucis ab hinc annis, opera quorundam hominum, qui medicamentũ quoddam, (quod Antimonium vocant) in medium protulere, inuaſit. Hoc primum obtrectatores multos, ſed longè plures admiratores habuit. Nec enim hodie tã vilis barbitonſor eſt, qui id, nullo prorſus diſcrimine adhibito per os exhibere non audeat: nec tam nouus tyro in arte medica, qui non & ipſe periculũ facere velit: nec circulator tam futilis, qui non è Diabolo angelũ formare poſſit, & tam exactam cauſarũ in medicamentis cognitionem ſibi vendicare auſit, vt hodie vix quiſquã inueniatur, qui non aliquod miraculum prædicet, & in crumena circumferat. Imò tantas Antimonium vires habet, vt & Theologos, & nobiles, Iureconſultos, mercatores, & ruſticos denique medicos effecerit. Sed ipſe, vir Ampliſſime, quam periculoſa actio ſit futura, cùm de vita agitur, ſi quis incidat in aduocatum ignarum, vel qui ſtet à parte aduerſarij, iudicare potes. Et quanto in periculo exercitus, ſi bellum in quo totius regni ſalus eſſet poſita, ab indocto quodam, ſeu homine, qui nullum rei militaris vſum haberet, adminiſtarentur, futurus eſſet, ipſe non ignoras. Sic illi qui hoc medicamento ſe ſuſtentant, ita illi ſunt affixi, vt diceres medicamentum illos potius regere, & viam monſtrare, quàm quòd ipſi illud vel ducant, vel in vſum transferant. Deinde parum ſunt exercitati, & illud ipſum, quod profitentur ignorant, ita certè, vt nemo poſſit dubitare, illos quàm ſæpiſſimè ouem in lupi fauces immittere, ob hoc ſæpenumerò, vir Ampliſſime, me interponere, vt quid in hac parte verum eſſet ſine affectibus adiutus ratione & experientia, explicarem, ſum conatus. Tandem itaque libellum hunc collegi in quo non, vt obtrectatores, & maleuoli quidam illud interpretantur, omnino Antimonium vitupero, ſeu tanquã inutile prorſus damno, ſed illud tantum quo illi ſolent vti. Nec pertinaciter contra illos pugnare animus eſt, qui magnas ineſſe vires metallis aſſerunt: nam ſic cogito ipſe quoque, & minimè neſcio, multa adhuc in rerum natura latere, quorum facultas nobis minus eſt perſpecta, & affirmare auſim, ſi eæ res quarum habemus notitiam, cum ijs, quæ nobis ſunt cognitæ ad trutinam conferrentur, eas multò leuiores reſpondere futuras. Nolo tamẽ ob hoc alterum extremorum ſequi, & quemadmodũ ſtupidi quidã, & qui hebeti ſunt ingenio, faciunt, cuilibet ſtatim fidẽ adhibere, vel more quorundam peruerſorum,

dedita

dedita opera veritati me opponere. Artem enim Chymicam habere ſecreta multa, eaque præclara, optimè noui, imò quod magis eſt, oleorum & quintæ eſſentiæ extractiones, modò à doctis, qui eam artem callent, & rationibus ſunt inſtructi, & prudenter de rebus diſſerunt, adminiſtrentur. Sed tamen ob hoc ipſum Antimonium, vt nunc quidem præparatur, probare non poſſum: quemadmodum nec hominum quoddam genus qui de ſecretis gloriãtur, laudo, & vt vendibiliores ſuas merces reddant, magna myſteria ibi occultari iactant, & iniuriam arti nobiliſſimæ faciunt. Et quia hanc quæſtionem & pulchram, & vtilem fore exiſtimabam, te illi tam ob ſingularem prudentiam, & iudicij acrimoniam, quàm ob beneficiorum, quibus aliquando me ornaſti, recordationem, iudicem & protectorem conſtituere volui, etiam atque etiam te rogans, vt me in tui ſtudioſorum numero quàm diutiſſimè eſſe patiaris. Lutetiæ Pariſiorum Calend. Ianuarij, anno à Chriſto nato M. D. LXVI.

Tuæ Amplitudini addictiſſimus

Iacobus Greuinus
Medicus.

SVMMA EORVM QVÆ IN LAVNÆI LIBRO CONTINENTVR.

TITVLVS SEV INSCRIPTIO.

DE facultate, & admirabili vi Antimonij, cum reſponſione ad quaſdã calumnias, autore Ludouico Launæo ad Portũ Santonũ Medico.

Epiſtola dedicatoria ad Magiſtratum, & Senatores Portus Santonum, in qua de naturæ miraculis diſſerit, & dicit nos non poſſe omnium rerũ rationes reddere. Præterea declarat Matthiolum primum fuiſſe, qui de ſingulari Antimonij myſterio ſcripſerit.

Duo deinde folia ſequuntur, quæ verſus & Latinos & Gallicos, in laudem autoris ſcriptos, continent.

Principium libri tria folia implet, & originem metallorum continet.

Addit deinde definitionem Antimonij, & differentias eius ſubnectit.

Vt de-

Vt demonſtret Antimonium non eſſe venenum, rationem affert, quòd quicunque autores de venenis vnquã ſcripſerint, nullam eius vſpiam mentionẽ fecerint: Et quod Petrus Andreas Matthiolus à cura valetudinis Illuſtriſſimo Principi Ferdinãdo, Auſtriæ Archiduci, alioqui facultates eius minimè deſcripturus fuiſſet. Aliter enim ſi ſenſiſſet, cum optimo iure inſcitiæ & malignitatis accuſari poſſe.

Multa deinde medicamenta huius temporis, quæ antiquis incognita fuerunt, profert, quale eſt lignum Guaiacum, Sinarum radix, & alia quędam, in quorum numero Antimonium quoque poni debere contendit.

Præterea, à quibuſdã Mercurij puluerẽ in peſte, & Calchantũ (quod vitriolũ vulgò dicitur) & oleũ ipſius in febre quartana, quãuis à veteribus venena appellentur, exhiberi infert.

Experientiam denique, cuius laudes in genere numerat, introducit: & fatetur prætereà ineſſe neſcio quid malignitatis in Antimonio, ob eam quam cum plumbo naturæ cognationem habet, ſed eam præparatione emendari.

Ad Boracem tandem venit, quẽ admiſcent, & nec venenoſum, nec malignũ eſſe probat: negat antiquorũ eſſe, & è nitro foſſili, & natiuo conflatũ eſſe, & lacte caprino præparari dicit.

Deniq; ad medicamenti definitionẽ accedit, & obiectioni tacitæ de vomitu reſpondet, dicit non eſſe rem cõtra naturã, nec medicamenta quæ vomitũ mouent violenter agere, ſed illud ſæpenumerò ob humoris naturã potius, quàm medicamenti proprietatem accidere: & quòd huiuſmodi medicamenta calidiſſima ſint, & guſtu percipiantur, & Antimonium non eſſe eius generis.

Tandem ad formas ſpecificas, & proprietates occultas, quas ſimilitudinem ſubſtantiæ appellat, redit, & copioſè de virtutibus cæleſtibus diſſerit.

Damnat noſtra medicamenta purgantia, Scammoniũ nimirum, Rhabarbarũ, turbith, agaricũ, & reliqua. Dicit quædam eſſe adulterata, & ſuppoſitia tantum, quædam verò omnino nihil valere.

Poſtremò ad locũ communem de exemplis & experientia accedit, & pertinaciter inſiſtit cuidam Epiſtolę, quam Gallus Archiducis Auſtriæ Medicus ſcribit, in qua Antimonio à graui & acuto morbo liberatum ſe eſſe ſubitò affirmat.

TRACTATVS IACOBI GREVINI DE VIRIBVS ET FACVLTATE ANTIMOnij aduerſus ſcripta Ludouici Launæi Medici Portus Santonum.

CAP. XXIIII.

NVNQVAM in animum induxeram quicquã ſeparatim de Antimonio agere, cùm de venenis ſcribere incepiſſẽ. Sat enim mihi erat, breuibus tantum rem percurriſſe, id quod in alijs quoq; duobus meis libris, quos de venenis cõſcripſi, ſecutus Nicandrum in Theriacis, & antidotis, feci. Sed cùm iam ſub prælo eſſent, quemadmodũ adhuc hodiè bona pars illius operis eſt, certiòr factus fui, Ludouicũ Launęum quendam Medicum apud Santonum Portum librum in publicum edidiſſe, cuius inſcriptio hæc ſit: De facultate & admirabili vi Antimonij: in quo cùm ſatis abundè de naturæ miraculis, & origine metallorum diſſeruiſſet, tandem ad inſtitutum redit, & quæ in vniuerſum natura Antimonij ſit, oſtendit, & reipſa demonſtrare conatur, non eſſe venenum, & maioribus noſtris illius vires fuiſſe incognitas, quemadmodum aliorum multorum medicamentorũ, quorum apud nos hodiè adhuc frequens eſt vſus: deinde cunctis & animi & ingenij viribus probare nititur, Boracem noſtrum non eſſe naturæ noſtræ inimicum, adhærens definitioni medicamenti, & naturæ illius, & tandem obiectiones quaſdam excogitat, & in arenã poſtremò, confiſus experientiæ ſuę, deſcẽdit. Sed nemo exiſtimare debet, me hunc librũ ſine maximo labore acquirere potuiſſe: nam ij, in quorũ manus inciderat, in tanto honore illum habebant, vt quiduis potius amittere, quã hoc carere maluerint: & Herculi clauum è manibus eripere, quàm illos hoc clypeo ſpoliare vel denudare facilius mihi fuerit. Quo factum fuit, vt per integros ſeptem vel octo dies omnes & chalcographorum, & bibliopolarum officinas huius vrbis ſedulò inuiſerim: ſed ne vnum quidem exemplum vnquã inuenire potui. Et ſanè neſcio, vtrum illi, qui penes ſe habent, illud tanti faciant, vel pro tam precioſa & cara

cara re habeant, vt nulla poſſit precio comparari: vel nos indignos iudicent, vt myſteria, quæ ibi latent, ſciamus. Hoc tamen citra vllam dubitationem affirmare auſim, neminem fore, qui vel parum ſapiat, vel aliquo ſaltem ſit iudicio, qui eundem bis relegere velit. Cùm itaque incredibili illius videndi indies deſiderio flagrarem, & quàm difficilè id, quod cupiebam, conſequi poſſem viderem: hoc maiore ſtudio conatus ſum voluntatem meam, ſi vlla ratione fieri poſſet, explere: & tandem quorundam hominum, quos ſubornaueram, opera, tantum effeci, vt eius mihi copia per decem, vel duodecim horarum ſpacium facta fuerit, quo tempore rationes illius, quas in medium adducit, paulò exactius examinare cepi, & hoc denique aſſecutus ſum, vt medullam & ſummam quaſi totius negocij inde extraxerim. Sed quod maiore voluptate in hoc ſuo libro me affecit, & in quo lubens acquieui, fuit, quòd campum non vndiquaque munitum eſſe ad confligendum armis, hoc eſt ratione & experientia vidi: nam hos duos clypeos Launæus obijcit (quamuis alteri plus fidat, & potentius reſiſtat) & ego animo æquiſſimo fero, imitaturus generoſos milites, quibus fama & honore nihil eſt antiquius: hi cùm in arenam deſcendunt, non more muliercularum conuicijs & calumnijs tempus terunt, ſed armis potius, de quibus inter ipſos conuentum fuit, dimicant. Itaq; mi Launæe ſic tibi perſuadeas velim me nullo alio armorum genere tecum vel pugnaturum, vel adoritum eſſe te, & quia hominem te iudico, qui doctrina excultus, & artibus eruditus ſit ingenuis, nullo modo te limites rationis, quæ nobis ad veritatem viam monſtrare debent, tranſgreſſurum eſſe planè confido. Sic itaque agamus, vt ſpectatores verè poſſint animaduertere ineſſe in nobis neſcio quid cãdoris & integritatis prioris ſeculi equitum, (quos errantes appellare conſueuerũt) qui ſępenumerò poſt abſolutũ certamẽ, quod longo tẽpore durauerat, ſi fortè fortuna nox illos obruerat, omni beneuolẽtiæ & amoris genere inuicẽ ſe complectebantur, & eodem in lecto ſomnũ capiebant, expectaturi diem, quo litem finituri eſſent. Sed vt hæc tota diſputatio melius intelligatur, ſummatim capita quædam proponam, quæ in hoc opuſculo breuiter percurrere deliberatum mihi eſt. Primum itaque quia de Antimonio quæritur, (Propoſitio ſeu præcipua huius libelli capita.)

 quid

quid ſit Antimonium declarabo. Deinde, quòd veneni particeps ſit, probabo. Poſtremò breuiter, quo pacto tàm periculoſo medicamenro occurrere poſſimus, ſubijciam.

Quid ſit Antimonium.

Antimoniū à Græcis στίμμι, à noſtris ſtibium, ab Arabibus, qui præcipui totius orbis terrarum Pharmocopolæ fuerunt, eo nomine, quod & hodie retinemus, appellatur. Res eſt foſſilis, quæ Marchaſitam, ſeu pyritem, vel lapidem plumbariū refert: ſed magis nitet & radiat, ſeu argenti ſpuma, & proximè ad naturam plumbi accedit. Plinius & alij qui de metalis ſcripſerunt, duo genera conſtituūt: vnum, quod marem, alterum quod fœminam appellant. Horridior eſt mas ſcabriorque, & minus ponderoſus, minuſque radians, & arenoſior contrà quā fœmina, quam Dioſcorides quinto libro, vim habere ſcripſit, aſtringentem, & quod meatus obſtruat, refrigeret, excreſcentiā in carne cohibeat, vlcera ad cicatricem perducat, ſordes denique & vlcera oculorū expurget, & ſanguinem è cerebri membrana profluentem ſiſtat, & in vniuerſum plumbi vſti vires habeat. Nam facilimè, quemadmodū idem ſub finem capitis affirmat in plumbum à coctione mutatus, & vt ſummatim omnia complectar, multas habet facultates, quæ ab inſigni frigiditate & ſiccitate procedunt.

Antimonij vires.

Nihil dicam de vtilitate, quam ex eo opifices, qui manu operantur, capiūt. Neque enim hic ſcopus noſter eſt, oſtendere, quo pacto ſpecula debeant confici. Sed ſat eſt viribus ſupra poſitis acquieſcere, de quibus iam inter nos conuentum eſt, quibus etiam fretus operam dabo, vt Antimonium ita ſub aſpectum cadat, vt à quouis facilè in poſterum cognoſci queat. Et quia præteriti temporis Philoſophi, & inferioris ætatis etiam in qualibet re naturali duas ineſſe facultates cognouerunt, vnam ſcilicet manifeſtam ſeu euidentem, alteram verò occultam: de vtraque verba faciam, & ab ea, quæ notior nobis eſſe debet, auſpicabor. Manifeſtæ facultates originem ducunt è quatuor primis qualitatibus, quæ ſunt veluti prima inſtrumenta proprietatis vniuſcuiuſque rei, vt calor primum eſt ignis inſtrumentum, cuius opera ardet. Sed hæ quatuor qualitates, calidum, frigidum, ſiccum, humidum, ita cum quatuor elementis inuicem ſunt connexæ, vt Philoſophi etiam coacti fuerint, illas pro ſua forma & perfectione accipere, quorum ope talia eſſent, qualia ſunt, vt alibi oſtendi.

Duas ineſſe in qualibet re naturali facultates.

Facultates euidentes.

Qualitates primæ.

di. Ex inæquali verò mixtura harum quatuor primarum qualitatum, eæ quæ ſecundæ appellantur, in cuiuslibet rei naturalis compoſitione, reſultant, adeò vt nihil ſit in hac tota rerum vniuerſitate, quod non harum primarum qualitatum, & ſecundarum deinceps particeps ſit, id eſt, vel durum, vel molle, craſſum, tenue, graue, vel leue, vel glutinoſum, vel friabile. Sic corpora compoſita quæ plus habent ignis, quàm aliorum elementorum, calidiora quoque ſunt, ſicciora, tenuiora, leuiora, & rariora, & ſi quidem vlterius progredi voluerimus, & cernendi ſenſum in iudicium vocare, vel guſtum, vel odoratum, nigriora, & magis amara & odorata erunt. Contrà quæ corpora plus terræ communicant, frigidiora, ſicciora, duriora, denſiora, grauiora, candidiora, obtuſiora ad guſtum, & vt plurimum, nullo ſapore prædita erunt. Quæ verò plus de aëre habent, & calida & humida, mollia, rara, pinguia, leüia, ſubrubra, & iucunda & guſtu & odore erunt. Sed in quibus aquæ magis exuperat, humida & frigida, mollia, denſa, ponderoſa, alba, & obtuſa ad guſtum, & vt plurimum nullo vel ſapore vel odore erunt. Operationes itaque vnius cuiuſque corporis compoſiti, quemadmodum dixi è primis, ſeu ſecundis qualitatibus fluunt: ita, vt opera primarum qualitatum calefaciant, exiccent vel refrigerent: ſecundarum verò, indurent, emolliant, condenſent, & res grauiores vel leuiores, denſas vel raras, albas, vel nigras aut rubras, vel odoratas vel fœtidas efficiant & vt breuibus dicam, vim habeant communicandi & imprimendi vires ſuas alijs corporibus, cum quibus miſcentur, vel contemperantur. Id quod vel vehementius vel ſegnius agunt, prout vel magis vel minus harum primarum vel ſecundarum qualitatum participes ſunt, ſiue deinde ſimplici modo vel diuerſis rationibus ſint permixtæ. Quo factum fuit, vt Medici, qui has euidentes facultates indagarunt, ijs potius quam alijs vllis confiſi, certos gradus proponerent, vt melius illarum proportionem aſſequerentur, & certam quandam regulam (ſumentes id quod temperatum erat) conſtituerent, & ita num aliquid vel calidum, vel frigidum, vel ſiccum, vel humidum eſſet, iudicarent. Hæc fuit omnium certiſſima, & vna ex omnibus quàm maximè eligenda,

Qualitates ſecundæ.

Gradus ad cognoſcẽdam proportionẽ.

 hoc

hoc eſt temperatiſſima, cum præcipuè, quomodo temperamentum vnius cuiuſque rei naturalis cognoſci poſſet, quęreretur. Sed quod illi omnium maximè temperatum corpus iudicarent, humanum fuit: quod ex functionibus probant, quas inter reliqua animantia omnium habet præſtantiſſimas: quemadmodum nemo dubitare debet, eum qui inter homines actiones optimè perficit, eum ex omnibus eſſe temperatiſſimum. Ita hominem temperatum pro norma veluti ſumpſerũt, temperatum inquam & caliditate & humiditate, in quibus vita conſiſtit, non ſecùs ac bonus artifex, qui ſemper opus ſuum, cum aliquo, quod optimum factu ſibi videtur, conferre ſolet. Ad quam normam reſpicientes, vnam quamlibet rem vel calidam, vel frigidam, vel ſiccam, vel humidam appellarunt: & quatuor gradus conſtituerunt, è quibus poſſet intelligi, quantum illum vel excederent, vel inferiores eſſent. Itaque calida in primo gradu dixerunt, quæ parùm calorem noſtrum excedunt & calefacere quidem incipiunt, ſed non ita manifeſtò, vt nulla prętereà opus ſit probatione. Idem ſentiendum de frigidis, quæ parum receſſerunt. Sed quæ ad quartum vſque gradum vel calida vel frigida ſunt, calori noſtro omnino ſunt aduerſa. Hæc enim extrema non inter ſe tantum inuicem ſunt oppoſita, ſed illi etiam quod inter ambo temperatum eſt. Quæ verò ad ſecundum gradum accedunt, ea etiam manifeſto ſenſu percipi poſſunt, vt ea quæ ad tertium, cum vehementia agunt.

Regula iuxta quam qualitates cognoſci poſſunt.

Quibus breuiter ita commemoratis, facilè iam quæ ſit manifeſta facultas Antimonij intelligemus. Et vt ad vires & effectus illius reuertar, de quibus inter nos conſtat, autoritate Dioſcoridis, Galeni & Plinij: qui non aliundè quam ex magna & frigiditate, & ſiccitate proficiſcuntur, idq́ue ob naturam quam habent terream & aquoſam. Vt in vniuerſum omnia metalla temperamento terreo & ſicco ſunt: & ea medicamenta quoq; quæ aſtringunt, obturant, & carnis excreſcentiam impediunt. Et quia Antimonium vim aſtringentem ſed nullam tamen manifeſtam in guſtu qualitatem habet, ſequitur illud, non tantum terreum & ſiccum, ſed frigidum & aqueum, idq́ue ad tertium gradum

Antimonium frigidũ & ſiccum.

eſſe:

eſſe : quemadmodum omnia id genus aſtringentia, ferè ad quartum gradũ accedunt, vt plumbum multum habet humiditatis, quæ frigore congelatur, quemadmodum Galenus capite proprio, & in quo ex profeſſo de hac re agit, ſcriptum reliquit.

Antimoniũ terreũ & aqueum.

Tribus igitur gradibus Antimonium à natura noſtra recedit duabus qualitatibus ſuis. Hæc igitur quod ad manifeſtas Antimonij facultates attinet, dicta ſufficiant. Quod reliquum eſt opiniones quaſdam Philoſophorum, Chymicorum & Aſtrologorum, quod ad naturam metallorum attinet, & quibus id quod dixi amplius confirmabitur, ſignificabimus, Ariſtoteles metallorum materiam è vapore oriri affirmat. Chymici & Auicenna in metallis, ridiculo ſanè modo, patrem & matrem ſibi finxerunt : & ſulphur ſemen communicare tanquam patrem, argentum verò viuum nutrimentum ceu matrem ſuppeditare dixerunt, Geberus Arſenicum extraxit. Alij qui acutiores ſibi videbantur & prudentiores, affirmarunt materiam Sulphuris & argenti viui, ceu in maſſam quandam terreſtrem cogi, & ab illa tenuiſſimum eleuari vaporem, qui deinde calore moderato terræ excoctus, in metallum conuertatur. Albertus hunc humorem denſum & pinguem eſſe voluit. Poſteriores deinde, qui iudicium de his omnibus ferre non dubitarunt, tandem hoc concluſerunt, materiam metallorum fluere præcipuè è terra & aqua (non quòd reliqua elementa hic excludi velint) ita inuicem commixtis, vt pars aquea terræ dominetur, quæ ea menſura & proportione illi ineſt, vt ſplendorem illius aliqua ex parte obſcuriorem reddat, non tamen prorſus auferat. Aſtrologi cauſam referunt in ſtellas quaſdam, quas inerrantes vocant, & ob id Chymici metalla peculiari nomine, denominatione ſumpta à Sole, Mercurio, Venere, Marte, Ioue & Saturno appellant. Alij cauſam calori aſcribunt, Ariſtoteles frigori, & qui inter vtroſque rem melius intelligunt, calorem in cauſa eſſe dicunt, vt terra & aqua inuicem in lapidem cogantur, & frigus totam mixtionem congelet quaſi, quemadmodum metalla calore fundi & liquari, frigore verò concreſcere,

Quæ ſit in vniuerſum natura metallorum.

 & indu-

Antimonij actiones ex frigiditate & ſiccitate proficiſcũtur.

& indurari videmus. Ita Antimonij operationes non aliundè quàm ex frigiditate & ſiccitate proficiſcuntur, tàm ob propriam, quàm communem omnium metallorum naturam, ob quam & frigidius & ſiccius eſt, quàm reliqua omnia. nec enim tàm exactè induruit, & ſubſtantiæ inæqualitate, ingrato odore quem emittit, vt mox ſubijciam, facilè ſe detegit, & ſub aſpectum cadit. Galenus prætereà id inter fortiter exiccantia medicamenta ponit, libro quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum loca. Inſuper vim habet dilatandi oculos, & ob id à Græcis quandoque πλατυόφθαλμον, dicitur, cuius Hieremias diuinus vates quodam in loco meminit. Reliquum eſt, vt de facultate quam habet latentem & occultam, agamus.

De facultate occulta.

Vim occultam appellamus, cuius nullas poſſumus afferre rationes naturales, quarum ſuprà quoque facta eſt mentio. Hæc latiſſimè ſanè patet. Nam cùm nihil aliud amplius reſponderi poteſt, ad hanc tanquam ad ſacram anchoram confugimus, & eam qualem volunt ipſi ob oculos nobis proponunt. Et vt plus habeat autoritatis, eam è cælis vſque deuocant, & inter media elementa collocant. Nec hoc contenti, vlterius ſunt progreſſi, & quemadmodum illis videbatur ſimilitudines ſubſtantiæ, in rebus introduxerunt, & vires illis, quibus tamen carent, attribuerunt: veluti cum ceruæ exuuias podagræ mederi, quod celerrimè currat: & paſſerum cerebella venerem ſopitam excitare, quod id genus animalis valde ad libidinem ſit procliue affirmarunt: & centenas id genus ineptias, pro arbitrio hominis excogitatas, in medium attulerunt. Quod ſi rem exactius paulò conſiderare, & propius intueri voluerimus, nec noſtro noſmetipſos iugulare gladio, facilè nobis erit rem paulò dilucidius proponere. Quod fiet, ſi mentem in rerum naturalium contemplatione exercuerimus, quæ etſi ex eadem materia conſtent & concinnatæ ſunt, non poſſunt tamen non eſſe diſſimiles, ſiue id deinde vel ob multiplicem & diuerſam eorum mixtionem, vel ob vim quandam peculiarem, quæ illis à primo ortu fuit communicata, accidat. Ita non primus tantum homo vim procreandæ ſobolis, & generandi, vel prima planta ſolum fructum ferendi habuit: ſed

ſed eam quoque poteſtatem, vt quicquid ex ipſis proficiſceretur, idem quoque præſtare poſſet. Sic itaque habes, qua ratione omnes cauſæ occultæ è verbo Dei expreſſo fluant, qui ab orbe condito voluit, vt quælibet res ſui generis aliquid produceret, non tantum quod ad externam formam, ſed quod ad internas etiam vires, & naturales facultates attinet. Ita purgantia medicamenta vitioſos ſuccos è corpore educendi vim habent, & nutrimentum corpus augendi & conſeruandi: & venena poſtremò proprietatem quandam habent, qua naturæ noſtræ aduerſantur. Sed quemadmodum harum rerum omnium rationes non ſemper ex manifeſtè naturalibus cauſis poſſunt elici: ita illas experientia tantum cognoſcemus, quæ omnibus cauſis os obturare, & ceu viam præcludere modo dextrè accipiatur, nec credulitate ſeu falſa ſophiſtarum perſuaſione, quæ impoſturas fouent, & verè ſuauiſſimus paſtus eſt circulatorum, & id genus blatteronum, ſit infecta, poteſt.

Quæ ſit origo cauſarum ſeu facultatum occultarũ.

Sed quia in mentionem medicamentorum incidimus, quorum facultas experientia confirmata eſſe debet, quo modo in vſum illa adhibere debeamus, ne rerum ſimilitudine decipiamur, exploratum habere oportet. multa enim ſunt, quæ in ſpecie quidem vera apparent, ſed mendacium tamen latens intus habent. Modum igitur in vſum adhibendi medicamenta purgantia, Galenus in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus accuratiſſimè deſcripſit, vbi vult, vt primum exhibeamus homini ſano, & qui integris ſit viribus, & optima corporis conſtitutione præditus: deinde alicui, qui ab hac temperie parum receſſerit: poſtremo alij, qui iam ſit actu ægrotus. Quod vtinam in Antimonio hactenus fuiſſet obſeruatum. neque enim dubitandum eſt illos hos limites Galeni egregiè prætergreſſos eſſe. Nullus enim illorum eſt, qui non omni tempore in omni temperatura, ætate, & morbo exhibere audeat: ita vt hodie nimium ferè ſit in vſu. Et quòd purget, certum eſt: ſed quomodo, & quem humorem, pòſt dicam. Iam oſtendam, quid ego ex vſu illius percipere potuerim. Memini me aliquando perſuaſum falſis huius pharmaci miraculis, & blandis illecebris, quibus ferè

Quæ ſit ratio in vſum transferẽdi medicamenta.

toti mundo turpiter imponit, ceu pſeudopropheta quidã & impoſtor, vt fidẽ adhiberẽ ſine vllo prorſus negocio, aut tergiuerſatione his quæ Matthiolus in cõmentarijs ſuis in Dioſcoridem ſcripſerat, & quod alij multi mihi prædicarant: & cum viderem me malis humoribus abũdare, & natura à medicamentis abhorrerem: in me ipſo periculum facere volui, exiſtimans illud tam facilè eſſe, ac ſi quis frumẽti granum in puluerem redactũ aſſumeret. Itaque tria tantum grana, ſaccari roſacei exigua potione admixta, ſumpſi: ſed vix horæ ſpacium elapſum erat, cum vomitum mihi tanta vi excitaret, vt quamuis natura facilè vomerem, tamen quotieſcunque irritabar, toties mihi moriendũ eſſe exiſtimauerim. Octies autẽ euomui, & toties etiam aluus reſpõdit, & parum abfuit, quin prorſus animo linquerer, & tanta fuit relicta virium imbecillitas, vt in integro octiduo illas ægrè reſtaurare vel reficere potuerim. Deiectiones fuerunt aquoſæ, tantum id quod in alijs quoque, qui eo vſi ſunt, obſeruaui: nec dubitandum eſt, ſimilem quoque fore purgationem, tam in ſanis, quàm ægris niſi forte excremẽta varia ob admixtionem humiditatis alicuius, quæ caſu quodam illis adhæſit, appareant. Facultas igitur occulta Antimonij eſt, magnam ſeri copiam, & infrà & ſuprà è corpore educere. Quibus ita enarratis, facilè erit, ſecundum caput probare, quod præcipuum eſt, & oſtendere Antimonium venenum eſſe, non medicamentum.

In primo libro meo de venenis ſatis abũdè dixi, quæ vocabuli veneni ſignificatio, quæ proprietas, ſeu differentia eſſet, id quod hoc in loco repetere ſuperuacaneũ eſt, vt planius inſtituti rationem oſtenderem, quod quàm breuiſſimè potero faciam. Venenum appellamus omne id, quod cum in corpus ingreſſum eſt, vim naturæ infert, illamque vincit, nõ ſecus ac corpus cibum, quo quotidie alitur, aggreditur, illumque ſuperat. Quod fit aut ob qualitates manifeſtas aut naturę quadam proprietate, quæ interdum ſola eſt, interdum etiam ab illis iuuatur. Quod verò venenum tale eſt ob qualitates manifeſtas, id verò quòd maximè remotum eſt à calore naturali, dulci, benigno & humido, quale eſt Arſenicum extremè calidum & ſiccũ, & quæcunque ſimplicia medicamenta ad hanc ſummitatem quàm proximè accedunt, quam nos quartum

Quid ſit venenum.

gradum

gradū appellauimus, quæ & nos extrinſecus corpori applicare poſſemus, ſed intrinſecus illis vti optimo iure prohibitum eſt, niſi malefica illorū vis ſit ſublata penitus, vel ſaltē perfectè correcta, ſeu retuſa. Sed ſuprà oſtendimus Antimonium frigidū eſſe in quarto, & ſiccū in tertio, nec mihi alia maiori probatione indigere videor, quod ad manifeſtas qualitates attinet. Mandragora tertium gradū frigiditatis non excedit, ob hāc vnicā tamen cauſam inter venena recēſetur. Quod ſi medicamenta ſimplicia hoc periculoſiora ſunt, quò plures periculi cauſas habēt, profectò hoc primū in ordine collocabitur, tanquā frigidū & ſiccū, quæ duæ qualitates è diametro ſibi inuicē ſunt oppoſitæ, & calori noſtro, ſeu humiditati ſubſtātificę inimicę ſunt. Sed vlteri⁹ progrediamur. Vereor enim ne vulgari more mihi reſpōdeāt. Neq; enim neſcio, eiuſmodi Venena, nō niſi certa quātitate vim ſuā exercere, ſed nō obſtabit, quī Antimoniū (de crudo loquor) nō ſit ex illorū numero.

Antimonium ob qualitates manifeſtas venenū eſt.

Sed veniamus ad ipſius natura inſitam & occultam malignitatem, nec formis ſpecificis, ſeu proprietatibus occultis, & id genus Chymæris diutius immoremur, ſed ad id, quod caput rei eſt, accedamus, & inſtitutum ordinem proſequamur, & medicamentum cum veneno & Antimonio conferamus, & videamus quæ debeat eſſe actio illius, & cum altero comparemus. Vox medicamenti purgantis de omnibus ijs rebus debet intelligi, quæ excrementa corporis vacuare poſſunt: hinc aliqua, omni prorſus delectu & diſcrimine remoto, quodlibet illorum expurgant, quædam id tantum, quod ipſis familiare eſt, ita, vt quodlibet ferè medicamentū humorem ſuæ ſubſtantiæ quam maximè accommodatum educat. Primi generis ſunt, non quæ propria vi, ſed alia re intercedente, purgant, & aluum ſua humiditate ſoluant, & vias calore obſtrūctas, aperiunt. Alia deinceps propriè medicamenta purgantia appellantur, quæ vt Galenus ſcribit humorem attrahunt non ſecùs ac Magnes ferrum, & arbores è terra ſugunt, quod ipſis maximè familiare eſt. De primis nullus nobis eſt ſermo. Nam per qualitates manifeſtas agunt, etſi eſſet, tamen Antimonium hic locum habere minimè poſſet. Neque enim humidum eſt, & tantum abeſt, vt vias aperiat, vt obturet potius, vt iam oſtendimus. De poſtremis igitur verba facere, & quoad eius fieri poteſt, ſedulò

Quid ſit medicamētū purgās.

ſedulò eniti oportet, vt ſedem illi vel inueniamus, vel prorſus, vbi nulla nobis præſtò fuerit, reijciamus.

Effectus medicamẽtorum purgantiũ, & de vſu ipſorum legitimo.

Medicamenta, quæ humorem ſimilitudine ſubſtátiæ trahunt, id vel per vomitionem, vel alui ſolutionem facere conſueuerunt: ita vt pro diuerſitate humoris, qui educi debet, & naturæ ægri, & anni temporis, & id genus aliarum obſeruationum nos ea præſcribere ſoleamus. Monet prætereà Galenus ſi vomitu corpus vacuare volumus, inferius os ventriculi, ſi per aluum ſuperius, comprimendum eſſe. Ita profectò nunquam videbimus, niſi quid fortuitò intercedat, vnum & idem medicamentum vtrumque poſſe efficere. Quid enim id aliud eſſet, quàm confuſionem in hac rerum vniuerſitate introducere? ſi quid eodem tempore, & eadem opera duo poſſet perficere, taceo, quòd vomitio affectus eſt præter naturam, quamuis natura per hanc quoque viam aliquando ſe exoneret, ſed hoc in morbis tantum accidere ſolet, cùm natura à cauſa morbi cogitur, & ſtimulatur quaſi. Medicamenta porrò quàm primum ventriculum ſunt ingreſſa & à natura irritata, id quod in mandatis habent, citò exequuntur, & inſita vi quadam humorem ſibi familiarem trahũt, quædam bilem, alia pituitam, & quædam atram bilem. Nam hi tres humores limites naturæ excedere, & morbos in nobis excitare ſolent: ita vt quicunque morbi corporibus humanis contingunt, ab his oriantur: & quia diſſimiles ſunt ſubſtantia, qualitate, quantitate, numero, motu, putrefactione, neceſſe eſt vt diuerſa quoque ſint medicamenta, quorum alia deſtinata ſint, vt ea corrigant, & vim illorum maleficam retundant: alia vt corpus euacuent. Hæc cum homini integra valetudine exhibentur, in venenum conuertuntur, cùm nihil habeant, in quod agant, non ſecùs ac calor noſter naturalis, cùm deſtituitur pabulo, aliquando ijs, quæ in corpore noſtro redundant, vtitur, & loco cibi abutitur: Ita quoque cum nullus adeſt humor ipſis familiaris, reliquos aggrediuntur, & ſic quandoque non tantum id quod peccat, ſed id etiam, in quo vita conſiſtit, educunt. Facta itaque ex arte & naturæ inſtituto euacuatione, alleuiatio ſequitur, haud abſimilis ei, cum baiulus quidam onere ſubleuatur. Ex qualitate deinceps & quantitate humoris qui ope medi-

Quæ ratio ſit diuerſitatis medicamentorum.

medicamenti fuit eductus, medicus de morbo, & eius cauſa, & ęgro iudicat: ita vt quauis ſua ſpe fruſtratū eſſe cognoſcat, & videat medicamentum cùm bilem educere debuiſſet, pituitam, vel alium humorem eduxiſſe: de morbi contumacia certus eſt, & per conſequens, eum longum quoque fore pronunciat, & quid porrò ſibi ſit agendum liquidò cognoſcit. Sed agè quinam ſunt effectus veneni, cuius actiones ex obſcura & latente vi fluunt? Nónne ſemper eadem ſunt in omni corpore, & omni ætate, & pro horum diuerſitate, ſecundum magis & minus tantum differunt? Nam cùm omnia ad eundem finem ſpectent, & cordi primò vim inferant, pręcipuo vitæ autori, quamprimum intra corpus ſunt aſſumpta, huic parti primum inſidiantur, quam cum corde affinitatem habere conſtat, quodlibet tamen pro ea qua eſt natura dotatum. Ita aconitum, cantharides, ephemeron partibus quæ nutritioni ſeruiunt, penitus ſe affigunt, & oeconomiam illorum perturbant, & militem repræſentant, qui tum præclarè de inimico ſuo ſibi polliceri audet, cùm comeatū illi intercepit. Hæc venena nunquam penitus euinci aut domari poſſunt, vt medicamenta, & ratione excogitare oportet, vt quam celerrimè è corpore reijciātur, quod tamen antea fieri non poteſt, quàm natura maximam ex eo percipiat moleſtiā. Violenter enim agunt, & quamuis in parua quantitate exhibeantur, maximum tamen damnum inferunt. Quod ſi qui de hac re dubitare, vel autoritatibus erudiri volunt (vt enim experiantur, hoc nunquam illis conſuluerim) legant ea quæ Nicander, Dioſcorides, Galenus, Ætius, Paulus, Ægineta, & innumeri alij ſcripta reliquerunt. Sed longè plus periculi imminet, cùm venenum, quod aſſumitur, actiones ſuas perficit, tam ob qualitates manifeſtas, quàm vim occultam. Nam (quod prouerbio dici ſolet) alius ex alio morbus non poteſt dici ſanitas. Sed age conferamus Antimonij actiones, cum his quæ iam diximus. Statim cùm intra corpus fuit aſſumptum, & ſuprà & infrà hominem fatigat, idque vt plurimū. Præterea in diuerſis morbis in omni ætate, ſexu, & quouis anni tempore, nullo adhibito diſcrimine, exhibetur, & ſtatim ſuas exercet vires, & tam in tabido, quàm aqua inter cutem laborante ſerum educit: tam in ſano quàm ægro, & melancholico, vel bilioſo, quàm pituitoſo: & pertinaciter ſemper

Veneni effectus.

Diſcrimen Actionum & Antimonij & Veneni.

ſemper huic humori adhæret, nec eum qui facilior eſt ſolutu, educit. Magnam prætereа laſſitudinem, & virium imbecillitatem perpetuò poſt ſe relinquit, quamuis aliquando natura ſit ſuperior. Quid hic quæſo Medicus dicet, cùm eandem humoris & qualitatem & quantitatem in tabido, quàm in hydropico eductam eſſe videbit? quid? an morbi pertinaciam potius accuſabit, quàm effectũ ſui medicamẽti? quomodo tandẽ ad ſanitatem perducet ægrũ,& quibus fundamentis vtetur,vt curationem abſoluat? An non iudicabit ſtatim ſe pro remedio venenũ exhibuiſſe, vel medicamentũ non eſſe functum ſuo munere, cùm pro bile aquã eduxerit? Et cùm idẽ in omnibus ſequi videat, nónne tandẽ de rei veritate ſuſpicabitur. Num ita fortaſſe dicet: Vnde quæſo tãtus humiditatũ prouentus in hoc ægro qui febre ardente conflictatur: an naturales ſunt: conuertit ne venenũ bonas in has? Quid? Fieri ne poteſt, vt tã parua medicamẽti portio, in tam exiguo tempore, & ſupra & infra ita corpus exagitet? aut fit hoc naturæ robore, quæ hac ratione id quod moleſtũ eſt, à ſe excutere conatur? Quid præterea dicet, cũ eandem videt in principio morbi operationẽ, cùm humor adhuc crudus eſt, & ad expulſionẽ ineptus, cum ea, inquã, quæ à cõcoctione illius perficitur? Hæc, vt mihi quidem videtur, Medicus prudens, & qui rationes rerum intelligit, in mediũ afferre poterit. Nec hoc contentus, adhuc ſubijciet, naturã reuera multa facere, quæ ſint admiratione digna. Sed interim non obliuiſcetur hac ratione continuatũ illius ordinem non poſſe vel minimũ immutari. Sic enim cogitabit, nullum eſſe in rerũ natura miraculũ tale, vt mons extet abſque valle. Nã ſi ita contingeret, non amplius mons eſſet. Hæc & ſimilia ſi quis cõſideret proculdubio ita dicet: Si Antimonium medicamentũ eſt, quod ſimilitudine ſubſtantiæ humorẽ trahit, neceſſe eſt, vt vel vnũ tantum morbi genus curet, vel vt vnus tantum in corpore ſit humor. Huius diſiunctionis prima pars neceſſariò probatur, quòd cum ſimilitudine ſubſtantiæ pituitã eduxit: nõ poterit eadem quoque ratione bilẽ trahere. Pituita enim & bilis humores contrarij ſunt, & diuerſos etiã morbos excitant. Simili quoque ratione ſi febri ardenti medetur: non poterit curare febres quotidianas: aut certè nõ trahet naturæ ſimilitudine: quod tamen Launæus apertè confitetur. Hæc ſole ipſo illuſtriora

Generalis naturæ ordo mutari nõ poteſt.

Dilemma Antimonium aut non trahit ſimilitudine ſubſtãtiæ, aut vnũ tantũ morbum curat.

illuſtriora & clariora ſunt. Altera pars tãquam apertè falſa ab Hippocrate in primo libro de natura humana,& in eo,quem Galenus in eundẽ ſcripſit commentario,refutata eſt. Si enim vnus tãtum in corpore humor eſſet, vnicum tantũ eſſet elementũ,quod res cõpoſitas miſceret, quo nihil tam eſt cõtrarium ſenſui & rationi. Præterea oẽs docti medici norunt,diuerſa eſſe genera morborũ,& vnamquamlibet illorum variare pro ſubiecti diuerſitate: ita vt Socrates qui febre quartana laborat,non tanta moleſtia afficiatur,quanta Plato,qui tamẽ eodem mali genere vexatur. Hoc quotidiana experientia ſatis docet,etiam me tacente, non tãtum in his,quæ morbos comitari ſolent, ſed in illorum curatione quoque. Qua de cauſa Hippocrates occaſionẽ pręcipitem,vſum periculoſum, & iudicium difficile appellauit. Præterea ſi paulo cõpendioſius generalem purgandi,& purgantiũ medicamentorũ legẽ memoria repetere mihi licet, paulò planius hoc totũ negociũ declarabo. Ea eſt, vt primũ humor, qui qualitate peccat, euacuetur, & ductus obſeruentur, per quos naturæ inſtinctu ferri,& morbus finiri,& natura ſe exonerare conſueuit. Præterea oportet, vt hæ viæ naturæ lege aptæ ſint, nec impedimenta aliunde habeãt. Hæc purgatio fit,vel cùm ſimpliciter humores praui,qui nondum efferbuerunt,vel aliquã corporis particulã offenderunt, euacuantur: vel cùm humor qui fluit per loca inconuenientia, retrahitur,vel cum à partibus, quæ minus ob impedimẽta quædã ad hanc rem commodæ ſunt, reuocatur? vel vnà cum eo qui exinaniri incipit,protruditur, id quod ſæpiſſimè accidit, cum naturæ expulſionem materiæ peccãtis inſurgit, & à medicamento purgante iuuatur? Hæ obſeruationes ex doctrina Hippocratica ſunt deſumptæ, & harum ope,quod ſit bonum medicamentum,vel malignũ facilè diſtinguemus. Huc igitur Antimonium veſtrum afferte,& dicite, Antimonium nõ educit humorem peccantem, nec eum per vias, per quas vel natura,vel morbus exonerare ſe conſueuerunt, nec per loca conuenientia eum euacuat: non igitur bonum eſt medicamentũ. Quam enunciationem ita probo. Nam conſumit,hoc eſt, liquat,& humore depaſcitur,vt mox demonſtrabo. Non itaque malos humores euacuat, & tantum abeſt, vt illorum efferueſcentiam impediat, vt eam excitet potius. Nec artis induſtria eò deduci poteſt

Morbi variant pro ſubiecti diuerſitate.

Purgandi lex.

vt vel

vt vel naturæ, vel morbi, vel humoris motũ ſequatur. Nam tam in æſtate quàm in hyeme, & in melancolicis, quàm bilioſis, & in morbis qui per ſuperna, quàm quæ per inferna purgantur: vomitionem mouet: & vt breuibus omnia complectar, & infrà & ſuprà expurgat, in omni ætate, quouis tempore, & humore, & in omni morbi genere.

Antimonium natura venenum eſt.

Præter rationes verò ſupra poſitas, affinitas & ſubſtantiæ ſimilitudo, quam Antimonium cum plumbo habet, quemadmodum antiqui omnes ſcripſerunt, nónne ſola ſufficit, vt inter venena optimo iure collocetur? Nam ſi coctione in plumbum mutatur, confiteri quoque oportet illud plumbo veneno ſius eſſe, quòd ſit materia inæquali magis, & minus compacta. Quod facilè comprobari poteſt ex inſuaui odore, qui tum, cùm aſſatur, effumat, & cùm ſubtilior illius & humidior pars ab igne ſurſum fertur, & fumum intolerabili fætore (Nam auripigmentum aliqua ex parte refert) emittit, & partes duriores & magis terreas relinquit, quibus malefica vis ſeu ſubſidijs quibuſdá potiſſimum fulcitur. Quod Launæus ipſe liberè fateri quidem cogitur: ſed malignitatem tamen illam præparandi quodam certo modo à ſe adhibito, antequam in vſum transferat tolli indubitanter affirmat. Et quia incidimus in mẽtionem præparationis, breuibus cauſas & modum docebo, iuxta quem medicamenta maligna præparari conſueuerunt, vt inde, num hæc noua præparandi ratio legitima ſit, cognoſci queat.

Duplex ratio corrigẽdorũ medicamentorum.
Modus corrigendi per alterius admixtionem.

Medicamenta purgantia malefica, vel quæ veneno participant, aut ſaltem aliqua ex parte naturę noſtræ aduerſantur, iuxta regulas primùm ab antiquis deſcriptas, & notas, quibus inſignitæ ſunt, eligi debent. Quo facto ſeduló elaborandum erit, vt illorum auferatur malignitas, vel frenum ſaltẽ illi inijciatur: id quod fieri & poteſt & debet admixtione alterius medicamenti, vel artis opera atque induſtria. Idque triplici de cauſa. Primum, vt formæ ſpecificæ, & cauſæ latenti, ſeu facultati quam occultam appellauimus, occurramus, & hac ratione aliquando robur debilioribus addamus: veluti cum lactis ſerum, vel lac cum epithymo commiſcemus: qui alioqui non magnam vim purgandi habiturus eſſet: vel vt malignitatem immutemus eorum, quæ partibus principibus noſtri corporis inimica ſunt, & ita ea adiungamus, quæ propria

ſua vi

ſua vi eas roborare, & ab omni moleſtia defendere poſſunt: vel vt ea meliora, & efficaciora reddamus, & ad partes, per quas humor educi debet, deducamus. Deinde vt primis qualitatibus reſiſtamus, veluti cùm frigida cum calidis, vt inuicem inter ſe temperẽtur, coniungimus. Poſtremò vt incõmodis occurramus, quæ ex vſu horum medicamentorum ſequi ſolent, vt ſunt, animi deliquium, ventriculi morſus, tormina, & excoriationes inteſtinorum. Ita res ſuaui odore miſcere ſolemus, ad mitigãda hæc incommoda, & cor roborandum & ſpiritus. Pari modo quãdoque ſaporibus ad exceſſus medicamenti frangendos vtimur: acri & amaro, vt flatus diſſipemus, & ventriculũ roboremus: ſalſo, vt medicamento ſtimulum addamus, ſi fortè ſegnius actionem ſuam perficere vellet: vnctuoſo, vt viæ reddantur magis lubricæ dulci aut inſipido, vt magis ſunt iucunda guſtui, vel vt acrimonia illorum frangatur: acido & aſtringente, vt vehementia illorum retundatur, & purgatio laudabilior ſequatur, & partes quæ nutritioni ſeruiunt, & alendo corpori ſunt deſtinatæ, integræ, & illæſæ conſeruentur. Sic aliquando medicamenta inæquali conſiſtentia miſcemus, vt cum viſcida & glutinoſa, quale eſt tragacanthum & maſtix, tenuibus, quale eſt alos, & colocinthis, ſeu cucumer agreſtis, coniungimus. Quod ideò fit, ne excorientur, vel reſerentur orificia venarum. Sed hæc hactenus, quantum ad mixtionem, quæ medicamenta corrigit & emendat, attinet. Nunc ad artis ſolertiam accedamus, hęc quatuor habet inſtrumenta, quibus maleficam vim medicamentorum mitigare, vel infringere ſolet. Inter quæ primum eſt coctio, ſecundum lotio, tertium maceratio ſeu infuſio, quartum & vltimum, tritura. Coctio duobus modis perficitur, primum elixatione, ſecundò ſola vi ignis abſque vllo humore, & hæc aſſatio appellatur. Chymici in metallis impropriè & barbarè calcinationem vocãt. Sed vtraque vim habet minuendi humorẽ excrementoſum medicamentorũ, præcipuè verò poſtrema, quæ ea acriora reddit, quorum vis illa pungens in humore imbibita & ſepulta quaſi erat. Lotio verò eandem facultatẽ habet, ſed longè præſtantiorẽ, ſi aqua contrariam vim medicamento, quod lauatur, habet. Maceratio ſeu infuſio idem ferè præſtat. Sed hoc tamen amplius efficit, vt ea quæ infunduntur, vires ſuas in eo liquore, in quo

Quomodo arte medicamẽta corrigantur.

R ſunt

ſunt infuſa, relinquant. Ita ſi vim purgatricem tantum ex aliquo medicamento elicere volumus, id in liquore quodam maceramus, & infuſione deinde tantum vtimur. Tritura poſtremò in cauſa eſt, vt medicamenta melius inuicem permiſceantur, eaque tenuiora reddit & promptiora, vt per corpus deferantur, & quod magis eſt, aliquando maleficam illorum vim obtundit, & aufert prorſus, vt videre eſt in cucumere agreſti, qui niſi quàm tenuiſſimè conteratur, pertinaciſſimè ventriculo adhæret, & inteſtina exulcerat.

Antimonium præparandi & corrigendi ratio.

Conſideremus igitur iam, quę ſit vſitata hodiè Antimonij præparãdi ratio, & videamus, num hac illius malefica vis imminuatur. Suprà à nobis demonſtratum fuit, Antimonium crudum frigidũ eſſe & ſiccum. Et etiamſi nulla alia ſubeſſet cauſa, venenum tamen eſt, ex eorum ſcilicet numero, quæ talia ſunt ob qualitatũ exuperantiam. Oſtendimus prætereà, eaſdem cum plumbo facultates habere, & ob hanc cauſam nõnullos Antimonium quartam plumbi ſpeciem eſſe exiſtimaſſe. Ratio igitur hoc tàm natura malignum Antimonium præparandi, tàm admixtione alterius medicamẽti, quam coctione, vt Matthiolus in Cõmentarijs ſuis in quintũ Dioſcoridis librum ſcriptũ reliquit, perficitur. Primum enim Antimonium crudum in puluerem redigit, & in vas fictile ad id deſtinatum ponit, & ad ignem aſſat. Quo facto in tenuiſſimũ pollinẽ redigit, & igni rurſus apponit, & tamdiu coquit, dum nullum amplius fumũ emittat: Deinde vnciam Antimonij crudi cum librę ſemiſſe aſſati cõmiſcet, adiecta vncię medietate Boracis, & omnia ſimul denuò coquit. Si igitur Antimonij malignitas admiſtione alterius medicamenti aufertur, id per Boracem fieri oportet, cuius hæc vis eſſe debet: ſed hoc à veritate quàm maximè alienũ eſt: vt mox demonſtrabo. Primum Borax, quẽ Græci Chryſocollã appellarunt, teſte Dioſcoride, venenũ eſt, quod vomitionem mouet & ventriculo per conſequens inimicum. Quod cùm optimè Launęus animaduerteret, ad negationẽ cõfugit, & affirmare auſus eſt, noſtrum non eſſe antiquorũ Boracem, ſed medicamentũ quoddam compoſitum ex nitro foſſili & natiuo, & ſpeciem lapidis cuiuſdã renitẽtis, quique proximè ad naturam ſalis accedat: acriorem tamen eſſe & magis amarum, quòd in lacte caprino vel vaccino tamdiu maceretur, lauetur, & poliatur, dũ ſalſuginem

Matthioli Antimonij conficiendi modus.

Boracem nullo modo Antimonium corrigere.

ginem amittat prorſus, & deinde ſoli exponatur, adiecto oleo amygdalarum dulcium per quadraginta dierũ ſpacium. Hoc modo arte Boracem parat Launæus: quamuis maiores noſtri duas nobis cõponendi Boracis normas reliquerint: vnã naturalem, alteram qua aurifices quoque vtũtur, quæ ex ære Cyprio, & vrina pueri conſtat. Georgius Agricola ſcribit Boracem Venetum cõponi artificio quodã è nitro duro, denſo, & quod lapidẽ repræſentet. Sed Chryſocollã tamen appellat. Nam, inquit hęc verè Chryſocolla eſt, quã Arabes ſua lingua Tincar vocãt. Si igitur quę Venetijs paratur Chryſocolla, vera eſt & genuina, & hæc venenum (tam naturalem quàm artificioſam intelligo) cur hoc tam perfricta fronte Launęus negare audet? an fortaſſe, vt illi potius quàm qui hac de re copioſè commentati ſunt, fidem habeamus, cupit? Nec eſt, vt calorẽ hic obijciat, vel in eo multum ſibi confidat. Nam vt Agricola ſcribit, hunc colorem ope cuiuſdam herbæ acquirit, quæ aurifices cũ altero carent, vtuntur. Chriſtophorus Encelius idẽ prorſus ſcribit, & Ioannes Kentmannus, qui integros libros his vltimis ferè mundi temporibus de re metallica in lucem ediderunt. Et quia præclarè hac ſibi Launæus effugiſſe videtur, cùm noſtrũ non antiquorum boracẽ eſſe dicit, lubens acquieſco, & abundè mihi ſatis factũ iudico. Sed videat tamen, & diligẽter mentẽ adhibeat, ad ea quę adhuc ducturus ſum. Nitrũ ſuccus eſt coagmentatus, & ceu condẽſatus & optimo iure ad quãdam ſalis ſpeciẽ referri poteſt. Nam quamproximè ad illius naturam accedit, & in viribus quam maximè cũ illo cõuenit. Illud autem, è quo Borax fit, durũ eſt, denſum, & lapidi ſimile, vt antea oſtẽdimus, & ex cõſequenti cũ incaleſcit, amplius arrodit etiam, vt Galenus capite vigeſimo, libri quarti de ſimplicibus medicamẽtis ſcripſit: quo in loco dicit, quòd omnis ſal qui è terra ſumitur magis cõpactus eſt, & terreus alio, & calidior & ſiccior, & niſi acrimonia illius à partibus aqueis retũderetur, hic calor, nõ procul ab ignis feruore abfuturus eſſet. Nitrũ vſtũ quãproxime ad naturã aphronitri accedit, quod eſt ſtomacho inimiciſſimũ, nec niſi magna vrgẽte neceſſitate, ſumi debet, vt Galenus ſcribit libro nono de ſimpliciũ medicamẽtorũ facultatib⁹. Quilibet porro ſal vim habet aſtringẽtẽ, & vẽtriculũ ſubuertit, & perturbat vomitio nẽq; mouet, & radẽdo exiccat ac purgat: & hãc ob cauſam, vt

Proprietas & natura Boracis.

Meſnæus aſſerit actionem iuuat medicamentorũ quæ tardè ſeu ſegniter purgãt. Et cùm nitrum hac natura ſit præditum, quomodo quæſo naturali & inſitæ Antimonij malignitati reſiſtet? an non augebit potius illius præcipitem, & laborioſam purgationem? Vel quomodo poterit partes principes ab hac peſte defendere, vel tueri? aut meliuſnè reddit? vel quomodo ad eas partes, è quibus humorem educere volumus, medicamentum deducet? Nam quod ad qualitatum contrarietatem attinet, non eſt, quod hoc præſtat, cùm de facultate occulta iam agamus, & quãuis de illa intelligamus, tãtum abeſt, vt illi reſiſtat, vt ſiccitas illius vſque ad quartum gradum augeatur, illudque calidum efficiatur, vt mox dicemus. Vlterius itaque progrediamur. Effectus nitri contrarij ſunt ne effectibus Antimonij? Minimè verò. Nã & morſum ventriculi augent, & vomitionem mouent, ita vt neſciam, an vlterius progredi debeam, vel dicere Boracem ſolum eſſe cauſam. Eſtnè ſuaui odore, qui ſpiritus roboret? Nam de ſapore iam egimus. Deinde eſtnè diuerſa ab Antimonio conſiſtẽtia? Nequaquam. Nam vtrumque durũ, denſum, & graue eſt. Sed obijcies fortaſſe eſſe præparatũ, & amiſiſſe iam ſalſedinem: ad quod reſpõdeo quamuis aliqua iam præparatione ſit facta virium ſeparatio, maligna tamen eius qualitas non omnino tolli poteſt, niſi prorſus ſibimetipſi contrarium efficiatur, & ipſum ſibi repugnet. Deinde cũ Chymici de rebus contra naturam locuti ſunt, ſales & reliqua minutiora metalla intellexerunt, Nam quantũ à natura metallorum generali abeſſent, optimè viderunt. Hinc concludo etiam ea eſſe imperfecta, & inepta, vt metalla naturæ noſtræ familiaria reddant. Nam cùm infra ea ſint poſita, ijs non tanquã intermedijs vti poſſumus, quod potius de ijs ſimplicibus debet intelligi, quæ viuunt & vigent (& impropriè vegetabilia appellantur) & naturæ animali & metallicæ participant. Sed velle contrà cum Launæo inferre, Galenũ dixiſſe, nitrum vtiliter ſumi ob humores craſſos & lentos: perinde eſt ac ſi quis ſe ſacco, qui totus aqua madidus eſſet, cooperire vellet: Nec enim Galenus hoc de nitro vſto, quod ob hãc cauſam ad naturam aphronitri proximè accedit, & ventriculo inimicum eſt intelligi voluit, quẽadmodum ipſe loco à Launæo citato aſſerit, & quod res ita ſe habeat, exhibete quæſo Boracẽ ſolũ

Qui ſint ſales contra naturã iuxta Chymicos.

vſtum,

vſtum, videbitis proculdubio eoſdem cum Antimonio veſtro effectus. Vnum tamen obiter hic annotabo, vt oſtendá quantum Launęus in compoſitione Boracis ex nitro natiuo, aberrauerit. Nam ſi inſpiciendum nobis illum dare deberet, plurimű profecto operæ illi ponédum eſſet. Similitudo nitri noſtri quá habet cum deſcriptione antiquorum, eius commonefacit nos, & ego ad ea me referá, quę Matthiolus ſcripſit, in quibus tantum Launęus confidit. Cùm igitur dicit Boracem factum eſſe ex nitro natiuo, foſſili, manifeſtò falſa proponit. Velle deinde affirmare, è qua re, vel quomodo factus ſit, perinde eſt, ac ſi perſuadere nobis vellet, ſe fuiſſe à Conſilijs Reipublicæ Venetæ, quę hunc parandi modű ſibi tanquam præcioſum theſaurum reſeruat. Et credo ſanè, ſi Launæus melior fuiſſet Chymicus, quá hactenus ſumus experti, & Geberi & aliorum libros vel parum inſpexiſſet, ſuſpicatus potius eſſet Boracem ex Halonitro cőſtare, cùm in eius locű Halonitrum ſæpenumerò ſufficiát: & Halonitrum non ita operoſa præpatione accedere, actiones Boracis perficere poſſit. Prætereà, cű Borace Veneto caremus, alium ex Halonitro cőficimus, quo vtimur, nő æquè tamen benè, atq; altero. Vidi duodenos cőficiendi modos, ex ſale, alumine, & halonitro. Alexius Pedomontanus cőpoſitionem vnam deſcripſit, in quá alumen, ſalalkali (cuius vſus eſt in vitris cőficiendis) & ſal gemmę ingrediuntur. Quæ rationes ita in mediű adductæ, quod ad Nitrű attinet, ſufficere ſalté debent, relata potiſſimű ad Halonitrű, ſalalkali, alumen & ſal gemmæ: vt Borax ſiue ex hoc, ſiue ex illo ſit compoſitus, nő poſſit nő eſſe pernicioſus, & periculo plenus, & ex cőſequenti minimè aptus, vt Antimoniű corrigat. Adiungam prætereà quæ Matthiolus ſcripſit. Neq; enim conſulit, vt Halonitrű loco nitri, medicamentis quæ intra os ſumű tur, niſi fortè quis dedita opera ſe in diſcrimé vitæ cőijcere vellet, miſceamus, & eo nomine grauiter in Monachos, qui in Meſnæű commentati ſunt, inuehitur, eoſq; tanquá inuidos, & quibus charitas nő ſit cordi, accuſat, dű Halonitrum per os debere ſumi conſulűt. Et hæc, quod ad mixtioné attinet, dicta ſufficiant. Reliquű eſt, vt breuibus percurramus, nű arte (quæ ſecundum fuit inſtrumentum medicaméta corrigendi) hęc malignitas imminui vlla ratione poſſit. Artificioſa Antimonij præparatio coctione ſicca, & adurete quę calcinatio di-

Ex quibus rebus conficiatur Borax noſter.

Exploditur Antimonij artificioſa pręparatio.

tio dicitur,perficitur. Per hác humiditas quę ligabat,& veluti in vnum cogebat partes craſſiores & terreſtres,expellitur. Ná ignis vi eiuſmodi res in cinerem redigũtur, id quod Geberus quarta parte primi ſui libri de magna perfectione ſcripſit. Cũ igitur Antimoniũ veſtrum præparatis, quid quæſo aliud facitis,quàm quod illud durius redditis,& igneá illi vim cõmunicatis. Humiditas enim aquoſa euaneſcit,& exhalat,& eadem quoque de cauſa etiá mollities & frigiditas, quæ ea fulciebátur,& ea innitebátur quaſi. Siccitas deniq; augetur, humiditate abſente,quę illi reſiſtere poterat,nec fieri poteſt,vt Galenus quoq; affirmat,vt hæc ſiccitas ſit abſq; magno calore. Sic videmus metalla,quæ ſua natura ſicca & frigida ſunt,vi ignis adurẽtia fieri,qui cùm æquè inimicus ſit illorũ calori natiuo, quam noſtro,ea alterat,atq; immutat. Sic etiá Chymici quálibet rem vi ignis in cinerẽ redactá in naturá ſalis conuerti,& maiorẽ acrimoniam acquirere ſcribunt. Galenus præterea in proœmio noni libri de ſimpliciũ medicamẽtorũ facultatibus, medicamenta frigida & aſtringẽtia omnia (è quorũ numero Antimoniũ crudũ quoq; eſt) vſtione maiorẽ calorẽ acquirere aſſerit,humiditatẽ enim abſumi,& quod reliquũ manet terreum eſſe, & coniunctam habere caliditatem quæ Ariſtoteli ἐμπύρευμα dicitur. Cuius rei abundè teſtis eſſe poterit argentum viuũ,è quo hac ratione puluis Mercurij cõficitur. Mecũ quoq; idẽ ſentient omnes docti Chymici,tàm ob quotidianá experientiá moti,quàm quod regulá habent, metalla extrinſecus omnia eſſe frigida,ob partes aqueas, quibus pertinaciter adhærẽt,& ceu affixæ ſunt: Sed intrinſecus calorẽ habere maximũ,qui tum demũ appareat, cum frigiditas vnà cũ humiditate ſeparatur,vi ſubiecti quod habẽt,id eſt,aquæ,vt iam oſtẽdi. Et quamuis videatur vobis Antimoniũ mitius eſſe factum, quod ſulphur ab eo abſit: Spiritus tamen intus manet fixus, & vapor quidá inutilis tantum exhalat. Siue igitur generali vſtione, ſeu aſſatione vtamini, ſiue ad ſpecialẽ progrediamini,eadẽ erit vtrobiq; ratio. Nam durius Antimonium veſtrũ redditis,& igneũ planè, quæ duæ res valdè cum medicamenti bonitate pugnát. Nec eſt quod dicatis,hanc regulá de tranſmutatione & perfectione metallorũ imperfectorum debere tantum intelligi: nam ſimiles cauſas ſimiles quoq; ſolent conſequi effectus, nec tam facilè pro diuerſa artificum inten-

Aſſationis effectus.

intentione immutati poſſunt. Nec dubito, Launæum, ſi aliquando fortè in librum Geberi inciderit, reſponſurũ, vſtione metalla puriora reddi, adiectis ijs rebus quæ id efficere poſſunt, inter quas ſales annumerat: ſed ſi paulo penitius rẽ introſpicere voluerit, inueniet partes impuriores tum potiſſimũ ſeparari, cum vnà ſecũ quoq; ſubſtantiam magis terreſtrẽ trahunt, & corporũ tantum puritatẽ relinquũt. Et oſtẽdat mihi iam, Antimoniũ ſuum cùm ita præparatur, & Borax illi admiſcetur, hoc poſſe præſtare. Tantum enim abeſt, vt poſſit vt potius tota ipſius ſubſtantia maneat confuſa, & ventriculum ita ingrediatur. Sed ſi hoc poteſt, cur Matthiolus nõ in principio totum imponit? Vel quare denuo Antimonium crudũ commiſcet? an de nouo corrumpere vult, quod tanto conatu purgare nititur? Præterea conſiderate quęſo, & negociũ exactius paulo perpẽdite. Dum enim Antimoniũ veſtrum vritis, nónne tam contrariũ naturę humidę, quàm eſt vitrũ ſiccum, illud redditis? Ita ſanè res habet; nam hac ratione inuenietis illud aliquo modo vitri naturam induiſſe. Deinde, an non voſmetipſi eũ præclarè ſuo munere functũ exiſtimatis, qui id pellucidum magis, quæ vna eſt ex vitri proprietatibus, reddiderit? Habeo penes me quinque aut ſex ſpecies; habeo item halluſiacũ, quod hodie vela pandere incipit, & principatum obtinet. Sed ſcimus iam actionẽ conficiendi vitra non poſſe ſine extremo ignis calore, & ex conſequenti extrema ſiccitate perfici. Et Theophraſtus Paracelſus ipſe primo libro de Gradibus, capite ſexto, ea quæ vel in calcem, cinerem, vel vitrum ſunt redacta, ad quartũ ignis gradum accedere ſcribit: quod Arnoldus de villa noua quoque teſtatur. Et quamuis Antimonium veſtrum non exactè vitrum ſit effectũ (id quod affirmare non auſim: nã ſupra carbones poſitum, fumum adhuc emittit, propterea quòd Antimonium crudum etiã denuo fuit adiectum) hoc tamen nõ negabitis, id cùm ex opaca & vmbroſa natura in pellucidam abierit, cum vitro aliquã habere affinitatẽ, ſaltem in primo gradu. Quomodo igitur natura noſtra hanc duritiem & ſiccitatem vitream diſſoluet, vel deligabit? nam hoc fieri oportet, antequam inſurgat ad expellendum vitioſos humores, aut medicamentum alioqui nullam cum illo haberet συμπάθειαν, quod tamẽ neceſſe eſt fieri, vt oſtendi, cum alioqui in venenum degeneret,

& prorſus inimiciſſimum naturæ noſtræ reddatur. Quod ſi hæc minus ſatiſfaciunt vobis, cani, quæſo, vitrum tenuiſſimè tritum obijcite vel deuorandum præbete, videbitis eoſdem fere cum Antimonio veſtro effectus. Sed fortaſſe teſtimonium Theophraſti Paracelſi adducetis, qui in libro ſuo de vita longa, capite in quo ex profeſſo de Antimonio agit, ſcripſit, Antimonium quemadmodum aurum mundet, ita corpora quoque noſtra mundare, & verbis prodigioſis vtens, vt ſolet, maximum dicit eſſe arcanũ, & modum præparandi obſcurũ, & difficilem intellectu, docuit, nõ tamẽ ita intricatum, vt nõ optimè videamus eam præparandi rationem à Matthioli diuerſam prorſus eſſe. Primò (inquit) vide ne corrumpatur Antimonium, ſed tantum hoc, quantum eſt, integrum maneat, citra vllam amiſſionẽ formæ: ſub hac enim deliteſcit Antimonij arcanum, id quod per retortũ impelli debet, ſine omni capite mortuo, ac denuò in tertiũ coho reduci. Tum demũ erumpit, doſis eius grana quatuor, in quinta eſſentia Meliſſæ adminiſtrata. Ioannes de Rupeſciſſa, qui ante annos trecẽtos de conſideratione quintæ eſſentiæ omnium rerũ ſcripſit caput habet in quo de quinta eſſentia Antimonij agit, de qua mira prædicat, & obteſtatur etiam, eſſe myſterium maximũ, nec eo vllum poſſe inueniri admirabilius. Sed videte quæſo quomodo componat. Primum in puluerem redigit, & acetum Philoſophorum in vaſe plumbeo permiſcet, & ita ſub fimo equino per ſeptuaginta dierum ſpacia relinquit: igni deinde apponit, & ſuccum eo modo quẽ proponit, quem Benedictum appellat, inde elicit, nullo theſauro, quantumuis precioſiſſimo comparandũ, & ſaccharo & melle dulciorẽ. Videtis iam opinor, quantum veſtra præparandi ratio, à prioribus duabus diſtet. Quod ſi vterq; & Paracelſus & Ioannes de Rupeſciſſa vera dixit, præparatio eodẽ modo, quẽ illi & præſcribunt & imperant, facienda erit. Quo in loco ſatis mirari non poſſum, Matthiolũ, ſyncerioris Medicinæ cultorẽ acerrimũ, & natura ad reprehendendũ alios quàm maximè procliuẽ, nullo adhibito deligẽtiori examine, vel cauſis effectuum exactius paulò conſideratis, hunc ſuum præparandi modum in publicum proferre auſum fuiſſe? Nec enim perſuadere mihi, vel vt credam adduci poſſum, hanc genuinam præparandi rationem eſſe, qua Antimonium igneum magis redditur, &

Theophraſti Paracelſi Antimonij præparandi ratio.

Item Ioannis de Rupeſciſſa.

bonam

bonam partem maleficæ plumbi vſti facultatis acquirit, & per conſequens carnes etiam & humores tam bonos quàm malos liquare, & reſoluere poteſt. Id quod in pictore quodam regio, cui nomẽ erat Nicolao obſeruaui: qui cũ ex aqua inter cutẽ grauiſſimè laboraret, illique totum corpus ad modum tympani intumuiſſet, tandẽ longo interpoſito à morbi principio tempore me ad ſe vocari iuſſit. Cui, quemadmodũ ars mihi imperabat, & ratio confirmabat etiã, medicamenta, & clyſmata, ad educendũ ſerum quam maximè accommodata præſcripſi. Sed cùm morbi diuturnitatẽ tandem grauiſſimè ferre videretur, & turpiter falſis Antimonij miraculis deceptus eſſet, illud omni modo aſſumere decreuit, ſed paucis interpoſitis diebus vitam cũ morte commutauit. Inciſo corpore inteſtina corroſa, & corrupta inuẽta fuere. Quę cauſa fuit, vt pertinacius deinde in priore ſententia perſiſterẽ. Hi enim ſunt effectus medicamentorum adurentium, & humores & carnes depaſcentiũ. Id quod amplius præcipiti & violẽta Antimonij actione probari poteſt. Nam in dimidię ferè horę ſpacio maximã ſeri copiã educit ſtatim, & grauiora ſymptomata inducit, quã vllum aliud vel peſtilentiſſimum veneni genus, quod duplo maiori pondere ſumeretur, & cui argentum viuum quoq; ineſſet. Aut ſunt ne hæ humiditates, quæ vni tantum parti ſunt affixæ, illaq; fulciuntur effectrices morborum cauſæ? vel tanta exinanitio fieri ne poteſt tam breui tempore? Naturaliter ſanè hi humores ventriculo & inteſtinis ſunt impacti, & viſcera lubrica magis reddunt, & peruia, ſine quibus naturales actiones tam feliciter perfici non poſſent. Humores enim ſunt pituitoſi, qui ex alimento reliqui facti ſunt, ſed vtiles tamen ad partes nutritioni deſtinatas in ſuo vigore conſeruandũ. Aliam igitur præparãdi rationem quærite, ſi vllam ex medicamẽto veſtro vtilitatem capere, deliberatũ vobis eſt. Conſulite obſecro Philoſophos Chymicos, qui perfectiorem metallorũ quã vos notitiam habent, & meas cũ veſtris precibus coniungite, illoſq; etiam atq; etiam rogate, vt alium modũ vobis oſtendere velint, quemadmodum ſine vlla dubitatione confirmauerim, nonnullos eſſe inter ipſos, qui vigilanti ſtudio & crebro vſu, myſteria quæ natura in metallis occultare voluit, optimè calleant, & nobis etiam reuelarint: quod niſi opera illorum aſſequamini, in bonam quoq;

Quos humores purget Antimonium.

partem accipietis, ſi Antimonium veſtrum in venenorũ ordine poſuero. Quod ſi rationes ſuprà poſitæ minus ſatiſfaciũt vobis, age periculũ & Argenti viui, & Antimonij facite, & vtrumq; pari tamen pondere duobus canibus deuoranda prębete, videbitis procul dubio, quod inter vtrũq; celerius actionem ſuam abſoluat.

Autor Magiſtratus opem implorat.

Optarẽ etiam hoc in loco, vt Magiſtratus, cui adminiſtratio Reipub. commiſſa eſt, autoritatẽ ſuã interponeret, & grauiſſimè in hæc animaduerteret; viamque præcluderet his, qui hoc medicamento, id quod peſſimè animo conceperunt, ad exitũ perducere facilimè poſſunt: nec vllũ eſt veneni genus, quo quis hominẽ occultius necare poſſit, ſiue ad quantitatẽ, ſiue qualitatẽ eius reſpiciamus, ita vt fabæ magnitudo ſatis apta ſit, vt interimat. Et cum nullo ſit vel ſapore, vel odore, non tam facilè cũ vel medicamentis, vel vino, vel iuſculis eſt permiſtũ, percipi poteſt. Et vt ſummatim complectar omnia, nihil eſt in rerũ natura, quo quis maiori cum pernicie poſſit abuti, quàm hoc medicamento. Quid igitur proderit (ad te Magiſtratus orationem dirigo) prohibere, vt Pharmacopolæ cuiquã vel argentũ viuũ, vel auri pigmentũ vendant, cũ hoc permittas et cõniueas tacitè, & tuearis quaſi? Sed iam rationibus & obiectionibus, quas Launæus in mediũ affert, reſpondere oportet, vt lector melius de hac tota noſtra diſputatione iudicare poſſit? Hæ itaque autoritatibus & experientia ſtabilitæ ſunt. Prima enim autoritas, cum exiſtimat Antimonium non eſſe venenum, in hoc tota verſatur, quòd dicit, antiquos cum de venenis ſcripſerint, nullã tamen de Antimonio mentionẽ feciſſe: ad quod facilè eſt reſpondere. Primũ enim argentum hoc probabile quidem eſt, ſed non neceſſarium. Neque enim ſequitur, non locuti ſunt veteres de Antimonio, cum de venenis egerunt: igitur non eſt venenum. Secundò, nónne omnes ij qui plumbum venenum eſſe ſtatuerunt, idem quoque de Antimonio affirmarunt, cum, vt illi quidem exiſtimant, Antimonium plumbi quædam ſpecies ſit imperfectiſſima? Dioſcorides verò qui Antimonium vires plumbi vſti habere ſcripſit, & hoc loto vehementius eſſe aſſeruit, an non ipſe quoque Antimonium venenum eſſe iudicauit? Quod ſi Launæus bonus eſt Chymicus, Antimonium cum pyrite idem eſſe optime nouit. Cum igitur Plinius, Dioſcorides

Reſpondet falſis Launæi obiectionibus & rationibus.

rides, & Albertus plumbi vſti fumum periculoſum eſſe & mortiferum aſſeuerarunt, nónne idem quoque de Antimonio intelligi debere conſtantiſſimè voluerunt? Plumbũ quia ex metallis omnibus eſt imperfectiſſimum, ob hanc ipſam cauſam (inquam) periculoſum eſt. Sed Antimonium quarta ſpecies eſt plumbi, eaque impurior (aut ſaltem, ſi non eſt ſpecies plumbi, fatebimini tamen illud plumbo multò eſſe impurius, ob rationes ſupra comprehenſas) ſequitur igitur, Antimonium plumbo eſſe periculoſius.

Altera autoritas ex Matthiolo deſumpta eſt, & Gallo, quorum vterque Medicus eſt Archiducis Ferdinandi, cùm dicit: Si Antimonium venenum eſſet, nũquàm certè à duobus tam præclaris viris tam egregiè commendatũ fuiſſet. Vtrumque ſanè ob excellentem doctrinam & admiror, & veneratione proſequor: ſed veritati tamen plus tribuo, eaque plus apud me poteſt. Vterque homo eſt, & errare poteſt, vt & alij: nec diffido, fore, vt cum rationes meas probè intellexerint, alia ſint opinione futuri. Quod ad Matthiolum attinet, multos habet locos in ſuis commentarijs, in quibus illum deceptum eſſe ſcio, ſed ex innumeris duos præcipuè obſeruaui, de quibus in libris meis de venenis copioſè diſſerui & (vt mihi quidem videtur) modeſtè oſtendi, quæ mihi à veritate aliena videbantur. Nec Launæus pro dignitate ſatis hoc clypeo ſe defendere poteſt contra rationes ſuprà poſitas, & ad experientiam confugiat neceſſe eſt, donec & hanc excuſſero. Atq; vt ordine ſingula procedant, primum quid ſit experientia, & quomodo ea ſit vtendum videre oportet. Experientia autoribus Ariſtotele & Galeno, memoria eſt earum rerum, quæ ſæpenumerò eodem modo viſæ ſunt, ita, vt crebra vnius & eiuſdem rei recordatio experientiam generet, iuxta quam regulæ quædam ſtabiliri poſſunt, quæ aptæ ſint ad artem aliquam ſeu ſcientiam conſtituendam, quæ generatim omnia comprehendat, quæ experientia ſeparatim inuenit. Sed experientia, vt Galenus aſſerit, dupliciter inuenta eſt, vel caſu, vel dedita opera. Caſu appello, cùm quid ſine conſilio, aut præmeditatione fit, id quod aut fortuitò, aut naturaliter accidit. Fortuitò, vt cùm is qui febre ardente laborat, vulnus in vena alterius brachij accipit, & hac ratione ſanationem recipit. Naturaliter ſeu naturæ inſtinctu

Matthiolũ multis in locis errare in ſuis in Dioſcoridem commentarijs.

Quid ſit experientia & quomodo faciẽda.

veluti

veluti cum idem immunis à morbo euadit, quod ſanguis è naribus effluxit: hæc experiētia ſanguinis fluxum bonum & ſalutarē oſtēdit. Quæ verò dedita opera inuēta eſt, ad ipſum ægrotum ſpectat, ſeu febre oppreſſum. Nā ſi is in ſummo totius corporis calore, & vigore febris, ſumma cum voluptate aquā hauſit, eamq; ad ſatietatem vſque bibit, & inde melius habuit, experientiā inde colligimus. Sed nō ſtatim regulæ generales faciendæ ſunt: ſed hoc diuturnitate tēporis, & longo vſu, vt Ariſtoteles octauo de moribus libro affirmat, cōfirmari quoq; oportet, ne dū artem cōſtituere volumus, feneſtram ignorantiæ patefaciamus. Sed ne hoc quidē ſat eſt. Nā experientiā hanc rationi iunctā eſſe oportet, per quæ duo inſtrumenta artes omnes & remedia ſunt inuēta, vt Galenus in cōmentario primi Aphoriſmi Hippocratis ſcriptum reliquit. Alioqui medicus nihil differret ab ijs, de quibus Galenus libro nono de placitis Hippocratis & Platonis loquitur, qui experientiam ſolā ſecuti, ſi quos errores cōmiſerunt, eos emendare non poſſunt: ob quā cauſam idē autor libro tertio de locis affectis, inuentionē remediorū, quæ ex veris demonſtrationibus proficiſcitur, in ijs, quę raro euenire ſolēt, experiētia multò præſtantiorē eſſe affirmat. Et quia verebatur, ne experientia deciperemur, libro quinto Methodi monet, ne quiſquam noua experimēta ante proferat, quàm ſe optima ratione priora remedia, quibus antea vſus fuerat, damnaſſe perſuaſum habeat. Non quod remedia recēs inuenta reijcere velit, quod nunquā Launæo negabo, ſed vt exceptiones, hoc eſt ratio & experiētia coniungantur. Sed vnum adhuc ex innumerabilibus alijs, quę ne prolixitate moleſtus ſim, obſeruatione dignū eſt: vt rationem nimirū reddamus, quare experientia, hoc & nō alio modo cōtingat. Neque enim ſat eſt, dicere has eſſe facultates occultas: nā hę vniuerſale & nō particulare reſpiciūt: & vos alioqui nullā regulā generalē cōſtituere poſſetis, & experiētia veſtra relinquetur dubia & incerta. Hoc religioſe obſeruari oportet, vt os impoſtoribus obturemus, qui quouis tēpore hāc experientiā decātaturi, & de vita humana iniquè prorſus & peruerſo penitus ordine luſuri eſſent. Nam, vt Galenus aſſerit, experimentū periculoſum eſt: propterea quòd ſubiectū, in quo experiri aliquid volumus nō idē eſt cū materia fabri lignarij: quæ quāuis aliquādo nō rectè in vſum adhi-

adhibeatur,non magnum affert incommodum. Sed humanum corpus dignitate prȩſtantius eſt,nec in eo quicquam,niſi quod vſu ſit probatum, tentare oportet, cùm ſiniſter vſus non tantum magni ſit cauſa periculi, ſed de vita ipſa hominem ſæpenumerò periclitari faciat: Et,quod magis eſt,Paracelſus ipſe,vnus ex præcipuis Antimonij autoribus, & fautoribus,capite ſexto ſui Labyrinthi, experientiam è plurimorũ remediorum ſcientia quadam collectorum vſu manare,& vbi ſit ſcientia, ibi quoq; experientiam eſſe effirmat: ſed concludit tamen,ſcientiam debere hanc præcedere. Itaque ex vobis,qui toties Antimonij veſtri periculum feciſtis,ſcire cupio, num experientia hæc veſtra crebra memoria confirmetur, & iuncta ſit rationi, vt regula quædam generalis poſſit componi. Rationibus certè deſtituimini: nam illæ vobis aduerſantur,vt ſuprà oſtendi. Aut expertine eſtis mente tamen prius non adhibita, Antimonium veſtro modo concinnatũ, talem habere vim & efficaciam? Quod ſi ita eſt, cur antea fuit præparatum? nam vt dicatis, naturam vobis víam monſtraſſe,neſcio certè quo pacto probaturi ſitis. Hoc enim de ijs tantum rebus,quæ vel in corpore ſunt, vel ab eo manant, intelligi debet. Vna tantùm experientia, quæ fit dedita opera,vobis reliqua eſt, qua ſi opinionem veſtrá confirmare vultis,neceſſe eſt,vt id rationibus impulſi quibuſdam, quemadmodum febricitans ſitim habet cauſam,faciatis. Sed quæ eſt iſta (quæſò) ratio? An non ea, quod Paracelſus (vt dixi) Antimonium vt aurum,ita & humores corporis mundare ſcripſit? Quod ſi hanc enunciationem vobis negauero, quid tandem de vobis fiet? Nam,vt verum fatear,mihi non poteſt eſſe ſuſpecta. Nulla enim prorſus eſt ſeu naturæ cognatio inter Antimonium & corpus humanum, quemadmodum eſt inter aurum & Antimoniũ, vel quid hoc cum illo habet coniunctum? Vtrumque enim corpus eſt inanimum, terreſtre, frigidum,ſiccum,& immobile: corpus verò humanum & viuit,& plenum eſt calore & humiditate fæcunda,mouetur,& ferè tantùm à metallis,quantum ignis à terra, diſtat. Quid deinde dicetis,ſi cum Arnoldo Villonouano vobis reſpondero. Naturam per ſe ipſam tantum corrigi? & poſſem fortaſſe optimo iure dicere, eos qui Antimonium corpus corrigere ſcripſerunt, hoc de corpore metallico,quale eſt au-

rum,&

rum,&κατ' ἐξοχὴν ita appellatur,intelligi debere voluiſſe.Sub hac nominnm varietate,pro more ſolito, myſteria ſua occultarunt. An ignoratis forſan,quod nominibus,vt lapidem Philoſophicum,qui metalla purgat,incognitũ nobis facerent,vſi ſint? Sed vt ad alia properemus, oſtendite mihi quęſo,experientiam veſtram & longam eſſe, & crebro vſu confirmatam? & nũ demonſtrationes,aut probationes habeatis, circumſpicite, & rationibus medicamenta noſtra vos iure damnaſſe comprobate. Scio ſanè Launæum hoc ſummè elaboraſſe, & validis conatibus tentaſſe: nec ignoro etiam,eum vt mercem ſuam vendibiliorem redderet, aliorũ pro more circulatorũ contempſiſſe.ſed mox ad hoc reſpondebo, vbi prius hæc diſcuſſero. Rationes itaq;, vos etiam atq; etiam rogo afferte, ſi quo vobis ſuppetunt,quare Antimoniũ peſtem potius,quàm febris hecticã, & quotidianam potius,quã ardentem, vel eas in vniuerſum curet? & ex omnibus regulam quandam idoneam & generalẽ elicite, quæ Hippocratis & Galeni præceptis poſſit annumerari. Nec exiſtimetis velim, ideò nobis ſatiſfactũ eſſe, quòd dicitis, multas adhuc eſſe res incognitas, quarũ vires nondum expertæ aut exploratæ ſint: Nã in hoc cum vobis conſentio, & quod ars Chymica multa habeat ſecreta, eaq́; magnarum virũ, non repugno. Præterea non ignoro, vix quadraginta aut quinquaginta annos elapſos eſſe,à quibus lignũ Guaiacum,Sarza Parilia,& Sinarum radix,& quædã alia medicamenta,in vſu eſſe ceperunt,& magna nobis commoda præſtiterunt. Sed quod Antimonium veſtrũ his annumerari debeat,nego. Et hoc ipſum eſt, cui pugnaciſſimè contradico. Facultates enim illorũ tam qualitatibus manifeſtis, quã vſu & ratione,& doctorũ communi conſenſu ſunt confirmatæ. Præterea vitam habent, & plena ſunt calore & humiditate,& ita comparatio non eſt vnius generis. Sed velle inferre, ideò quod quidã puluere Mercurij in peſte,& oleo calcanthi in febre quartana vtantur, Antimoniũ eodem modo debere in vſum adhiberi? quid quæſo hoc eſt argumenti? conſequens enim prorſus nihil valet, & de vno affirmari, de altero nõ poteſt. Olea enim quæ natura ſunt aërea, naturæ noſtræ certè magis familiaria ſunt, quã terreũ illud Antimoniũ veſtrum. Sed vnũ adhuc reſtat, quod me mouet, vt experientiã veſtrã & vtendi modũ meritò damnem. Nã etſi medicamentũ ve-

ſtrum

ſtrum vires eliciendi vomitũ habere optimè perſpectũ habeatis, nimimè tamen conſideratis, an is, cui exhibetis, aptus ſit ad vomitũ, vt iuxta Galeni præceptũ in commentario 13. Aphoriſmi Hippocratis ſectionis quartæ præparetur prius, & idoneus ad hãc actionẽ efficiatur. Primũ (inquit) noſce oportet, quomodo is qui veratrum ſumpturus eſt, in alijs id genus purgationibus ſe habuerit. Primũ itaq; à medicamẽtis vomitũ mouẽtibus mediocribus incipite, & periculũ facite: quod ſi videatis difficiliorẽ ſubſequi purgationẽ, cauete ne veratrũ, niſi benè prius pręparato corpore, offeratis. Poſſẽ hoc in loco arcas veſtras eadẽ moneta implere, quã vos ſurripuiſtis, & exempla nonnullorũ, qui peius ex Antimonio habuerũt, & mortẽ etiã, quod magis eſt, obierũt, in mediũ afferre. Et credo ſanè eorũ numerũ, qui ſanitatẽ receperũt, & qui vitã cũ morte cõmitarunt, paruo inter ſe differre. Sed hoc habent proprium impoſtores, vt eos tantũ diligẽter obſeruẽt, qui naturæ beneficio ex duobus maximis malis incolumes euaſerũt, & eorum qui ſuccubuerũt, libẽter obliuiſcãtur. Nec tamẽ dubito Antimoniũ aliquã quandoq; vtilitatẽ afferre: ſed talẽ, qualẽ is, qui cũ inimico ſuo congreditur, capit. Nam cum tumore coſtarũ laboraret, nec cũ à Chirurgis vlla ratione incidi pateretur, ex forti illa imaginatione bonũ illud ab eo conſequitur, qui damnũ illi inferre decreuerat, & voti cõpos ita fit. Vel eã præſtat vtilitatem, quã maritus è peruerſis moribus, & maligna vxoris natura capit. Hæc cũ venenũ illi obtuliſſet, & vereretur fortaſſe, ne ſatis idoneum ad interimendum illũ eſſet: aliud illi, quod huic primo contrariũ erant, dabat, & dum ambo inter ſe colluctabãtur, natura ſuperior facta, vtrumq; à ſe expellit, vt ex Epigrãmate Auſonij, quod in lib. meo de venenis in latinã linguã conuerti, conſtat. Sic itaq; Antimoniũ cũ corpus eſt ingreſſum, tàm miſerè naturã exagitat vt recolligere ſe coacta, illud primũ vomitu reijciat, & per conſequẽs vias ad priorẽ mali cauſam diſponat, quæ mota deinde quoque expellitur. Quod ſi quis prætereà Antimoniũ humores, qui morbos excitarũt educere contendat: huic reſpondeo: Verũ quidẽ eſſe Antimoniũ non tantũ in ægris, ſed etiam qui optima valetudine ſunt affecti, multò plus humiditatis educere. Sed idem quoq; ſquamulas tum, cùm lebetes ænei cuduntur, & recẽs ab igne auferuntur ſurſum elatas, præſtare.

Quomodo Antimonium morbos curet.

Quod

Quod in quodam, qui febre quartana conflictabatur, & ab imperitis rei medicæ perſuaſus, eas in puluerem redactas aſſumſerat, obſeruaui. Reliquum eſt, vt ea medicamenta quibus nos vtimur communiter in curatione morborum, reuera effectibus, quos requirimus, accommodata eſſe demonſtrem, qualia ſunt Rhabarbarum, Scammoniũ, turbith, contra quæ tria Launçus potiſſimum inuehitur. Primũ itaq;, ſi ea cum metallis conferre volumus, nemini dubium eſt, ea naturæ noſtræ magis eſſe amica: Hoc enim ſaltem nomine ijs potiora ſunt, quod animam habent, quam ſecuto ſpiritui noſtro naturali participant. Vſum habeo cum ratione, quæ duo ſunt artium inſtrumenta, vt ſuprà demonſtrauimus. Habeo communem antiquorum & recentium conſenſum: Habeo actiones communes in omnibus morbis, in quibus ijs vtimur. Velle autem cũ Launæo affirmare, eo quòd ſint acria & amara, ideo malefica eſſe, perinde eſt ac ſi quis genus cum ſpecie confundere vellet: nam ſi Meſnæum legit procul dubio didicit hanc enunciationem habere ſe ad aliquid: hoc eſt talia dici, reſpectu habito ad ea quæ acriora ſunt, & magis amara. Prætereà didicit, hanc aliquando propoſitionem non intelligi de medicamentis, quæ eadem ſunt ſpecie: nec enim bona eſſet hæc concluſio. Rhabarbarum plumbo & argento viuo magis eſt amarum. Ergo Rhabarbarum vtroque periculoſius eſt. Nam Rhabarbarum differt ſpecie ab argento viuo, & plumbo. Quod ij Launæo, ſi minus ſibi ſatiſfactũ hac reſponſione putat, qui hæc docente me audiuerunt, libenter dicent. Et vt idem denuo repetam, hæc concluſio bonáne eſſet. Rhabarbarum ſublimato magis eſt amarum, quod tamen nullo prorſus eſt ſapore præditum, ergo Rhabarbarum ſublimato periculoſius eſt medicamentum. Amara ventriculum roborant, vt Meſnæus aſſerit, & acrimoniam medicamentorum temperant, flatus diſcutiunt, & corruptionem arcent: quas facultates Rhabarbarũ habet, & magna ex parte Scammonium quoque. Et quia hucuſque oratio noſtra proceſſit, dico Antimonium ob hoc ipſum eſſe malignius, quòd ſit nullo prorſus ſapore. Nam ſi illas actiones de quibus anteà locuti ſumus perficit, nec illud ad vllam manifeſtam, ſeu euidentem cauſam referre poſſimus, an non fateri oportet, vim illius maleficam omnium eſſe maximam? Cùm peſtis in locò quo-

Defenſio noſtrorum medicamẽtorum purgantiũ aduerſus Launçi calumnias.

co quodam, qui benè ab aëre perflatur, graſſatur, & nulla extrinſecus apparet cauſa, ob quam diutius ibi moram trahere debeat, an non hoc illam eſſe periculoſiſſimam maximo eſt argumento? an non eum, qui ſimulare nouit, quàm qui eſt aperto ingenio, vereri magis oportet? Sed obijcit Launæus, medicamenta noſtra eſſe adulterata. Sit ita ſanè. inueniantur, quemadmodum procul dubio res ipſa ſe habet. Sed caue tibi ab illis. An quia manubrium aſciæ parum valet, ideóne tota ſecuris in aquam proijcienda eſt? Vel quare Launæus ipſe ea in vſum adhibet, vt in quibuſdam remediorum formis, ſua manu ſcriptis, vidi? Omnes fermè huius vrbis pharmacopolarum officinas circumiui, & diligenter inſpexi, & multa bona & mala medicamenta reperi. Sed hoc tamen affirmare auſim, me in multis tria illa medicamenta, quorum ſuprà facta eſt mentio, omnium laudatiſſima, & in quibus nihil iure deſiderari poterat, inueniſſe: niſi Launæus in vniuerſum ea, quæ oculis ipſimet intueri poſſumus, negare velit. Sed & nos libros, quemadmodum & ipſe, habemus, nec deeſt modus, ea inter ſe inuicem conferendi. Habemus collegas medicos omnium totius Europæ præſtantiſſimos: nec commercio exterarum gentium caremus. Quod ſi dicit Rhabarbarum quod Venetias aduehitur, nó eſſe legitimum, ſeu bonum, inſpicere illud tantum oportet, an ad rubedinem declinet, an graue, an ſubſtantia rara ſit: vel fractum, rubrum, fuluum, vel glauco colore appareat: vel manſum croci colore tingat, & amarum ſit, & aſtringens. Si hæc omnia illi inſunt, ad quid hæc noſtra diſputatio proderit? Quid Matthiolus præceptor veſter, & Archiducis Medicus de hoc dubitat? Sed ad effectus accedamus, an non tales ſunt, quales ab Arabibus, hoc eſt, maioribus noſtris, & noſtri temporis medicis ſunt deſcripti? An mendacij forſan noſtros homines accuſare vultis, qui eius effigiem beneuolo animo communicarunt nobis? An ignoramus fortaſſe, Venetos merces ſuas Alexandriam vſque vehere, & Venetijs nó ſolum Ægypti medicamenta, ſed & Indiæ ad totius mundi vſum, comportari? An neſcimus Luſitanos commercia ſua potiſſimum Calecuthi habere? Libros nauigationum nuper in lucem editos lege, & caue Launæe, ne in poſterum in tam abſurdas opiniones imprudens incidas. Deinde quæ de Scammonio in medium

Rhabarbarum.

Scammonium.

S affers,

affers, illa verò omnium ſunt pulcherrima: ſed totum non exprimis. Nam de modo corrigendi illius, quem nos ſequimur, ne verbum quidem dicis, nec acrimoniam illius tam coctione, quàm alterius medicamenti admixtione temperari addis. Meſnæum legito, & quod volueris inuenies. Quod ad nos, qui ne latum quidem vnguem, vt aiunt, à ratione diſcedere volumus, attinet, nullo modo hunc medicamenta adulterandi modum probamus, ſiue hoc à noſtris fiat, ſiue olim à veteribus fuerit factitatum. Ob hanc cauſam Pharmacopolas admonemus, vt oculos & mentes adhibeant, & officinas inſpicimus, & malum à bono ſegregamus. Sed in viginti ferè annorum ſpacio, vix tot errores vidimus committi, quot Antimonium veſtrum in vno tantum perpetrauit. Poſtremo optimè nouimus, quales notas optimum Turbith habere debeat. Quotidiè enim illud corrigimus, in morbis præſcribimus, & effectus inde, quos cupimus, conſequimur. Hæc copioſius tractarem, niſi in aliud tempus multa, quæ dicenda reſtant, reſeruare animus mihi eſſet: & niſi ſcirem lectorem affectibus minimè ſeruiturũ, ſed rationes meas æqui boniq́ue conſulturum eſſe. Nam ita ea quæ à me dicta ſunt de Launæi libro explorandæ veritatis, & non contradicendi ſtudio ſcripta fuiſſe procul dubio intelliget.

Turbith.

Quibus ita explicatis & probè intellectis, facilè in poſterum, vt mea fert opinio, erit, cauere ne homines tam facilè cuiuis fidem adhibeant, & vitam, ſummum theſaurum, illis committant, qui experientiam tanquam fucum ignorantiæ ſuæ illinunt, & vt maiori in honore habeantur, circulatores referunt; qui vt medicamenta ſua commodius vendant, non aliud ſanare ſe poſſe profitentur, quàm podagram, lepram, vlcera inueterata, putrida, & ad cancri naturam accedentia, & id genus alios morbos, à medicis pro deſperatis derelictos, quaſi ipſis ſolis hæc ſecretiora reuelata fuiſſent: aut veritas ab indoctis, quàm doctis tractari mallet: & quaſi difficilioribus morbis mederi, leniores aũt curare non poſſent. Sed vt finem faciam, ita apud animum hac in re conſtituo, vt nimirum, cùm Matthiolus & Launæus vterque, vt res ipſa oſtendit, in re Chymica parum verſatus, nullum alium modum, cum commodo noſtro, Antimonij vtendi doceant: tamdiu expectemus, dum ij, qui in id ſummo labore & ſtudio incumbunt,

bunt, tutiorem ſeu certiorem viam præparandi illius, ſiue id per olei extractionem, ſiue alia quacunque re, quam ars illos docet, fiat, demonſtrent. Interim vnumquenque admoneo, vt ſibi caueat, & Magiſtratum precibus omnibus oro & obteſtor, imò ceu iuramento aſtrictum volo, vt ſuam hac in re auctoritatem interponere velit. Et quia Antimonium hoc modo concinnatum, tantam in ventriculo perturbationem, ſeu ſubuerſionem inducit, vt ea non poſſit excogitari maior in tam breui temporis ſpacio, conſulerem certè illi, qui forte ſumpſiſſet, vt medicamentis vẽtriculum roboraret, quorum alia per os ſumi, alia extrinſecus applicari poterunt. Poterit etiam conſilio adhibito prudentis medici, ijs, quæ per os ſumuntur, medicamentis, ea quæ acrimoniam temperent, admiſcere, & clyſteribus vti, qui vim habent mitigandi illam, & partes nutritioni deſtinatas roborare poſſunt. Nam hæ vel omnium maximè hoc veneno, vt accidentia facilè teſtantur, offenduntur. Delicatè præterea nutrire illum, & cibos concoctu faciles, & multi nutrimenti, vt humiditas naturalis illarum partium reſtauretur, offerre oportet. Quæ copioſius ſanè hic explicarem, niſi bona pars eorum, quæ in libris meis de Venenis, qui propediem, diuina adiuuante gratia, abſoluentur, & cuilibet deinde communicari poterunt, ſcripſi, huc quoque referri poſſet. Remedia aduerſus Antimonium.

FINIS.

NICANDRI ANTIQVISSIMI POETÆ, ET MEDICI THERIACA, IN LATINVM CARMEN REDACTA.

REPTILIVM, quæ dente nocent, ictuq́ue, ferarum
Tum varias formas, tum noxia vulnera, quîs hæ
Incautos perimant homines, illiſque rebelles
Peſtibus antidotos, mihi multos inter amicos,
Quos conſanguineæ iungit vicinia ſtirpis,
Chare Hermeſianax, facili veraceq́ue Muſa,
Et candente libens ac promptus pectore dicam.
Ergo laborantes in ſilua & rure coloni
Te medicum obſeruent; vt ſi qua ibi agentibus illis
Mortiferos rabido dentes inflixerit ore,
Abs te morborum medicamina certa ſuorum,
Quæ prius ipſe meo didiciſti carmine, ſumant.
Fama eſt multiplici variata phalangia forma,
Omneq́ue ſerpentum genus, & quæ cætera turba eſt,
Letale omne fouent, fundunt, ſpirantq́ue venenum,
Anguipedum fuſo prodiſſe cruore Gigantum,
Dum contra ſuperum tollentes arma Tonantem,
Illius trifido tererentur fulmine, ſi iam
Phocaici quondam prope ſacra fluenta receſſus
Non ficta Aſcræus cecinit mendacia vates.
At largos puncti facientem corporis imbres,
Atque vnca inuiſum poſt tergum cuſpide vermem,
Filia Titanis Cæi Latonia diua
Produxit, celeri quando feſtina volatu
Bœotam impeteret quo perderet Orionem,

Quòd puram ille Deæ veſtem ſordente ſit auſus
Attrectare manu: latitans hinc Scorpius illi
Occultas tacitè inſidias mortemque parauit,
Et ſolidam fixo percuſſit acumine plantam.
Cuius lucida nunc, ceu venatoris, imago
Ardua præcincto micat inter ſidera telo.
Quodque venenatum non magno reptile niſu
Omnibus ex ſtabulis, ex quolibet imò cubili,
Seu ſtratum ſit humi, ſeu ſit ſublime, fugâris.
Tunc vbi torrentes Phœbi vitaueris ignes,
Et ſciſſos fugiens per agros tua membra locâris
Congeſtis facto ſtipulis ſub nocte grabato:
Aut denſos quando colles extremáue vallis
Iugera, qua talis reperitur plurima peſtis:
Nempè per vmbroſas ſiluas, per opacaque luſtra,
Aut æquas vbi planities & denſa vepreta,
Quæ primùm ſurgens herbarum fœtus inumbrat,
Tranſieris; ſiccam tunc dorſi exuta ſenectam
Beſtia, ſegne trahit molli ceruice volumen.
Cùm tepido ſub vere ſuum modò liquerit antrum,
Et caliganti malè cernit lumine, ſed cui
Arroſus mox fœniculi ſua robora caulis,
Atque nouum reddit, qualis fuit antè, vigorem,
Noxia ſerpentum redolenti ſpicula thimbra,
Ceruinique graui cornu nidore fugabis.
Et ſic cùm accendens gagatæ quandoque lapillum,
Quem conſumentis non exedit impetus ignis;
Multifidam ſilicem crepitantibus iniice flammis,
Aut imas viridis libanothidos accipe fibras;
Tantundemque acris naſturci: his iunge duobus
Æquali capreæ iam iactum pondere cornu;
Aut exiccantem nares cerebrumque nigellam;
Interdum ſulphur, fœdum quandoque bitumen;

Vt ſumpta æquali pendantur ſingula parte,
Vel tu Threicium flamma ſuccende lapillum,
Qui licet irriguis merſus tamen ardet in vndis,
Expreſſaque ſtatim reſtinguitur vnctus oliua,
Hunc quem fluctiſoni mittunt de littore Ponti,
Qui, rude vulgus, ibi veſcentes carne magiſtri
Paſcendi pecoris ſua poſt armenta ſequuntur.
Prætereà graueolens candentibus indita prunis
Galbana, & ignitum faciens vrtica dolorem,
Dentatiſque cedrum maxillis ſectile lignum,
Omnibus inuiſum ſerpentibus efflat odorem.
Iſtis auxiliis caua luſtra, nigroſque receſſus,
Ac omnes tali purgabis peſte latebras,
Et placido proſtratus humi ſatiabere ſomno.
Sin hæc difficili conſtent non prompta labore,
Atráque nox ſubitis tellurem contegat alis,
Finitiſque operis dulcem tibi fortè quietem,
Vt ſua defeſſis redeat vis artubus, optes.
Tunc iuxta virides ſinuoſi vorticis alueos,
Amnicolam nepetam per obeſas collige ripas,
His ea quando locis naſcatur plurima, namque
Vdis læta labris, & amœno flumine gaudet.
Aut tibi caſta ſalix, pulchro quæ flore renidet,
Præbeat inſtrata ſecurum fronde grabatum.
Sic quoque montanum polium, cuius graue ſpirans
Horret odor, nomenque ſuum quæ debet echidnæ
Herba, & ab Euxina quæ fertur origanus vrbe,
Quæcunque illarum decerpitur obuia, prodeſt.
Quin etiam multo per aprica cacumina flore
Ridens abrotonus, pecoriſque ingrata petitum
Pabula ſerpillum, molli quod paſcitur horto,
Atque ſuas circum radices figit, & hirtis
Expaſſum foliis pendentia brachia fulcit.

Præſtat

Præſtat item exiguam circumluſtrare conyzam,
Viticeasque comas, & ſpinoſas anagyros:
Sic & punicea ſectis ex arbore ramis,
Regaliſque amplis licet haſtæ frondibus vti.
Accipe item innocuo medicantem frigore ſtrumum,
Atque inuiſa pigris Scyra prima æſtate bubulcis,
Quòd tum, ſi paſcens armentum has ederit herbas,
Præcipiti furiet per inhoſpita deuia curſu.
Hac ratione etiam denſi coma pinaſtelli,
Cuius amarus odor longas effertur in auras,
Quæque venenato fugat occurrentia morſu.
Atque hæc ſola tibi ſunt ſubſternenda decenti,
Quod ſtruis in vacuo pernoctans rure, cubili.
Porrò ſuſpectas potes obturare cauernas,
Vt prodire foras timeant, nec ſibila tollant
Colla tibi, ſi cedrinas in fictile baccas
Triueris, huicque tuos tibi cautus inunxeris artus:
Vel graue ſpirantis ſi germina pinaſtelli,
Siccaque, quæ incultis campeſtribus intyba ſurgunt,
Palladio intuderis, facturus vt antè, liquore.
Hoc quoque cana modo tibi ſaluia proderit, & quæ
Multa ferè ſolas radix precioſa Cyrenas
Incolit, & grato medicinam exornat honore.
Cunctarum doctrix etiam experientia rerum
Prodidit, & teſtans non vanum comprobat vſus,
Vulnificus procul infeſto quòd porcus odore
Effuget horrendos cogatque faceſſere dentes.
Quòd ſi rodentes olus & frondentia vermes,
Tetra quibus virides depingunt terga colores,
Vel tenerum florem per agros venientis hibiſci
In medio ſacra de Palladis arbore ſucco
Triueris, hincque tuum colleueris vndique corpus,
Tuta dabis dulci ſecurus membra quieti,

 Nulli-

Nulliusque feræ metues lachrymabile vulnus.
Iniectosque in parua duos mortaria ramos
Nobilis abrotoni non feſſa contere dextra;
Æqualique oboli naſturcia pondere miſce:
Sic quoque ducentis lapidem noua ſemina dauci.
Hincque breues faciens rotulas pallente ſub vmbra,
Quæ tamen admiſſo ſit libera flamine, ſicca.
Quas, poſtquam aruerint, rurſum tere, deinde perunge.
Quandoque in triuiis generandæ dedita proli
Reptilia aſpicere eſt, ſecum coëuntia: quæ ſi
Figlinæ cautè tollens immiſeris ollæ,
Egregium antidotum contra illa venena repones.
Sed ſuperadde bonæ ceruino ex oſſe medullæ,
Vel pinguis, caleat quod adhuc à cæde, cerebri;
Triginta quantum poſſunt ſuſtollere drachmæ,
Quattuor heminas præſtantis odore roſacei;
Cuius facta ſemel, bis, térue expreſſio præſtat:
Splendentiſque olei, crudis quod fluxit oliuis,
Tantundem, & puræ dodrantem his adijce ceræ.
Hæc benè feruenti celer omni concoque vaſe,
Squamea dum liquidi molleſcant membra draconis.
Dehinc fabrefacta tibi mola ſit, qua cuncta terantur,
Turbenturque ſimul, ſed acutas exime ſpinas,
Quandoquidem his atrum ſoleat pendêre venenum:
Hoc ex vnguento tua colline membra, deinde
In quodcunque voles iter, & quodcunque grabatum
Te poteris tuta ſemper conferre ſalute,
Vel cùm ſucciſæ torrenti meſſis in æſtu
Diues ad areæ opus, ſcrutante profunda tridente
Stramina congeſtum cillens inſtrâris aceruum.
Sin his non vncto fortaſſis corpore ſuccis
Acribus aſpidibus ieiuno occurreris ore,
Illud quando malum mortales turbat & angit,

Ad noſtra antidota & mandata, vt triſte venenum
Et letum effugias, cauta citò mente recurre.

PORRO ex vipereo, quod noris, germine peior Vipera
Femina, quæ veluti maiori accenditur ira,
Sic vehemente magis fert noxia vulnera morſu,
Et plus gliſcenti ſe cauda & corpore voluit,
Vnde citatior hac ictos mors occupat artus.
Noxius eſt autem reliquo plus corpore morſus
Obſeruandus, vbi vectori proxima Tauro
Turba, ſubexoriens monſtrarint Pleiades aſtrum:
Siue vbi cum catulis tacitè apricantibus olim
Nil dum paſta ſuis furtim inſidioſa cauernis
Dipſas dormierit, & quando famelica prodit,
Vel ſatiata redit, ne tum, tibi conſulo, ſæuæ
Vllis in triuiis occurreris obuius vnquam,
Cùm durum fugiens morſum igneſcentis echidnæ
Frendit echis, vel vbi feruente libidinis æſtu
Sæuo dente ſui reſecat caput illa mariti.
Aſt vbi poſt vegetam cœperunt pignora vitam,
Iamq́ue propinqua adſunt maturi tempora partus,
Indignam chari mortem vlciſcentia patris,
Eroſa miſeræ naſcuntur matris ab aluo.
Sola etenim viuo grauidatur vipera fœtu,
Mortua cùm reliquum paſſim genus oua reponat,
Squamigerosq́ue greges per inhoſpita teſqua propaget.
Tunc etiam caueas, horrendam quando ſenectam
Exutus ſerpens renouat, ſeu pube reſultat;
Vel quando æripedum timidus fugit ora ferarum,
Mortiferoq́ue hominem petit acriter incitus ore.
Maximè enim longas ducenti corpore ſpiras,
Tunc indignantes cerui, capreæq́ue ſequuntur,
Atque per omnia quæ colit illa cubilia peſtis

Horribili

Horribili accelerant flatu, ſtrepitanteque roncho.

Varia reptilium genera. PRAETEREA *candens niue & aſper vepribus Othrys*
Ruffis reptilibus ſcatet, & caua vallis, & altæ
Ac rigidæ ſalebris rupes, nemoroſaque ſaxa,
Seps. *Quà ſitibundus, & haud vno apparere colore*
Viſus ſeps habitat, ſeps ſemper concolor illi,
Quà ſub foſſa tenet tecta atque cubilia, terræ.
Ex illis quota pars ſaxoſi concaua cliui
Paciferoque Deo congeſtos ſeruat aceruos,
Atque grauem infligit morſis mortalibus ictum.
Nec faciles cuiquam ſine noxa adiguntur aculei,
Imò malum diri fundunt in membra venenum.
Terreſtres alij cochleas ſimilare videntur;
Sunt alij viridi quos pingit ſquama colore,
Oblongumque fabrè vario facit ordine circlum.
Plerique in bibulis quòd delitientur arenis,
Quodam ceu lepræ ſpiras albore ſcabreſcunt.

Aſpis. NVNC *age terribilem ſitientibus aſpida ſquamis,*
Peſtile plus alijs hoc ex grege reptile, noſce,
Formidabile cui corpus, tardumque volumen,
Quandoquidem tranſuerſa via eſt, prolixaque ventris
Spira, veternoſique niuere videntur ocelli.
At ſimulac facili fortè obſeruauerit aure
Vel minimum ſtrepitum, ſegnes è corpore ſomnos
Excutit, & teretem ſinuat mox aſpera tractum,
Horrendumque caput, porrectaque pectora tollit,
Tam procera, extenſa queunt quàm brachia duci.
Tantaque craſſities eſt, quantum miſſile telum,
Quod faciens haſtas docta faber expolit arte;
Pro trucium horriſona taurorum, & cæde leonum.
Squalidus interdum color albet, ſæpè virenti

Cum

Cum maculis, ſæpè eſt cineres imitante figura.
Nonnunquam ardenti veluti ſuccenditur igne,
Idque nigra Æthiopum ſub terra, quale refuſus
Nilus ſæpè lutum vicinum in Nerea voluit.
Præterea gemmæ, calle inſtar, fronte caruncle
Hærent, ſanguineis ſcintillant lumina flammis,
Turgida ſqualet item ceruix; graue ſibilat ipſa
Beſtia, dum certam vomit ira concita mortem.
Quatuor hinc intra maxillæ concaua dentes
Radices fixere ſuas, quos iuncta quibuſdam
Pelliculis tunica obducit, triſte vnde venenum
Effundit, ſi fortè ſuo hæc approximet hoſti.
Nec tamen vlla vides impreſſi vulnera morſus,
Nec dignus fatu tumor ictum corpus adurit:
Sed qui læſus homo eſt, citra omnem fata laborem
Claudit, & ignauo moriens torpore fatiſcit.
Solus eam potis eſt Ichneumon vincere peſtem,
Cùm graue cautus ei bellum parat, editáque oua,
Quæ ſouet in multorum hominum inſuperabile lethum,
Omnia fracta terit, mordacéque dente laceſſit.

TALE autem Ichneumon animal, velut acrior ictis — Ichneumō quale animal.
Quæ cicures alta prendit ſub nocte volucres,
Qua ſtruxere ſuum ſupra tabulata cubile,
Et paruam abſcondunt ſobolem fotricibus alis.
Aſt vbi Niliacos inter decernere iuncos
Cum feruente ſuis de moribus aſpide tentat,
Altas continuò ſeſe demittit in vndas,
Submerſóque petit limoſum corpore fundum,
Et ſua defœdat contacto tergora cœno,
Dum rapido villum deſiccet Sirius æſtu,
Atque paret rigidos facienda ad vulnera dentes.
Tunc prætendentis linguam, horribiliſque colubri

Impetit

Impetit aduerſum caput acri mordicus ore,
Aut vlgoſa trahit deprenſa in flumina cauda.

Vipera.

HIC *quoque vipeream, quæ cernit acuta, figuram*
Aſpicias, vt non vno ſe corpore prodat,
Et nunc hæc longum, paruum trahat illa volumen,
Ne pare conſimiles forma ſit vbique dracones
Cernere, nam gignit noſtra hæc Europa minores.
Tum qui molle ſupra prætendat cornua guttur,
Et quodam candore micent. alij ad ſcopuloſos
Scironis montes, alta & Pannonia, & ipſum
Riphæum, & dictum corui cognomine pagum,
Et canentem habitant Aſelenum; quin & alumna
Fert Aſia vltra tres longis qui tractibus vlnas
Se tendant, rigidum quales Bucarteron, atque
Arduus Ægagees, & celſus Cercaphus intra
Se multos refouet, quorum ſatis ampla pateſcunt
In latum capita, & ſummæ circa vltima ſpiræ,
Femina ponè trahit ceu mancam vipera caudam
Perpetuò duris horrentem tergora ſquamis,
Et per opaca pigrum raptat dumeta volumen.
Ipſe ſed acre caput mas fert prolixior illa
Quandoque & quandoque minor, ſed non ita lato
Ventre patet, mutila eſt ſimiliſque per omnia cauda:
Prolixi ſemper tractus, ſimiles quoque ſquamæ.
Atqui irritato quoties excanduit ira,
Sanguineo facies oculíque rubore coruſcant,
Diffiſáque micans celer incriſpantéque lingua
Obliquam ſinuat poſtremo in corpore caudam.
Hinc miſeras faciens iter edit turba querelas
Accepto ex morſu, geminos, nerui inſtar, acutos,
Triſte quibus virus iacit, ipſe, at femina plures
Ore ſuo dentes habet: hos perpendere latos

Icta ex

Icta ex carne licet, porrò ipſo ex vulnere quædam
It ſanies, quæ nunc pinguis, nunc eſſe cruenta
Cernitur, & nullum præfert quandoque colorem,
Sed quæ circundat plagam caro, turgida moles
Tollitur, interdum rubicunda, ac palma videtur
Liuida, nonnunquam quodam velut hydrope gliſcit;
Præterea quales ambuſto in corpore bullæ
Exteriore ſolent ſummatim emergere pelle.
Inde ſubexoriens plagam & vicina, putredo
Occupat, & triſtem ciet in præcordia mortem:
Aſpera quandoquidem vehementer, & ignea noxa
Totum corpus edit, miſeræ arcto ex gutture voces
Perſtrepitant, cæcaque caput vertigine nutat;
Multaque debilitas membra, anxietasque fatigat,
Et grauis oppreſſum vexat caligo cerebrum.
Arida faux, ſæpe extremos it frigus in vngues,
Atque hyberna ſtatim cadit omnes grando per artus:
Crebri etiam bilis vomitus, fit pallidus æger,
Atque imitante niues circum ſudore madeſcit.
Plumbeus eſt aliquando color, quandoque nigreſcit,
Fuſilis interdum ſimilatur floribus æris.

NVNC *potes aſtutum inſidiatoremque ceraſtem* Ceraſtes.
Noſcere, vipereum veluti genus; huic quia diſpar
Non is corpus habet, ſed quatuor aut duo profert
Cornua, cùm mutila videatur vipera fronte.
Squalidus albenti color eſt, bibulis ſub arenis,
Vel qua facta rotis via longa ſub ſcrobe dormit.
Ex ijs alter echis velocibus obuia ſpinis,
Recto terga tibi prolixus tramite ducit,
Sed medio diffuſius hic ſe corpore voluit
Curuum errans per iter reſonantibus aſpera ſquamis.
Qualiter æquoreo longiſſima gurgite nauis,

Quam

Quam violentus agit nunc huc, nunc Aphritus illuc,
Pellitur, & laterum gemebunda fragore ſuorum
Extra ſulcandas ſinuoſè fluctuat vndas.
Is ſi fortè grauem ſerpens impreſſerit ictum,
Fit ſimilis clauo tumor, obſcuræque leuantur
Puſtulæ, & afflicta non magnum parte dolorem
Exagitant; verùm triſtis magis inguina tentat,
Atque ambos poplites labor, & pallente colore
Exanimis fractiſque fatiſcens viribus æger
Conſpicitur, ter treſque dies ſuperùm æthera cernit,
Raroque conceptam fugit hoc ex vulnere mortem.

Hemorrhois.

QVI *noſcenda ſit hic ſerpens Hemorrhoïs audi:*
Rimoſas colit illa petras, ſibique aſpera tecta
Et modicè pendens facit inflexumque cubile.
Vnum longa pedem, totoque gracillima tractu,
Ignea quandoque eſt, quandoque eſt candida forma,
Conſtrictumque ſatis collum, & tenuiſſima cauda.
Bina ſuper gelidos oculos frons cornua profert,
Splendentum quadam radiorum albentia luce,
Silueſtres vt apes populatriceſque locuſtæ.
Inſuper horribile ac aſprum caput horret, & inſtar
Ipſius obliquè ſua paruula terga ceraſtæ
Claudicat: ex medio videas appellere dorſo
Paruum nauigium, terit imam lubrica terram
Aluus, & haud alio tacitè trahit ilia motu.
Ac per arundineum ſi tranſeat illa grabatum,
Protinus horrendos vbi mordens intulit ictus,
Decolor accurrit ſpecies, quædamque nigredo,
Anxia corda dolent, gelidæ ſitis ingruit vndæ.
Quin & ſanguinei prima ſub nocte fluores
Ipſis proſiliunt è naribus, auribus, ore,
Veſicaque ſimul, quæ ſunt in corpore plagæ,

Rumpun-

Rumpuntur, quadamq́ue cutis fuligine marcet.
Ergo caue, imprimisq́ue ſuum ne femina virus
Inuomat: hæc quoniam diro quem preſſerit ore,
Ignitas queritur gingiuas, atque per ipſos
Erumpens vngues miro fluit impete ſanguis,
Et malè olente madent fœdi putredine dentes.
Quondam animoſa Helene cygni Iouis inclyta proles,
Euerſa rediens Troia (niſi vana vetuſtas)
Huic indignata eſt generi, Pharias vt ad oras
Venit, & aduerſi declinans flamina venti,
Fluctiuagam ſtatuit iuxta Nili oſtia claſſem.
Namque vbi nauclerus ſe feſſum forte Canobus
Sterneret, & bibulis fuſus dormiret arenis,
Læſa venenoſos hemorrhoïs impulit ictus,
Illætamq́ue tulit letali dente quietem.
Protinus ouiparæ cernens id filia Ledæ,
Oppreſſæ medium ſerpenti feruida dorſum
Infregit, tritæq́ue excuſſit vincula ſpinæ.
Quæ fragili illius ſic dempta è corpore fugit,
Et graciles hemorrhoï obliquiq́ue ceraſtæ
Ex hoc clauda trahunt iam ſoli tempore membra.

IAM *quæ Sepedonis ſpecies ſit, qualeq́ue corpus,* Sepedon.
Accipe: diuerſa tractum ratione figurat.
Quinetiam mutilæ nulla inſunt cornua fronti,
Et color, hirſuti qualem eſt ſpectare tapetis,
Grande caput, breuior, dum currit, cauda videtur:
Quam tamen obliquo maiorem tramite ducit.
Quod fit ab hoc vulnus, magnos nocuosq́ue dolores
Excitat, interimens quia fundit & ipſe venenum,
Quo ſata marcentes tabes depaſcitur artus,
Indeq́ue ſiccata reſolutus pelle capillus
Spargitur, & volitans candentis puppus achantæ.

Prætereà fœdum turpi vitiligine corpus,
Et veluti vrenti maculas à Sole videre eſt.

Dipſas. EXIGVAE *ſimilis ſpectatur dipſas echidnæ,*
Sed feſtina magis mors ictus occupat ægros.
Parua & lurida cui circa vltima, cauda nigreſcit.
Quem ferit, accenſo miſeras is corde querelas
Fundit, & arenti ſitibundus fauce dehiſcit,
Quæſitiſque, velut taurus, ſuperincubat vndis,
Immenſoque replet, ſed fruſtrà, viſcera potu,
Dum crepet intenſus rupto mox ſumine venter.
Peruetus eſt iuuenum & narratur fabula, quòd, cùm
Maximus æthercam cepiſſet Iupiter arcem,
Diuiſo in fratres maris, & quòd Tartara, regno,
Contulit æternam mortalibus inde iuuentam,
Vt dignum meritis impertiretur honorem:
Iam quoniam ſupero ſurreptæ ex æthere flammæ,
Prædonem amentes odere Promethea, quòd non
Ipſos perpetuum virides feciſſet in æuum.
At nihil hoc illis diuinum & nobile munus
Profuit à facili iam ſuſcepiſſe Tonante,
Quandoquidem pigro feſſi tandem illud aſello
Impoſuere, grauis qui mox ſub pondere doni,
Arida dum tentat vicino guttura fonte
Colluere, aſpecto ſubitò ſerpente ſtupeſcit,
Vtque ſibi tutum velit is concedere potum,
Supplicat: ille bonum fore ſe reſpondet, at iſta
Conditione, ſuo ſi det quæ pondera dorſo
Baiulet. inſipiens (ſuaſit ſitis) annuit ille.
Hinc eſt quòd veterem ſerpentes corpore pellem
Abijciant, & quoque noui reparentur in anno,
Infelix hominum genus, omni ex parte, ſequenti
Perpetuò ſenio, certoque ſub infera fato,

Ipſeque

Ipſéque ſic ſerpens, velut antè accenſus aſellus,
Ferueat, & peiore hominem clam vulnere lædat.

NVNC *mea Cherſydrum facili dic carmine Muſa,* Cherſydrus
Qui pare productu ſimilantíque aſpida vultu
Exprimit, ac viridis celeberrimus incola ſtagni
Infeſtum ranis odium, non mollésque bellum
Infert, ac ſiccis vbi deſinit vnda lacunis,
Egreſſus terra ſe continet, hic ſua membra
Squalidus informiſque fouet feruente ſub æſtu,
Intritiſque viis afflante atrociter ore
Exedit arentes, quos fecerat orbita, ſulcos.
Peſſima quas fecit plagas hic ſigna ſequuntur,
Arida tota cutis circum putret, horribilemque
Eleuat aſpectum: magni ignitique dolores
Tandem hominem interimunt: mox plurima puſtula ſurgit,
Ac aliæ ex alia bullæ ſe parte refundunt,
Et miſerum diris turbant affectibus ægrum.
Poſt hunc exiguam tibi ſubdimus amphisbænam, Amphisbæna.
Duplice conſpicuam (monſtrum mirabile) vultu;
Cuius perpetua cæcum caligine lumen,
Quod latas vtrumque genas porrectáque menta
Plus alijs alto ſerpentibus aggere tendat.
Terreus eſt illi color, & denſiſſima pellis,
Plurima quam variè diſtinctam ſigna figurant.
Hæc vbi iam creuit, cædentes ligna coloni
Sectam deglabrant oleaſtri ex arbore virgam,
Quale pedum, ſtrictiſque prehenſi pellibus anguis
Inſertam obuoluunt, quas certis deinde diebus
Exarere ſinunt cantantes ante cicadas.
Vtilis hic baculus frigentibus artubus eſſe
Fertur, vbi exanimis digitos torpedo fatigat.
Tunc quia conſtrictos, & eorum vincula, neruos

Calſacit, immiſſo ſouet extenditq́ue calore.

Scytala. BIFRONTI *ſimilem reperis Scytalam Amphisbænæ;*
Pinguior eſt tamen, & cauda, quæ nulla ferè exit,
Craſſior, vt quantum ſolita eſt comprendere lignum,
Curua manus ſtrictum quoties tenet ipſa ligonem.
Tam prolixa, vagans pluuio quàm reptile cælo,
Quod fœcunda genus ſua gignit viſcera tellus.
Ne poſtquam iuuenis venienti tempore veris,
Magna Deûm quando profert ſerpentia mater,
Liquerit obſcuram conſueta cubilia petram,
Et nitidos tepido ſub Sole extriuerit artus,
Pandentes ſe fœniculi teneram exedit herbam;
Sed per opaca morans imi decliuia montis
Se tenet, & multo grauiter latet obruta ſomno,
Eq́ue alta ſua conquirit ſibi pabula terra:
Nec licet id magno cupiat ſtudeatq́ue labore,
Areſcente ſitim potis eſt depellere ſauce.

Baſiliſcus. NVNC *modicum, at dominum ſerpentum perſpice re-(gem.*
Eminet argutum caput, eſt flauo ipſe colore,
Et tribus extenſo porrectus corpore palmis.
Illius auditos expectant nulla ſuſurros,
Quantumuis magnas ſinuent animalia ſpiras,
Quando vel in paſtum, vel opacæ deuia ſiluæ,
Irriguóſue locos mediæ ſub luce diei
Excandeſcenti ſuccenſa furore feruntur,
Sed turpi conuerſa fugæ dant terga retrorſum.
Quod ferit hic, multo corpus ſuccenditur igne;
A membris reſoluta ſuis caro defluit, & fit
Lurida, & obſcuro nigreſcit opaca colore.
Nullæ etiam volucres, quæ fœda cadauera paſcunt,

Sic

Sic occiſum hominem tangunt, vt vultur, & omnes
Huic ſimiles aliæ, pluuiæ quoque nuntius auræ
Coruus, nec quæcunque feræ per deuia luſtra
Degunt, è tali capiunt ſibi pabula carne.
Tam teter vacuas odor hinc exhalat in auras,
Atque propinquantes penetrant non ſegniter artus:
Sin cogente fame veniens approximet ales,
Triſtia fata refert, certamq́ue ex aëre mortem.

DICENDVM *facili Dryinam nunc accipe mente:* Dryinas.
Hydrum etiam quidam, quidam dixêre Chelydrum.
Ille cauas habitat quercus, alibi quoque fagos.
Poſthabitisq́ue algis, dulciq́ue palude, lacuq́ue
Quadrupedes ranas, graciles q́ue moluridas haurit.
Hunc ſi infeſta myops odioſa animalibus ales
Impetat, exeſæ celeri impete robora quercus
Inſilit, hîc imo conſtructo in ceſpite nido.
Candidus eſt tergi color, eſt æqualis & hydro
In capite aſpectus, grauis itq́ue à corpore fœtor,
Qualem dant madidæ, corij præſegmina, ſordes,
Quas tereti radunt ab equino tergore ferro.
Quòd ſi cui prenſum Dryinas talúmue pedémue
Læſerit, à toto ſe ſpargens corpore fertur
Triſtis odor, ſurguntq́ue nigri, qua plaga, tumores;
Mœſtaq́ue triſtitia & lacrymabilis opprimit angor
Comprenſam morſi quadam caligine mentem,
Et periens nimio flacceſcit forma dolore:
Vſque adeò paſcens abſumit membra venenum.
Quin etiam obfuſcans obducit lumina nubes,
Et miſerè affectum perdit letaliter ægrum.
Sunt etiam, eiuſdem qui morſi dentibus anguis
Inſtar balantum ſoleant clamare caprarum
Siue ouium, & grauibus torti cruciatibus angi.

Pallidus vrinæ liquor it, torpenſque veternus
Ingruit, & crebris quaſſi ſingultibus ægri
Nunc ſimilem felli vomitum, nunc ſanguinolentum
Eijciunt, ipſumque malum facit arida labra,
Poſtremoque grauem fundit per membra tremorem.

Draco. NVNC *viridem & nigrum poſt dicta venena dracoñ*
Aſpice, quem patula fago Phœbeïa proles
In gelido Peli nutriuit culmine iuxta
Læta Pelethroniæ quondam decliuia vallis.
Formoſa apparet ſpecies, pulchro illius ore
Triplice conſpicui ſe produnt ordine dentes,
Magna ſub egregia ſcintillant lumina fronte,
Tinctaque felle tegunt imum palearia mentum.
Nec tamen ille graues, vt cætera turba, dolores,
Si velit, infixo cùm fortè momorderit ore,
Suſcitat: exiguus non noxia vulnera punctus
(Qui ceu rodentis noctu quæque obuia muris)
Infligit, modicum tenuis dat plaga cruorem.
Hunc petit inuiſum magni Iouis armiger hoſtem,
Cumque genis parat acre ſuis ex æthere bellum:
Paſcentem in ſiluis quamprimùm viderit illum,
Quòd totos ferus is nidos cum mitibus ouis,
Et ſimul ipſa terens & vaſtans pignora perdat.
Non timet hoc ſerpens, imò quodam impete dumis
Proſiliens, ipſamque aquilam, leporemque tenellum
Extrahit ex rapidis vi fraudeque fortior vncis.
Cauta malum declinat auis. fit ibi aſpera pugna,
Vt queat extortam victor ſibi tollere prædam.
Sed fruſtra elapſam & volitantem hinc inde volucrem
Inſequitur, longos ſinuum contractus in orbes,
Obliquoque leuans ſurſum ſua lumina viſu.

SIN

SIN nimboſa Samus petitur vel Lemnia tellus,
(Vtraque Threïcios propè conſpicit inſula fines)
Quâ procul alta patet Diuæ Rheſcynthidos ædes,
Clarus vbi eſt Hebrus, notæque niualia Zonæ
Culmina, & Oeagridæ quercus Zerinthiaque antra;
Prolixam inuenies inamabile Cenchrida monſtrum, Cenchris.
Quem varijs pictum ſquamis dixêre leonem.
Non ſtata craſſities, eadem nec ſpira videtur.
Quam facit hæc plagam, nulla medicabilis arte
Tabes inſequitur, quæ diro membra veneno
Exedit, ac turgens cruciatum ſuſcitat hydrops,
Donec is effracta prope ſumen parte reſidat.
Atqui cùm rapidis ferueſcens Solibus æſtus
Ardet, in horrida ſe ſiluarum deuia confert,
Imbelleſque rapax venatur prædo bidentes,
Percelſiue Saiiuga, frondoſiue Meſychli,
Sub viridis quando frigentibus abietis vmbris
Securi recubant, grege circum errante, magiſtri.
Hic caue, quantumuis fortis videaris & audax,
Hoc aduerſus eas vel tentes prælia monſtrum,
In te peſtiferas ne flammas ſpiret hiatu,
Atque tuum implicita corpus liget vndique cauda,
Et bibat exſuctum per vtrimque ſoluta cruorem
Clauſtra; procul fugito non recto tramite, verùm
Obliquum per iter, cita quò veſtigia frangas:
Lædit enim curuo per ſpinas tergora flexu,
Cùm celeres aliâs recto ferat impete curſus.
Talis Threïcio ſeruat ſe beſtia tractu.

HIC etiam inſidians inuiſos Stellio morſus Stellio.
Incutit. Hanc illi fertur tribuiſſe figuram
Mæſta Ceres, pueri mutato corpore, iuxta
Callichorum puteum, Celæis quando Terapnis

Nobilis hoſpitio Diuam Metanira recepit.

Plura alia reptilia.

PLVRES *reptilium, quæ non ita noxia, formæ*
Per denſas habitant ſiluas, per opacaque luſtra,
Quos Elopes Lybiasque coronatosque myagros
Dicunt; ſunt iaculis inſignes, ſuntque moluri.
Sunt cæcique alij, ſed neſcia lædere turba.
Ad quorum inflictas propulſatoria plagas
Radices, herbas, folia; & quo tempore velli
Atque legi præſtet, referam; quibus ipſe medelis
Vſus præcipiti poſſis ſuccurrere morbo.
Vt virides carpas, opus eſt tibi, ſedulus herbas,
Dum noua ſtillat adhuc quaſi primo plaga cruore.
Præſtantiſſimum id eſt fieri, quo pabula tractu
Per frondoſa vagi quærunt vmbracula cnopes.

Varia antidota cõtra venenatos morſus.

ERGO *ſalutarem primùm tibi conuenit herbam*
Vellere, idem cum Centauro cognomen habentem:
Quam gelido Chiron in Peli vertice quondam
Prendit: amaracino folio ſimilis coma ſurgit,
Aureus eſt flori vultus, non altaque radix.
Vult ſilueſtre ſolum, quo plurima naſcitur herba:
Hanc tu vel viridem vel ſiccam contere, deinde
Nobilis hemina permiſce atque accipe vini.
Cuilibet hæc homini menſura ſat eſſe videtur.
Sunt qui & hanc alio Penaceum nomine dicunt.
Optima poſt partum valet hic & ariſtolochia,
Vmbroſa quæ gaudet humo, ſimilesque ſequaci
Periclymenoque hederæque comas, floresque rubentes
Exhibet, vnde grauem fundens exhalat odorem.
Naſcentem in medio cernes pyri imagine fructum:
Atque rotunda patet, quodam ſed acumine radix
Femellæ, prolixa mari, ſimiliique colore

Horicio eſt buxo; quam contra triſtis echidnæ
Letiferos morſus præſens exquire leuamen.
Vnius hinc drachmæ pondus nigro inde Lyæo,
Et bibe, non iſtos modicum conducit ad ictus.
A tribus hinc dictam folijs ſi ſumpſeris herbam,
Non leue præſidium contra illa venena paráris,
Siue alto hanc in monte, vel ima valle prehendas.
Sunt & qui minyanthes eam, ſunt qui tripetelon
Appellant: qualis loto eſt, apparet imago,
Et ſimilem rutæ, donec viget, edit odorem.
At flores vbi magna ſuos, adnatáque membra
Cœperit, ingratum ſolet eructare bitumen.
Collectum illius ſume & bene contere ſemen,
Appoſiti quantum breue vas comprendit aceti,
Atque bonum aduerſus ſerpentes ebibe potum.
Nunc age, mixta tibi tales pellentia morbos
Antidota expediam, faciliq́ue docebo Minerua.
Trinacriam Thapſi radicem velle ſalubrem,
Atque albo caſtum miſce de vitice ſemen,
Nerim item, & latè ſpargentem germina rutam,
Thymbræasq́ue comas, ſed eas quæ propter odorum
Serpillum veniunt: & dictæ à regibus haſtæ
Vel caulem, vel radicem, vel ſemina ſume,
Helxinenq́ue, alio Clybatim quam nomine dicunt,
Vdis gaudentem ſemper natalibus, & quæ
Per diuerſa ſuos protrudit brachia flores.
Has omnes, prius in cotylam ſi trieueris, herbas
Ebibe, commixto tamen his vino vel aceto:
Si neutrum adfuerit, puram cape fluminis vndam.
Inde bonam obſerua radicem nobilis herbæ,
Cui dedit æternum Alcibiusq́ue & vipera nomen,
Spinoſis ſemper folijs, ſimilanteq́ue flore
Purpureas violas: facilis fibroſáque radix,

Altiùs omniparæ ſcrutatur viſcera matris.
Extremum Alcibij mordens percuſſerat inguen
Vipera, quando cauo dormiret fortè ſub antro
Egeſtæ areæ, ab hac medica vi peſte reuixit.
Atque hoc contigit id pacto, pungente dolore
Iam vigil ille ſtatim viſam prope proruit herbam.
Mandit & exſuxit radicem, ſemina verò,
Et ſiliquas caulemq́ue dolens obleuit in vlcus.
Præterea cæſa potes vti fronde virentis
Marrubi hoc contra vino ſplendente venenum.
Quæ ſolet enixæ lac herba augere iuuencæ,
Et facere, vt, pulſæ prius, offerat vbera, proli.
Quamq́ue meliſtænam paſtores, & meliphyllon
Appellant, dulci quòd apes delectet odore,
Quæ magno denſæ circum hanc ſtridore ſuſurrant.
Quin etiam hanc ad opem tenuis membranula prodeſt,
Quam cerebro gallina ſuo gerit, interdumq́ue
Pſegma, polycnemonq́ue & origanon accipe, ſiue
Aprinum derade iecur, quod concaua menſa,
Acreq́ue fel, & porta cibi eſt. hanc contere pellem,
Tuſaq́ue commixto ſimul hæc cuncta offer aceto:
At melius foret hæc facienda ad pocula vinum.
Accipe item æterna viridantem fronde cupreſſum,
Vel panaces, vel fibrino ſectum inguine teſtem,
Seu fluuialis equi, ſuper atram quem Sain edit,
Atque malum plenos meſſorem immittit in agros
Niliacus vortex, fluctu ſiquidem ille relicto,
Cùm iam nata ſeges, ſurgentem demetit herbam,
Et tantum illius ſpacium præſcribit & ambit,
Retrogrado quantum potis eſt depaſcere tractu.
Illa cauo tere vaſe ſimul pare pondere drachmæ,
Et ſuper infuſæ quod ſat ſit conijce lymphæ.
Nec pulchri abrotoni, aut ſacræ obliuiſcere lauri,

Quas gerit hæc baccas, his mollis amaracus addi
Debet, in irriguo quæ gaudet amœnior horto,
Et teneri leporis, ſimilisq́ue coagula fœtus,
Qualis capreolus preſſansq́ue graue hinnulus vber,
Pingueq́ue ceruinum, quo cingit viſcera, rete.
Ex his accipiens bis drachmæ pondera rebus
Quattuor in cyathos antiqui deijce vini.
Nec veteris medicina cedri te iuniperiq́ue
Clam ſit, quasq́ue gerit pilulas vmbratilis arbor,
Aptaq́ue ad attegias platanus, quibus addita dicti
Semina bipleuri, iuxtà Ideæq́ue cupreſſi:
Omnia quandoquidem certæ ſunt illa medelæ,
Inflictosq́ue abigunt ſerpentum dente dolores.
Nunc aliud leti effugium, contraq́ue malignos
Antidotum morſus facili cape ſerius aure.
Inquiſitam igitur tere pulybatæan, & inde
Heminam ptiſanæ ſuperadde, duosq́ue vetuſti
Mox cyathos vini, preſſiq́ue liquoris oliua
Aequalem partem: quæ ſic commixta medela
Tale tibi euellet ſecuro è pectore virus.
Bis cape quinque picis drachmas mediamq́ue medullam
Iunge huic frondentis ferulæ, vel equeſtris opimam
Feniculi radicem & ſemina, cumq́ue cedrinis
Baccis algoſas apij naſcentis ad vndas,
Et quod cornipedum nomen ſibi cepit equorum
Prægnantem vmbellam, & drachmarum pondo duarum
Acribus è myrrhæ lachrymis, ſummiq́ue cymini,
Decerptum certo diſpendens pondere fructum.
Cuius tres cyathos vino medicaminis hauri,
Vipereumq́ue caput, quæq́ue hinc ſunt damna repelles.
Vnius egregiam drachmæ accipe pondere nardum,
Et miſce octipedem fluuij ſine tergore cancrum,
Lacte recens mulſo, redolentemq́ue irida tunde,

T 5 *Quam*

Quam Naron, vel amœna fugacis ripa Drilonis
Nutriuit, qua Sidonius cum coniuge Cadmus
Harmonia, egreſſus ſua tecta, nouam aduena ſedem
Quæſijt, inque duos verſi ſunt ambo dracones.
Quin & florentem & diffuſi floris erycem
Accipe, paſcentis gratas examinis eſcas,
Ac ſterilem æternæ fruticem tamaricis, honorum
Viuentum vatem, per quem Corypeus Apollo
Conſcia venturi fieri præſagia iuſſit,
Atque gubernandi populi pia iura ſacrauit.
His etiam viridis plantam coniunge conyzæ,
Et virgas ſambuce tuas, & florida grati
Brachia ſamſuchi, cytiſum & vegetas thymalides,
Omnia ſumpta ſuo, quod ſat ſit, pondere tunde,
Atque boni heminam, vel plus infunde Lyæi.
Prende coaxantes etiam prope flumina ranas,
Nempe minutarum patres, quorum optima turba eſt:
Siue ipſos coctos, ſeu pinguia iuſcula ſumas.
Vipereum ſimili iocinus ratione iuuabit,
Si ſchedio mixtum vino potaueris: imò
Vtile & eiuſdem caput eſt ſerpentis, vbi ſit
Sumitur à læſis viroſo dente puellis.
Nec nitidos heliochryſi tu deſere flores,
Et clauſis foliis noſcendam corcoron herbam,
Omnigenisque malis dictam prodeſſe conilam,
Quam vocat Herculeam quoque vulgus origanon, adde:
Et quædam eſt, aſini folium quæ dicitur, herba:
Hanc ipſumque ſimul tere origanon, atque rotundum
Ex thymbra fructum (florentem intellige ſpicam)
Certa mali hæc etenim ſunt propugnacula morbi.
Præterea ſimili quam parua papauera vultu
Aſſimilare vides, rhamnum cape rore madentem,
Circa quam niueos eſt ſemper cernere flores:

Quamque

Quamq́ue alio quidam philetærim nomine dicunt;
Qui Gygæa colunt monimenta altumq́ue Tymolum,
Denſaq́ue Parthenij iuga, celſi vbi paſcua Cleſi
Errantes carpunt per amœna vireta caballi,
Ipſéque collecto caput effert amne Caïſter.

NVNC *medicas age radices, quæ triſte venenum*
Expellunt, mordens quod fudit beſtia, dicam:
Atque duo hic echia vide, quorum alterum inhorret
Spinoſo anchuſæ folio, paruaq́ue prehendit
Nutricem radice ſuam: ſublimior exit
Alterius caulis, quem circa eſt purpureus flos:
Viperea germen ſpecie, durumq́ue cacumen
Monſtrat; ab hoc vtroque reſectam contere partem:
In facto ex ligno vel ſaxo vaſe iuuabit.
Horridi item eryngi, ſimul & medicantis acanthi,
Ipſiusq́ue imis quæ montibus hæret, erini
(Æmula riparum quam Romulus ocmia dicit)
Tritas æquali radices pondere ſume.
Sic graue montanæ eucnemi nemus, & Nemeæi
Semen api, æternum foliis quod ſeruat honorem,
Et grati anneſi duplex his adijce pondus;
Atque hæc mixta ſuo ritè & bene confice vaſe,
Vt vel viperei contra mala vulnera dentis,
Aut vncam caudam, vel dira phalangia, certum
Condas antidotum: cuius, ſi fortè miniſtres,
Tres obolos ſuaui commiſcens porrige vino.
Perpendenda etiam varij medicina leonis,
Montanæ & radios imitantis floribus herbæ.
Illius eſſe duas ſpecies cognoſce: prioris
Aſſimilis Scolymo quadam caligine forma
Atque rotunda effuſa iubo eſt: denſa aurea radix
Aprica effugiens loca, opacis naſcitur vmbris.

Aſperius

Aſperius folium, ſed nullum habet altera caulem,
Imò humili medium floris caput horret echino,
Alba intus radix referenti mella ſapore.
Vitandus niger eſt, tacitum fouet ille venenum:
Mixti autem lympha drachmam potaueris albi,
Alteram ab Alcibio dictam cape prouidus herbam,
Prendenti quantum poteris conſtringere dextra,
Commixtoque mero factum celer ebibe potum.
Repperit hanc olim quidam venator, vt aiunt,
Quando Phalacræis ſcopulis Crymnæa per arua,
Et per amœna Graſi clamoſus Equique vireta,
Exhortante canum latratus voce cieret.
Hic viridi in ſilua celeris veſtigia capræ
Sectans, in madidum prope lumina vertagus hirquum
Vipereis triſtem ſuſcepit dentibus ictum.
Ergo procul querulo & morſum teſtante latratu
Hærentem à ſeſe ſerpentem excuſſit, & inde
Huius morſa ſtatim folia herbæ glutijt, & ſic
Horribilem interitum tali medicamine fugit.
Et viridem librum pinguis deglube ricini,
Quem ſimul aſperuli miſce folijs apiaſtri:
Vel ſua debentem ſoli cognomina ramum,
Hæc ad eum quoniam ſemper conuertitur herba,
Aſſimilanti oleam folij aſpicienda figura:
Sicque caui radix cotyledonis vtilis atris
Vlceribus, ſi cui fidit imam pernio calcem,
Atque virens pirethrum, meſſa & Scolopendria prodeſt.
Quin Phlegyæum etiam Panaces cape, clara quod olim
Phœbi progenies ad cærula flumina carpſit,
Præluſtri ex Iphicle ſatum curans Iolaum,
Herculei quando comes adiutorque laboris
Lernæam domuit victoribus ignibus hydram.
Et teneram felem, venatricemue parentem

Illius accipiens ambuſtos extere crines,
Et quæ fœda latent diſſecto viſcera ventre,
Exime, & aſperſam ſale dehinc & ſulphure carnem
Exicca in patula ſecluſis Solibus vmbra.
Atque vbi te triſtis fortuna coëgerit, inde
Sume quotam & reſeca minima in corpuſcula partem,
Quale ſolet ſilphi fruſtum vel lacteus orbis
Incidi, hæc præſens, ſi qua eſt, præſtansque medela,
Cuncta ſimul vincet mala tali inflicta veneno.
Nunc Neptunia quo valeat teſtudo vigore,
Accipe, certa quidem hæc ſemper tutela probatur:
Contra ſe longis voluentes tractibus angues,
Quantocunque etiam, & quàm multo vulnere lædant.
Hanc vbi verſati piſcator in arida Ponti
Traxerit, infixo reſupinam interfice cultro,
Atque nouo figuli fuſum excipe vaſa cruorem,
Tum quæ ſubſidunt imo liuentia fundo
Humida defæca; ſiccati deinde capeſſe
Sanguinis, æquata quantum ſecta vncia lance
Eleuat, agreſtis cui dimidium adde cymini,
Cuius quartam æquent leporina coagula partem.
Ex toto hanc vnam paſtillo demito drachmam,
Inque bono dato, ſi quem læſit beſtia, vino,
Atque hæc aduerſus ſerpentes eſto medela.

DIRA venena dehinc nocuit perpende Phalangis, Phalangia
Quæque malos ictus illius ſigna ſequuntur.
Splendidus hic primus Rox eſt nigrante colore,
Et multis pedibus, ſepta ore & dentibus aluus.
Quem ferit hic, nullam perfert in corpore plagam;
Aſt ima tacitè ruffeſcunt lumina parte,
Horrida frigiditas penetratos occupat artus,
Mutatusque color, reſolutaque membra deorſum

Denutant,

Denutant, flacco langueſcunt inguina peni,
Egelidíque labant luxato poplite lumbi.

Aſterion. ISTIS *Aſterion ſignis agnoſce ſecundum:*
In ſummo apparent quædam quaſi pinguia dorſo,
Atque nitens varium depingit virgula corpus.
Percuſſum hoc hominem ſubitus cum flatibus horror
Aggreditur, grauidum languet torpore cerebrum,
Laſſáque præcipuè genuum compago fathiſcit.

Cyaneum. CAERVLEVM *genus eſt aliud ſublime piloſum,*
Hirſutáque ſui lanugine corporis horret.
Difficilem hoc infert labefactis artubus ictum;
Debile cor multo tremit & languore grauatur,
Et circumfuſa caligant tempora nocte.
Lubricus & tenui, quam texit aranea, telæ
Aſſimilis vomitus ſubit; hinc lacrymabile fatum.

Agroſtes. HINC *alia Agroſtes ſpecies diſtinguitur, vt qui*
Cernitur eſſe lupo ſimilis, qui mollia texit
Retia, & his muſcas, culices venatur, apeſque,
Oeſtráque, & extenſos quodcumque volatile caſſes
Impetit, imbellem fert hic innoxius ictum.

Dyſderi. MOX *aliud grauius genus eſt: Dyſderi vocare,*
Sphecæumque ſolent, rutilo quod fulget honore:
Crudiuoræque ſua ſimilatur imagine veſpæ;
Quæ fortis ſpectatur equi non languida proles;
Nam quia equi veſpas edunt examina, tauri,
Si quod id inflixit, temerè non neglige vulnus.
Turgidus ex illo tumor eſt, deprenſáque morbo
Genua labant, tremulus ſubit infima viſcera languor,
Sublatæque cadunt quaſi toto in corpore vires.

Ictum

Ictum vt ſæpè hominem domet interimatq́ue malignum
Extremeq́ue nocens animal, lethæa venena
Quòd vomat: & paruo talem dat vulnere ſomnum,
Vt ferat æternam ceſſante labore quietem.

NVNC *age noſce genus formicæ nomine dictum,* Myrmention.
Tale quòd inſectum ſimilis demonſtret imago.
Splendida colla rubent, reliquum quaſi putrida corpus
Nigricies pingit, ſtellantibus vndique guttis
Diſtinctum eſt dorſum, cineres imitante colore:
Conſpicuum caput exigua ceruice leuatur.
Ex illo ſimiles aliorum expende dolores.
Sæpè ſubincidens ſi quando legumina meſſor, Aliud phalangij genus.
Atque alia in medio viridi creſcentia parte
Euellit, ſimiles ſcarabeis paſcere vermes,
Parua, puta, & flammas imitata phalangia, prendit.
Circa huius generis cruciantem tubera morſum,
Multaq́ue conſurgit turgenti puſtula pelle,
Atque vagi cor agunt æſtus, incondita lingua
Perſtrepit, & vario torquentur lumina gyro.

NVNC *animo perpende tuo, quas barbara Memphis* Quædam Aegypti volatilia & reptilia venenoſa.
Beſtiolas nutrit, volitantis imagine vermis,
Quem circum accenſas petulantem nocte lucernas
Seræ cænæ abigunt, anguſtæ cuius & alæ
Squalent, non viridi velut ipſa conila colore,
Sed quendam veluti cinerem, dum prenderis, edunt.

HVNC *etiam referens in Perſide beſtia fronde* Cranocolaptæ.
Paſcitur, horribili quæ ſemper cernua vultu,
Nutat, at infixo, qui ſummo è vertice prodit,
Quòd ſtimulo inſligit facile & tolerabile vulnus,
Citra omnem eſt etenim mortem, interitum, atque laborem.

INDE

Scorpio. INDE dolorifica cantandus Scorpio cauda,
I. Et tetricæ illius ſpecies, qui primus eorum
Albicat, haud mala, nec mortalia vulnera figit.
II. Sed rutilis quem fortè genis ſplendere videbis,
Hic calidas flammas, flagrantemq́ue incutit æſtum,
Quo detenti homines horrore & frigore quodam,
Concutiuntur, vti qui febre ſitiq́ue laborant.
III. Luridus apparens, trepidantes vulnere motus
Fert percuſſo homini, bipatenti qui oris hiatu,
Vt ſolet attonitus vel vanus morio, ridet.
IIII. Eſt viridans alius, qui quem percuſſerit, illi
Mox tremulum horrorem ciet, & penetrabile frigus,
Atque acri corpus ſe aſpergi grandine ſentit;
Supremus rapida quamuis Sol lampade flagret.
Tam grauis & tanta eſt factæ hoc afflictio noxæ,
Cuius nexa nouem iuncturis horrida ſpina
Extremo nocuum iaculatur acumine virus.
V. Liuidus eſt alius, grandi qui cernitur aluo,
Nam roſea veſcens manet inſaturabilis herba.
Quæ ferit, infuſo depaſcit membra veneno,
Et licet exiguo tamen inguina ſubleuat ictu.
Tam malus & vehemens infixus aculeus illi eſt.
VI. Deprendes aliud genus aſſimilante figura
Octipedum cancrum, qui albentes incolit algas,
Extremosq́ue maris carpendo pabula fluctus.
VII. Incuruis quidam ſimiles etiam eſſe paguris
Cernuntur, maiore alios qui corpore vincunt.
Chelis, forcipibusq́ue æquè ſolidi atque paguri,
Qui ſaxoſa tenent timidi caua, quin etiam illi
Hiſce ſuum ducunt, ſed non genitoribus ortum.
Nam camuras quando, ſua nempe cubilia, rupes
Deſtituere, nec algoſum prope littus oberrant,
Inſidioſus eos timidis piſcator ab vndis

Extrahit,

Extrahit: hac vbi ſe ſenſerunt fraude teneri,
Confeſtim ſubfoſſa petunt à muribus antra,
Noxia vbi illorum ſoboles nutritur, ibique
Euectis è corporibus damnata propago
Iſta per erumpit formamque foramina ſumit.
Inde melichlori ſpecies venit vltima, cuius
Summum ventriculum multa fuſcedine nigret. VIII.
Fundit inextinctum, quos percutit ille, venenum,
Excretisque viris longè infenſiſſimus hoſtis,
At paruos natu pueros celeri nece perdit:
Alitibus ſimilis, quæ rodunt farra, locuſtis,
Quæ ſuper extremas ſolitæ ſe tollere ſpicas,
Extritam illarum planè populantur ariſtam,
Pedaſios per agros vagæ inhorrentesque corymbos.
At qui horum aduerſus noui iacula inſectorum
Præſens antidotum facere, & quo denique pacto
Solo montanæ punctu bembicis apisue Bembix. Apis.
Non expectatum ſoleat ſubrepere letum,
Cùm nimis audaci ſua circa aluearia greſſu
Verſantem vel agro feſſum percuſſerit ægrum,
Vt ſtudiosè etiam ſua in ipſo ſpicula linquat:
Nam pungens ea fert mortem vitamque volucris.
Compertumque mihi eſt ſæuus quid patret Iulus;
Perniciemque ferens, quid veſpa, & paruula poſſit
Pemphredon; quid item diſſecta caput ſcolopendra, Pemphredon. Scolopendra.
Quæ ſua ſic, quando prorepit, brachia profert,
Vt properans nauis pellentes æquore remos.
Cæcæ mygalees (quæ beſtia araneus eſt mus Mus araneus.
Romano populo) noui quoque triſte venenum,
Quamque ictis dat perniciem mortalibus, & qui
Non viſis ſubiecta rotis plauſtri ipſa teratur.
Sic etiam paruis humili compage lacertis
Non ita diſſimilem declinans effuge ſepem. Seps.

V *Præterea*

Salamandra. *Præterea inuiſus Salamandræ morſus habetur,*
Quæ rapidum & clarè ardentem ſecura per ignem
Fertur, & abſque vllo meat indefeſſa dolore:
Nec quicquamque flagrans gradienti illi officit æſtus
Vel rupta cute, vel quacunque in corpore parte.
Prætereà quæcunque ſuis mare fluctibus ambit
Nouimus, inter quæ cautæ mirabile factum
Murena. *Murenæ eſt, quòd ſæpè cito viuaria lapſu*
Deſerat, atrocique petens audacula morſu
Vellat in æquoreas piſcantem è naue procellas.
Fama eſt, ſi modò vera, quòd hæc ſua paſcua linquat
Atque eat in ſiccum, cogente libidine, littus,
Et cum vipereo coïens ſerpente grauetur.

NOVI *etiam æquoream compeſcere Paſtinacam*
Paſtinaca marina. *Depopulatorem vaſtatoremque draconem,*
Peſtilis illa quidem lethalia vulnera figit:
Piſcantes ſi quando viros ſuæ acumina caudæ
Percutit, aut læſæ cum ramis arboris hæret.
Quæ tum mox obſcurior hinc ignobiliorque
Languet; ab hoc ſiquidem, rapidis ceu ſolibus, ictu
Arentes pereunt huic radiceſque comæque;
Sed percuſſo homini fœdæ putredine carnes
Abſumuntur: eo quondam periiſſe veneno
Afflictum quidam dicunt & rentur Vlyſſem.
Omnium ego illorum contra mala vulnera, quoſque
Illa ferunt ſecum morbos triſteſque dolores,
Certa tibi, quibus obſiſtas, medicamina dicam.

SVME *itaque humentis, quam lac cognominat, herbæ*
Aſſimilem anchuſæ frondem, aut à quinque vocatam
Radicem foliis, vel acutæ germina ſentis.
Arctium item, his quartus, cui nomen acedula, rumex

Adſit

Adſit, & effuſa ſe ſpargens fronde lycapſus,
Cicamaq́ue ordilumq́ue & odoro flore chamele,
Cumq́ue humili picea ſimul altæ tergora fagi.
Carpe breuem quoque caucalidem natalibus aruis,
Quæq́ue adeò huic ſimilis producit ſemina daucus,
Atque nouum & varium terebinthi ex arbore fructum.
Quin etiam æquoreis rubicantem fluctibus algam:
Et graciles puri contunde comas adianti,
In cuius ſiccis folijs vel nube cadente,
Non minimus, qui deprendi queat, inſidet humor.
Nobile Smyrneum iuuat hic quoque, & vtraque leucas;
Alta ſed eryngi radix addatur, vt æquè
Cum grauida commixta ſimul libanotide ſumas.
Hunc inconueniens non eſt, nec deſit ad vſum
Somniferum ex omni quod inhorret parte papauer;
Tam quòd maiorem quàm paruum ſuſtinet orbem.
Agreſtis tenerum ficus etiam accipe ramum:
Aut ex hac ipſa collectos arbore groſſos,
Qui prius ac alij iam matureſcere fructus
Incipiant, curuo apparent florere tumore;
Sic aſper ſtrobilus, ſic collecti è mare flores
Verbaſco, ſic ægilopisq́ue Chelidoniæq́ue
Trita iuuant folia, æquali ſi parte bibuntur,
Mixta quoque ex alba cum dauco tubera vite,
Turpes quæ maculas muliebri è corpore tollunt:
Quæ reſupinatis expandit brachia ramis.
Aut virides frondes abigentis noxia rhamni
Accipe: ſola quidem hæc ieiuno manſa palato,
Talia defenſo propellit toxica corde.
Scabræ etiam helxines decerptos collige ramos;
Corcorum item, aut Latio ceruinam nomine linguam,
Et cum Lemnigena multum & bene contere milto,
Quæ certa eſt contra quoduis medicina venenum.

Hoc dat agreſtis item cucumis radice iuuamen,
Quin etiam ſurgens foliis paliurus acutis
Fructu ſæpè ſuo triſti ſpè extulit aluo,
Sicque ferens ſpinas coma, cirratique orobanchi.
Punici item ſumas hyacinthina germina mali
Conniuentia adhuc, clauſasque fouentia gemmas,
Donec quondam albo nunc vndique flore rubeſcunt.
Et iuuat hyſſopus, quæque eſt multo angulo ononis,
Telephijque comæ, & creſcens in palmite botrus:
Allij item nucleus cum montani coriandri
Infuſo fructu, aut teneræ folia ipſa conyzæ.
Sæpe recens etiam piper, & naſturcia tunde
Perſica, & æquali permixta porrige parte.
Florigerum quoque pulegium, & ſtrumum, atque ſinapi
Hac vietum exanimemque queunt te peſte leuare.
Notum & militibus porrum cape, & acre nocensque
Interdum vrticæ ſemen (qua læta iuuentus
Aſſolet affixo veſti colludere ramo)
Ac album ſcyllæ caput, atque arentia bulbi
Semina, & alterutrum, cui dat draco nomina, caulem.
Vulſosque aſparagos ſimul ex Thamnitide rhamno,
Quæque virens ſiluis producit germina pinus:
Accipe fortis item, quam ſcorpio nominat, herbæ
Radicem, eiuſdem ſimilantem ſpicula vermis.
Amnicolasque ſidas, quas fert Pſamathæïa tellus,
Copæumque ſolum viridantibus educat vndis,
Qua cita Schœnæi Cnopique fluenta feruntur.
Adijce amygdaleos facie referentia fructus
Piſtacia, horriſoni quæ mittit terra Choaſpi,
Caucalidesque, vnà cum ſtringenti atque calenti
Myrtiadum ſucco baccarum. Iunge ſalubris
Ormini ſtipulas, vmbelligerumque marathrum,
Et ſilueſtre cicer, viridemque ſimul baryodnem.

Talis

Talis item morbi ſi ſymbria dulce leuamen
Præſtiterint, & regia quæ Campanáque ſerta
Dicitur, & ſuauem circumiaculatur odorem,
Et patulæ flores labruſcæ, ruſtica turba
Quos legit. atque ſuum ſolita intra augeſcere fructum
Vtraque ceu lychnis rubicansque in flore thryallis,
Et gratæ teneris violæque roſæque puellis.
Quin etiam multi vocitatam ſeminis herbam
Demete, pſillotrumque & purpureum hyacinthum,
Quem triſti gemitu deplorans luxit Apollo,
Formoſum puerum viridis dum flore iuuentæ
Propter Amyclæas imprudens perdidit vndas,
Actus vbi iuuenis recidens in tempore diſcus
Frangeret extrema colliſum in parte cerebrum.
Et tribus inſignem foliis non ſecius herbam
Atque Cyrenaicum commiſcens accipe ſuccum,
Tresque vtriuſque obolos æquè pendente bilance.
Vel referens cornu ſerpillum, ſæpeque crethmum,
Et Cypariſſum herbam, ſimul anneſum, lybicasque
Radices tundens, medicum fac & ebibe potum;
Cuncta ea commiſcens aliâs, quandoque ſeorſim
Singula cum vino, vel aceto, aut ſimplice lympha:
Imò recente iuuant etiam ſi lacte bibantur.
Sin proficiſcentem peregrè per deuia luſtra
Te grauis illorum cuiuſdam prenderit ictus,
Mox quaſcunque vides herbas, quodcunqueue ſemen
Manda, & in acceptam, ſi expreſſeris, expue plagam,
Vt miſeram fugias ex illo vulnere mortem.
Aerea tum læſæ ſuffixa cucurbita parti
Extrahat imbibitum ſanioſa ex carne venenum,
Atque cruentato ſimul exterat vlcera tabo.
Vel tu manantes è ficu inſperge liquores.
Imò tumens vino capræ tibi proderit vtris.

Si qua malum impreſſit feriens tibi beſtia dentem;
Fortiter autem ictas intra vtris concaua partes
Contine, & apprendens circumluat vndique vinum,
Donec ab his omnem conſtet traxiſſe dolorem.
Et ſitibunda iuuat ſi comprendatur hirudo,
Quæ multum tandem ſaturo trahat ore cruorem.
Vel potes expreſſum cæpæ inſtillare liquorem.
Interdum veteris fæcem vini vel aceti,
Caprinumque ſimum tumidæ trita illine plagæ.
Omnia nunc verò tibi contra vulnera ponam
Inſigne antidotum, tutam cui crede ſalutem;
Has omnes ſi quando ſimul contriueris herbas.
Ergo potens præſtò ſit ariſtolochia , & odoræ
Iridis, & nardi fibræ, feruensque pyrethrum,
Quæque aliâs prodeſt, vel ſolo galbana tactu,
Et ſimilans nidum daucus, iuxtà albaque vitis
Qua parte hæret humo, ſic dicta à Pæone radix.
His nigrum elleborum, cum nitri coniuge ſpuma,
Stante æquè libræ trutina, pallensque cyminum
Adijciens, humilis frondentia ſume conyzæ
Germina, & agreſtis commixto æqualiter vuæ
Cortice, collectas laurina ex arbore baccas,
Atque petitum apibus cytiſum, tritamque chamelen:
Eque caballino lichenen crure reciſum,
Et gratum ſuibus, ſed virus piſcibus, orbem,
Quemque recentia iam fudere papauera ſuccum;
Et caſtum ſemen, cinamumque & balſamon vnà,
Spondylion item, plenum quibus adde marini
Cymbiolum laticis, mixto æqua parte coaglo
Auriti leporis, tractoque è flumine cancro.
Illa cauo mortario agas, tu cuncta teraſque
Factis ex ſaxo piſtillis, tuſæ aparinæ
Expreſſo hinc ſiccata iterum quate turbida ſucco,

Vniuſque dehinc paſtillos pondere drachmæ
Finge, trahens medio iuſtas examine lances;
Quos demùm arentes heminis inde duabus,
Infuſóque mero rurſum tere; & vtere, quando
Sors tulerit, memor intereà, qui talia ſcripſit,
Nicandri, frigente Clarus quem nutrijt vrbe.

NICANDRI POETÆ ET MEDICI ALEXIPHARMACA.

QVAMQVAM *maiores ſua quondã mœnia noſtri,*
Quorum & nos de ſtirpe ſumus, nõ vrbibus iſtis
Veſtræ Aſiæ iunxere, meamq́ue tuamq́ue ſit inter
Immenſus patriam, qui nos diſiungat, hiatus,
Optime Protagora, ſalſis quia proximus vndis
Tu mediam vrſam habitas, ſacri qua parte Lobrines
Sunt thalami, atque Attes celebratur; at ipſe feracem
Incolo tellurem, quam magnæ clara Creuſæ
Stirps tenuit, Clarius qua oracula reddit Apollo:
Non tamen illa meum prohibent obſtacula votum,
Quo minus aduerſus letale paranda venenum
Antidota, & diros dem propugnacula potus:
Perſpectum ergo cauens aconitum noris amarum,
Plena quod educens Acherontis ripa propagat,
Qua Plutonicus eſt ſpecus, irremeabileq́ue antrum;
E quo quantumuis feſtinus nemo rediuit:
Qua verſa Herculeo Priolai mœnia bello
Terribili ſtreperam traxere fragore ruinam.
Illius horribilis totum os adſtringit amaror
Maxillas, dentes, gingiuas, labra, palatum,
Præcipuumq́ue ſtatim membrum, cor ſcilicet ipſum,

Impetit, atque malo properans errore vagatur,
Mœrentemque hominem cruciante dolore fatigat.
Summum ventriculi ſiquidem os diuellitur, id quod
Cor quoque dixerunt aliqui, & quadam quaſi porta
Clauſa coarctantur luctanti viſcera motu:
Plurimi item crepitus infraque ſupraque feruntur;
Et madidus toto promanat corpore ſudor.
Inuiſum caput vrget onus, tumidæque reſultant
Temporibus venæ, duplex capit omnia viſus.
Non ſecus ac alta temulentus nocte, velutue
Cornigeri altores Bacchi, ebria turba, Sileni,
Expreſſæ mentem ſuffuſi potibus vuæ,
Atque labante genu, nutanteque corpore toto
Per Niſæa inopes animi decliuia currunt:
Sic hebetes oculos habet hac qui peſte grauatur.
Illud idem quidam dixere myoctonon, vt quòd
Guſtantes ſoleat prope fontes perdere mures.
Quidam alio appellant id nomine Pardalianches,
Monſtroſo quòd huic animanti ruſtica turba
Interitum ſtruat; hanc ſi quando obiecerit herbam
Per iuga frondoſæ Phalacræis vallibus Idæ:
Sæpeque teliphonon, nec non & cammoron, illud
Femineum dicunt Aconæis creſcere ſaxis.
Hoc tibi ne noceat malum, inextinctæ cape calcis
Quantum plena tenet manus: atque rubente lyæo
Commiſce, vnde replens cotylam menſura bibatur;
Aut pulchrum abrotoni caulem, & decerpta virentis
Germina marrhubi, quod iam dicunt Meliphyllon;
Atque in frondifera natos oleagine flores,
Et gracilem reſeca rutam, & mixto ebibe melle.
Vitigena candens quoque ferrum extingue liquore,
Vel quæ ſtillat idem calido excrementa camino,
Sicque nouam argenti ſiue auri denique maſſam,

Dimidia-

Dimidiatum humilis piceæ quoque ſume maniplum,
Montanæ ſocius cui ſuccus onitidos adſit:
Siue polycnemi modò natam contere virgam,
Quattuor & cyathis melliti porrige vini.
Imò medullarem contrito paſſere potum
Accipe, vbi denſa volucrem concoxeris olla.
Et iuuenis vituli pingui iam mollia callo
Cornua reſcindens ſumpto bene concoque vaſe:
Atque illa veſcens offa, tua viſcera paſce.
Quin etiam humano vel equino balſama lacti
Miſce aliquot guttis, & eundem porrige potum.
Proderit is tum ſi crudorum onus ante ciborum
Sumpturus vomitu per collum effugerit æger.
Sæpè etiam patulis oculis dormire ſolentis
Penſicula catuli teneriq́ue coagula cerui,
Lenæoque terens potanda liquore propina:
Sic Ægyptiacæ radices contere fici,
Et mixto coctas da vino apiumq́ue labore.
Quæ ſi ſollicita modò feceris omnia mente;
Inuiſum poteris, dominumq́ue auertere morbum,
Redditus vt rurſum ſibi vitam proroget æger,
Et valido quocunque lubet ſe corpore ſiſtat.

NVNC mala damnoſæ ceruſſæ pocula pende. Ceruſſa.
Spumanti ſimilis lacti cum tempore verno
Suppoſitas rauco preſſum replet impete mulctras.
Hæc data ſpuma ſtatim multum aſtringente vigore
Infectum tenet os, ſubeunti frigore ſiccæ
Gingiuæ areſcunt, criſpanteq́ue pelle trahuntur.
Aſpera lingua ſcabret, flaccæ prope guttura glandes
Deficiunt, nullamq́ue cient è fauce ſaliuam,
Caſſaque tuſſis obit, pigra pendere lumina nutant.
Intereà crebros homo ſurſum expellere ructus

Auditur, labat, oppletáque extenditur aluo,
Et graue turbata queritur ratione cerebrum,
Vanáque vel media phantaſmata luce videri.
Nauſeat, & triſti gemitus è pectore ducit:
Interdum obrepens oritur cum frigore ſomnus,
Torpet iners motus, languentia membra fatiſcunt
Officium pertæſa ſuum: & niſi protinus adſit
Præſens auxilium, tandem dominante dolore
Succumbens ſtygias æger deſcendet ad vmbras.
Vtilis hoc contra bibitur medicina venenum,
Palladia placidum quod nuper fronde liquamen
Premadia, aut orchas, mytináue coxit oliua,
Lubricus vt venter rurſum mala pharmaca reddat.
Seu diſtenta premens teneræ celer vbera vaccæ,
Pingue natante dabis lac cum cute triſtibus ægris:
Aut tu mollificæ reſeca & tere germina maluæ,
Expreſſumque homini potandum porrige ſuccum.
Tuſa etiam mixto ſic præbe ſeſama vino,
Sic & combuſto cinerem de palmite ſume,
Atque ſuperfuſa turbatum perlue lympha,
Hinc anguſta nouæ cola per vimina ſportæ,
Verùm interpoſito de lini ſtamine panno;
Vt ſecluſa ſimul deſcendere craſſà vetentur:
Limpidus hinc penetrat, bibitus qui proderit, humor.
Non ſecus huic etiam poſſunt ſuccurrere damno
Palladio triti bibitique liquamine nuclei,
Quos olim alatus volitansque per aëra Perſeus
Cephæa elatis pedibus tellure relicta,
Quando Meduſæum curuo caput enſe putaſſet,
Intulit antiquis Cephei noua dona Mycenis,
Ad viridem cecidit qua parte Melanthidis arcem
Præceps ex alto capulus, Langæa vbi nympha
Exhibuit nato Iouis ipſi pocula Perſeo.

Sæpeq́ue Gerræi ramis circunflua thuris
Lacryma, cum toſti ptiſana tibi proderit hordei,
Et deſtillantes atalymno, vlmo & nuce guttæ,
Quas ritè immixtas tepido liqua & offer Iaccho:
Vt quædam vomat, & quædam per balnea ſoluat,
Cùm madido elicitus manârit corpore ſudor;
Oblatoq́ue cibo languens ſe recreet æger.
Pingueq́ue nonnunquam vinum bibat: ac erit, vt mox
Pene reſecta nouo reparet ſibi ſtamina penſo.

*N*EC *tu frugiſecam, piceum quæ reddit odorem,* Cantharides.
Cantharidem pota, quia talem imitata reſinam
Plenas illa trahit nares, & dentibus ipſis
Infecto cedriæ ſapor obuerſatur in ore;
Morſaq́ue labra dolent, aliâs extrema ſuperni
Ianua ventriculi, contortaq́ue vellitur aluus,
Atque cruentam acer veſicam ſupprimit angor,
Multa coarctatum ſtringitq́ue anguſtia pectus,
Subcidensq́ue cibi coquus ima ad viſcera tendit.
Redditur impatiens mutatis moribus æger,
Vt pulſa ob tantum mente & ratione dolorem
Lamentabilibus cadat intereatq́ue querelis;
Qualis in horrenti ſpinarum pappus echino,
Quem violenta rapit per inaneq́ue diſſipat aura.
Huic properè vt medeare malo, frugale ſubinde
Pulegium dulci nympharum munere funde,
Ieiunæ & Cereris facto ægris porrige potu,
Hæc quo diua ſuas apud Hippotoonta rigauit
Fauces, Threïciæ numeroſum ad carmen Iambes.
Prætereà iuuenis capręue, ſuisue, vel agni
Decocto capite, aut etiam anſere pinguia iura;
Quæ tamen adiecto lini ſint lubrica fructu,
Offer, ab oppleto dum ſurgat nauſea ventre.

Mox

Mox vbi tunc imo ſederunt omnia fundo,
Infimam ad vſque gulam crudas dum ſenſeris eſcas,
Inſerto vomitum proritans indice produc.
Sæpè etiam infernis ouium lac partibus inde,
Et ſic multa trahes mollem excrementa per aluum;
Non minus id præſtat ſumptum per labra iuuamen.
Pampineas etiam viridi de palmite frondes
Accipe, & infuſo potandas melle propina.
Quin & acuta inter petras radicula prodeſt;
Cuius perpetui frondes apricantur aculei:
Sed dulces & apum tuſæ ſuperadde labores.
Illius herba velut molothurus floret, & altis
Conſpicitur ramis, gracilique aſſurgere caule.
Quattuor & Samiam drachmarum pondere terram
Intere, quam fruticans intra ſua viſcera Phyllis
Imbraſidem iuxta fouet educitque fodinam,
Et quam Cheſiades aries docuiſſe puellas
Fertur, vbi eſt gelidus iuncoſis Carcetus vndis.
Poſtquam etiam paſſis vinum confeceris vuis,
Da duplicem potum, & caſtam ſimul inijce rutam;
Pinguis eis pariter partem miſcendo roſacei,
Aut etiam Illyricam redolentes irida ſuccos.
Hoc valdè antidotum valet, & mala pocula vincit.

*Q*VOD *ſi noxia quis biberit coriandra, repentè*
Ablato exagitur ſenſu, ſtridenteque voce
Edit acuta velut furioſæ iubila Bacchæ,
Seu Stygiæ iniecto quaſi percitus angue Megæræ.
Contra hæc èx dulci da Pramnia vina racemo,
Vt madida ſpumans fudit vindemia prælo:
Diluat infuſo tamen hæc maris vnda catino.
Quin & inanitis gallinæ partubus, ouis
Confractis ſalſam teſtis ſuperinijce ſpumam,

Qua veſcens cepphus ſe ſeruat & interit eſca:
Piſcantes pueri ſtrictis vbi fraudibus illi
Inſidiantur aui, ſic vt capiatur ab his, dum
Albentem ſequitur non prouida in æquore ſpumam.
Quinetiam tumidis ægrum ſubmerge procellis,
Quas vnà cum flammiuomo Saturnius igne
Æoliæ iuſſit parere tridentifer auræ.
Immiſſis ſiquidem deuictus flatibus ignis
Cedit, & ambo timent dominos obnoxia ventos.
Ipſum autem rapidis metuendum fluctibus æquor
Subiectis nautis, & nauibus imperat, & vim
Infert, infeſto ſed ſilua obtemperat igni,
Iuxta quem genitrix ſtatuit natura tenorem.
Hunc etiam poterit penitus ſedare laborem
Mixtum vino oleum, vel dilutum niue muſtum,
Quando legit cantans maturos vinitor vuas,
Et ſpumoſa ſonat plenis vindemia labris,
Tunc vbi mellilegæ circa humida prœla volucres
Veſpáque, pemphredonque, & monticolæ bembyces
Delicias tortiua ſuas acinoſque ſequuntur:
Callida quando ſecat nitidos vulpecula botros.

DEINDE *malæ obſerua letalia pocla cicutæ.* Cicuta.
Hæc ſiquidem cæcas capiti infert ſumpta tenebras,
Atque caduca oculis celeres vertigine gyros,
Vt titubante gradu, & pronus palpantibus æger
Prorepat manibus: clauſas anguſtia fauces
Strangulat, & ſummos frigens ſubit horror in artus,
Contractæque ſilent & ducunt ocia venæ:
Ille autem modicum ſtricto trahit aëra collo,
Et cerebro exanimis ſingultu vellitur: inde
Horrida terribilis viſurus limina Ditis,
Oblato hunc oleo ſincero ſiue Lyæo

Imple

Imple, vt luctificam mox lubricus euomat Atem.
Siue per infernas clyſteribus vtere partes.
Sæpè & forte merum, vel ſummi germina dauci,
Theſſalicæque comas languenti porrige lauri,
Quæ fluidos Phœbi redimiuit prima capillos.
Seu mordax piper, ac vrticæ feruida ſume
Semina, & auſtero da turbida vina liquore;
Sic & odorifera quæ ſyntheſis iride conſtat,
Atque Cyrenaicus nitida cum Pallade ſuccus
Proderit, & dulcis pariter data pocula mulſi,
Iuncta quibus pinguis fuerit cutis extima lactis,
Quam modico leni ſuper igne in vaſe reſolue.

Toxicum. PELLERE *nunc etiam perimentia toxica diſce,*
Quando ſuis hominem miſerè cruciatibus angunt;
Craſſa fit illius iuxta imum lingua receſſum,
Turgida labra calent, mox arida ſputa ſequuntur,
Atque recedentes inferna parte dehiſcunt
Gingiuæ, éque ſua luxæ ſtatione mouentur;
Cor ſtupet, omnis abit ſenſus, turbatáque mens eſt.
Hunc rabida innumeras edit veſania nugas,
Clamoſóque dolens homo vociferatur hiatu,
Secta velut trunco vellatur corpore ceruix:
Nec ſecus ac magnæ matris furioſa ſacerdos
Nona ſacrificans menſis per compita luce,
Longum terribili circumſonat ore boatum;
Quem prope percipiens per montem turba tremiſcit:
Non aliter rabido miſer eiulat ille furore,
Et trucium fugiens vlulat de more luporum,
Obliquisque ferus ceu taurus, atrociter hirquis
Proſpicit, ac nudo fremebundus dente renidet.
Hunc bene complicitis deuinctum nexibus ambi,
Infuſóque ſtatim thoracem prolue vino,

Atque

Atque vel inuitum ſatia, manſuetáque verba
Da furienti homini, ac inſerto ſtipite frendens
Fortiter os aperi, vt dirum mox euomat hauſtum:
Vel tu paſcentis tenerum anſeris accipe pullum;
Et coque, & auſteræ cui montes patria, pomi
Silueſtrem (fuerit mundus tamen à cute) librum.
Vel cape plantatos naſcentia mala per hortos,
Ludicra quæ pulchris fert æſtas dona puellis.
Aut etiam grauida ſtruthia ex arbore carpe,
Atque adſtringenti laudata cydonia ſucco,
Quæ riguo diues produxit Creta receſſu;
Atque hæc tuſa probè fluuiali perlue lympha,
Mixtáque pulegij ramis ſimul omnia tunde.
Prætereà ſumpta redolentis parte roſacei
In bibula, inſtillans os, vt bibat, illine lana.
Hunc etiam præſtans valet iridis vnguen ad vſum.
Sic ægrè, & multò tandem poſt longa labore
Tempora, vix tremulis languens inceſſibus ibit;
Attonitumque geret non certo limite viſum.
Illo Gerrhæos Euphratis ad arua colonos
Humanam in cædem ſua tingere ſpicula dicunt.
Sic quia tincta ferunt hæc immedicabile vulnus,
Quod nigram fouet hinc carnem, ſub ea acre venenum
Putreſcit, fædoque cutis ſudore fatiſcit.

SI verò inuiſum Medææ Colchidos ignem Ephemerō.
Incauto quis atrox potârit Ephemeron ore,
Aſpera ceu quodam pruritu labra queretur;
Nec ſecus ac cæſæ ficus albente liquore,
Et velut affrictos vrtica ſentiet artus,
Siue caleſcentis prægnanti vertice Scyllæ,
Qui ciet in tenera quaſi flammæ incendia carne.
Hinc mala ventriculum grauitas inceſſit, & vrget

Ad crebrum vomitum, & letali protinus igne
Vlcerat, vt fœdum regerat per colla liquorem,
A lotis qualem coquus effert carnibus; imò
Tetrica commotam iacit excrementa per aluum.
Hoc contra medicina malum tibi quercea frons eſt,
Fagineæque, pari ſi ſumas pondere, glandes.
Siue recens aſinæ aut vaccæ lac offer, eoque
Se, languens ſatiet, plenumque os colluat æger.
Appellatum etiam ſiſtendo à ſanguine germen,
Atque nouo eiuſdem lacti iuuat indita radix:
Quin etiam intritus fluuiali pampinus vndæ,
Æqualique rubi commixtus pondere ramus.
Inſuper hirſutis horrentes exue tectis
Caſtaneas, plena quas Caſtanis arbore profert
Terra nuces; vnà cum cortice deinde ſequenti
Da mediam huic tunicam clauſæ quæ proxima carni eſt.
Imæ etiam ferulæ prodeſt exempta medulla,
Quæ tenet aſtripetæ Vulcania furta Promethei.
Aſtringentis item baccas tibi collige myrti;
Hisque è Puniceis extrema putamina malis
Adijce, & infuſo potum ex his confice vino,
Quo procul infeſtum poſſis diſpergere morbum.

Ixias. NEC *grauis Vlophoni te noxia pocula fallant,*
Quæ labijs guſtata tuis qualem ipſa ſaporem
Ocima præſentant, extremæque intima faucis
Principia exaſprant, & acutis ignibus vrunt:
Turbatumque animo vaſania deſtruit ægrum,
Vt linguam frendente ſuam præmordeat ore
Sublata attonitus ratione: & vtrosque meatus
Obturans flatus tenet, altaque murmurat aluus,
Qualia nimboſo eſt audire tonitrua cælo,
Sæpeque vt illiſæ ſcopulis ſonuere procellæ.

Hoc ita detentus dum ringitur ille veneno,
Anxia conſtricto ſuſpiria pectore ducit.
Atque adeò vrgenti reijcit per viſcera potu
Conſimiles grumos nondum durentibus ouis,
Qualia concumbens gallis pugnacibus ales,
Nempe rudes globulos incoctáque pignora fundit.
Sic affecto homini diluta abſinthia poſſunt
Cum nuper preſſo cruciatum tollere muſto.
Lenta poteſt etiam terebinthi obſtare reſina.
Ipſa etiam piceæ triſtis quoque lacryma pinus,
A qua detractam demens tibi Marſia pellem
Victor pro merito quondam ſuſpendit Apollo.
Hinc ea adhuc arbor per opacos ſola receſſus
Nobile conqueritur lugubri murmure fatum.
Da quoque ei maris ac mures auferre ſolentis
Collectos polij cum rutæ germine flores.
Sic & ſpectantem Syriæ confinia Nardum,
Atque cape amnicola reſciſſum è caſtore teſtem,
Siue Cyrenaici cultello rade liquoris
Quod leuat æquatum drachmæ pars tertia pondus.
Sic & habens olidi cognomen origanus hirci,
Concretiúe iuuat metæ inſtar copia lactis.

S IN errans aliquis taurinum fortè cruorem Sanguis tauri.
Sumpſerit, illæto gemit afficiturque dolore.
Quandoquidem internis vbi venis ille propinquat,
Condenſatur, & in media concernitur aluo.
Clauſa hinc ſpirituum via, ademptus anhelitus intra
Impletum guttur prohibetur, & anxius æger
Voluitur in terram, ſpumantéque palpitat ore.
Contra hoc ſume malum viridantis germina fici,
Quæ ſuperinfuſo madefacta rigentur aceto,
Et modicam miſce, quæ potum temperet, vndam.

Irritanda etiam eſt ficulno cortice ſedes:
Dandáque vel capreæ teneriúe coagula cerui
Aut celeris leporis, raro quæ ſtamine ritè
Colâris, certam poterunt hæc ferre ſalutem.
Vel bene contritum da drachma pondere nitrum,
Idque ſuo ſuauis dono contemperat Euan:
Ipſius & Laſerpici, & lecti inde liquoris
Æqualem partem: quod & edit braſſica ſemen
Accipe, & admixto fiat tibi potus aceto.
Aut humilis ſatura languentem caule conizæ.
Quin etiam tritum piper & collecta ruborum
Semina contundas: iſto certiſſima pacto
Antidota aduerſus talem te crede cruorem
Compoſuiſſe, omnes quibus intra viſcera grumos
Solueris, & vegetæ pateant ſpiracula vitæ.

Bupeſtris. NOSSE *etiam inuiſæ Bupeſtridis acre venenum*
Conuenit, & domitum qui affligat & opprimat ægrum.
Hæc alio aſpergens ſumentis labra colore
Nitroſum infecto grauiter cit in ore ſaporem,
Et facit eroſo non ſuauia tormina ventre,
Quorum vel ſolo eſt cruciatus cernere vultu:
Obſtruit vrinas, ima hinc veſica laborat,
Et tumet inflatus ſicco velut hydrope venter,
Per mediasque effert vmblicum inſumine ſordes,
Ac leuat extenſam ſurſum circa ilia pellem,
Sæpè pigram hæc vaccam, vitulum quandoque ſalacem
Perdit, paſcentes ſua quando armenta magiſtri
Diſcernunt, & ob id bupeſtrem nomine dicunt.
Hic coctum ſiccis cum ficubus accipe vinum,
Imo ſua abſciſſos ipſos à fronde minutim
Contere, & elixa dulcemque hinc porrige potum.
Certa calentis enim ſuerit medicina veneni.

Siue recente reple non magnum lacte catinum,
Et tenerum miſce victrice ex arbore fructum:
Vel montanorum præbe genus omne pyrorum.
Interdumque ipſas in vinum conijce myrtos.
Et ſe femineum, qualis puer, æger ad vber
Admoueat, prenſaſque tenax trahat ore papillas,
Vt petulans vitulus fœtæ qui ſemina matris
Pulſat, & haud tacitis cit dulcia flumina labris.
Sæpè etiam preſſæ ſucco ſatietur oliuæ,
Inde vel inuitus vomat, imæ ad concaua faucis
Immiſſa penitus pennáue manúue: iuuatque
Flexile conciſi folium ſic indere libri,
Quod trahat ex alto ſurſum mala pharmaca ventre.

FORTE *recens ſi lac, cui mixta coagula, ſumat*
Imprudens aliquis, præſuffocatur, ei tres
Da potus, acris quorum ſit primus aceti,
Lenæi reliqui conſtent duo munere patris.
Aut etiam Libyci radices intere ſilphi.
Sæpè Cyrenaici modicum diſſolue liquoris.
Quin etiam mollem potes admiſcere conilam,
Vel ſimilem muſco, qui creſcit in æquore, ſpicam
E redolente thymo: ſic & prodeſſe probatur
Eucnemi bibitus cum terræ ſanguine botrus,
Interdumque illos ſparſere coagula grumos,
Rugoſæque comæ quas fert Plutonia pellex,
Mellilegisúe adeò dilecta volucribus herba,
Si ſuper infuſo riguæ potentur aceto.
Nunc age potati mala contemplare dorycni,
Cui planè ſimilis lacti facieſque ſaporque:
Qui bibit, inſuetis quatitur ſingultibus æger,
Sanguineumque cibum vomit, & mucoſa per aluum
Defertur pituita, velut ſi tormina vexent,

Aut exercendi fruſtra irritata cupido.
Iam tunc arenti perfligitur ille dolore,
Et labefactato ſtrepit & ſe corpore voluit.
Arida nec multum deſiderat ora rigari.
Contra tale malum data lactis copia prodeſt:
Salſius aut miſcens in potu porrige paſſum.
Præterea pinguis carnes è pectore capi:
Commodus illarum eſt ſuccus quoque, quotquot, & alti
Beluæ aquas habitant maris, & muſcoſa pererrant
Littora, quarum alijs crudis, coctiſque quibuſdam
Veſcatur, rapido poſſunt quædam igne foueri.
Sed multò tamen ipſa magis conchylia proſunt:
Suauis item calches, primæ atque rubentis echinæ
Sana caro eſt, patuliq́ue ctenes, non ipſeq́ue ceryx
Deſit, & arroſis ſolita algis creſcere tethe.

Pharicon. N V N C *caue, potatum ne vitæ Pharicon obſit:*
Hoc ſimilem nardo noris præſtare ſaporem,
Et tremulos homines rabida conuellere mente,
Vno adeoq́ue die ſtygio demittere regi.
Contra hoc emulſam certo da pondere nardum,
Scorteus antiquum cui nomen ſacculus indit,
Quam Cylices edunt prope Ceſtri flumina montes.
Et bene contuſum Smyrnæum ſæpè iuuabit.
Ipſam præterea languentibus irida præbe,
Florigerumq́ue caput, cui non propenſa Dione eſt,
Propter prælatæ temerè certamina formæ.
Hinc mediis eius foliis turpiſſima probra
Indidit, informes, aſinina puta inguina, clauas.
Sumpta etiam cui facta acies ſit acuta, nouacla
Totum rade caput, liquentiaq́ue hordea nuper
Iacto flore, vnà & folioſum germen inunge,
Et croceos caſtæ flores tibi collige rutæ,

(Cui contraria dans alimenta eruca reſiſtit)
Ac acido bene contritos perfunde liquore:
Inde line hanc liquidam circa vtraque tempora pultem.

NE quis item incauto non prudens ore nocentem Hyoſcyamus.
Sumat Hyoſcyamum, puto non minus eſſe monendum,
Ceu fatui pueri, qui iam nutrice relicta,
Et primis poſitis cum infante ætate capillis,
Iam non quadrupedes proprio procedere niſu
Incipiunt, multo quod non potuere periclo:
Harum ignorantes quoniam illi incommoda rerum
Conſpicuam nocuis deguſtant floribus herbam,
Atque terunt nato nuper mala ſemina dente:
Hinc tumidas miſera gingiuas voce queruntur.
Hoc aduerſus erit bona lac medicina venenum,
Interdum Græcum quod dicunt nomine fœnum
Accipe, curuatis inſignem cornibus herbam:
Quæ tum maiorem narratur habere vigorem,
Si bene Palladio perfuſa liquore natârit.
Vel calidæ feruens vrticæ contere ſemen,
Vel cruda eiuſdem folia herbæ mande, vel ipſum
Ex his contuſis expreſſum collige ſuccum.
Denique cichorium, & naſturcia, perſæumque
Accipe, & omnibus his æquali pondere miſce
Eliciens lachrymas ſemen, ſimilíque vigore
Prædita cæparum præſegmina, ructificique
Taleolas raphani, Latiæ hæc radicula genti eſt.
Hoc etiam aduerſus vidi prodeſſe venenum,
Multifidi caput, in vino ſi ſumitur, alli.
Inde ſoporatos Opio reſpexeris ægros Opium.
Summa quibus friget cutis, & pigra lumina nutant:
Stillat odoratus ſudor, pallenſque laborat
Corpus, & ignito velut ardent labra calore,

Malis viſa ſuis laxos demittere nexus.
Paruus item & frigens è gutture ſpiritus exit:
Obtortæ apparent nares, fit liuidus vnguis,
Atque lateſcentes oculi ſua in antra recedunt;
Quæ certam tibi ſigna queunt protendere mortem:
Quæ tamen omnia non metue, imò ſit tibi curæ
Illi qua ratione queas ſuccurrere peſti.
Dulci itaque exanguem reple calidóque lyæo;
Quin & Hymettidum opus tere commiſceéque volucrum,
Quæ procumbentis nemoroſa in valle iuuencæ
E putrido fiunt vegetata cadauere proles.
Namque caua hîc primùm poſuere cubilia quercu,
Et feruenti vna lectæ incubuere labori:
Digeſtosque fauos Cereri fecêre vehentes
Induti pedibus thyma, florentes & erycas.
Suauis item lana modicum quid ſume roſacei,
Indéque diductis adaperto dentibus ori,
Si grauior merſos ſopor illius occupat artus:
Tunc quantum ſat erit trahe, velle, feríque iacentem:
Sæpè etiam conſtans ex iride inunge liquamen
Nunc clamans, nunc impellens, vt languidus ille
Excutiat nocuum vitali à ſede veternum,
Atque malum regeret ſtomachi conatibus hauſtum:
Et viles oleo, vinoque intingere veſtes
Proderit, & gelidum admotis circundare corpus.
Et fac vt impleto ſæpè intret balnea labro,
Vt gelidæ in grumos concreti ſanguinis vndæ
Diſijciant, fotis vnguentum hinc illinc membris.

Lepus marinus.

QVOD ſi fluctiuagi leporis lethale venenum
Deprendas, fœdum qui ſumpſerit halat odorem:
Qualiter exemptæ, reliquo cum viſcere, ſquamæ;
Vel putridi quod olent neque loto corpore piſces;

Talis

Talis & immundo ſapor obuerſatur in ore.
Porrò ſordidus hic lepus vt natalibus vndis
Editus eſt, timidæ forulis ſe Teuthidis abdit:
Ceu genita ex illa proles vel ſepia is eſſet,
Quæ vitream, ſi quando peti ſe ſenſerit, vndam
Felle ſuo atque adeò quadram nigredine turbat.
Poſt bibitum hoc virus viridis ſtagnantia fellis
Excrementa manent, tenebroſo lumina viſu
Caligant, liquidæque abeunt in corpore carnes:
Nauſea adeſt, tumet alta cutis, taliq́ue caleſcunt,
Subq́ue cauis oculis roſeo fucata rubore
Apparet facies, ſiſtensq́ue vrina moratur,
Quæ nunc purpureo, nunc ſanguineo eſſe colore
Cernitur, & quemcunque videt, contemnere piſcem
Aſſolet auerſans, vt quælibet æquoris, æger.
Contra hunc Phocaicum veratri porrige potum;
Eliciensq́ue recens carpti lacrymas colophoni;
Pernicioſa mali & compeſcas pharmaca piſcis.
Interdum enixæ mulſum lac potet aſellæ.
Inſuper elixæ da lubrica muſcula maluæ:
Tum quoque cedrinæ viginti grana reſinæ.
Punicei interdum, cui Creta eſt patria, mali
Formoſum poterit potu æger ſumere fructum:
Oenopesq́ue, & quod Promenium nomine dicunt,
Aeginetin item, & tenui quæcunque rubentes
Et duras cute habent molliq́ue putamine cruſtas:
Quandoque exemptas grauidis è vitibus vuas
Exprime fiſcella, nouæ vt excolentur oliuæ.

SIN *ſitibundus homo eſt, cui, proni vbi more iuuenci* Hirudo.
Porrecto optatum procumbens gutture potum
Attrahit, aut ſera non cernens nocte petito
Vaſe bibit, ſimul hauſta intus rapiatur Hirudo,

Sæpè ſuæ ſentit non parua pericula vitæ;
Quandoquidem prenſæ ſugens ſe beſtia carni
Applicat, & vegetum trahit alto ex corpore ſuccum,
Aut etiam extrema pendens in fauce moratur,
Anguſtaſque animæ tenet ad præcordia portas;
Aut imæ ſuffixa gulæ præcludit eunti
In ſubiecta cibo decliuem viſcera lapſum.
Tum fuſum patera confeſtim potet acetum,
Siue niualis aquæ gelido ſeſe irrigat hauſtu.
Sæpè & Hyperboreo concretam flamine cruſtam
Porrige, vel ſumptam ſalſuginis intere glebam:
Hincque ſalutarem conturba, & confice potum:
Ipſum ſæpè ſalum feruenti Sole vel igni
Coge, vel effoſſum pariter ſal ſume, vel albam
Eiuſdem ſpumam: quam ſi ſal ſuffodit, imo
Colligit in fundo, quando vndæ infuderit vndam.

Fungi venenum.

NEC te ortum tellure malum Zemona fatiget
Pectore ſæpè tumens, ſuffocans gutture ſæpè,
Quod prope vipereis attritum tractibus antrum
Enatum diro vibratum ex ore venenum,
Atque graues in ſe vicinum ſorbuit auras.
Communi fungos appellant nomine: verùm
Diuerſæ ſpecies diuerſa voce feruntur.
Contra hos inflexum raphani caput optima cura eſt;
Aut inuoluentes viridantia brachia rutæ.
Sic & in æriferis glacies concreta metallis,
Qua tingens corium cogit nigreſcere ſutor.
Mixto & clematidis cineres mox offer aceto.
Aut tritam ardentis radicem immerge pyrethri,
Vel nitrum, & creſcens ſciſſo naſturcium in agro.
Medicum item malum, & faciens lacrymare ſinapi.
Inſuper ex acido potandam trade liquore

Toſtam,

Toſtam, quam fundunt vini tibi dolia fæcem.
Siue domeſticæ auis lecta excrementa propina,
Inſertaque manu poſtremi faucibus oris
Abs te irritato triſtem vomitu eijce mortem.

H I S *inuiſa etiam Dictymnæ proderit arbor,*
Quæ nunquam Imbraſiæ Iunoni facta corona eſt.
Namque ſub vmbroſæ quando olim collibus Idæ
Suſcepere ſuæ diuæ certamina formæ,
Myrtea victricem cinxerunt ſepta Dionem.
Sume ab aquoſa igitur myrti rubicantia ſilua
Grana, vel hybernæ creſcentia flatibus auræ,
Phœbeæ radijs excocta & fota quadrigæ,
Et preſſum ex tritis per colum traijce ſuccum,
Ac paruam cotylam capienti infunde catino,
Vel maiore etiam cyatho, neque enim nocet, vltra
Si quis acetabli menſuram porrigat, imò
Iſte ſalutaris procul arcet noxia potus.

Tranſpoſi- tum eſt hu- à fine hoc remedium

S I N *tibi ſumma malæ nocuere venena lacertæ,*
Nempe emittentis liquidum ſuccum Salamandræ,
Cui nullus poterit fumúſue ignisúe nocere,
Continuò ſtupido lingua inflammatur in ore,
Et ſubito torpent languore, maliq́ue tremores
Frigida concutiunt ſoluuntq́ue in corpore membra,
Vt quadrupes pronus, pueri inſtar, inambulet æger:
Vſque adeò obtuſum eſt, & hebeſcit mentis acumen.
Multa etiam in ſumma vibex cute liuet, & inde
Imbibitum infecti perſtillat ſæpè venenum.
Hic lectum piceæ tenthrenes munere fletum
Confice, vel viridem, quam profert aiuga, ſiluam:
Corniferæq́ue ſimul nucleos huic adijce pinus,
Vel calidæ feruens vrticæ contere ſemen,

Salamādra

Contuſique mola permixtam erui adde farinam.
Ipſam etiam vrticam, ſimul arida & hordea pingui
Miſce oleo, & facta languentem pulte ſagina.
Præſentem quoque præſtat opem collecta reſina,
Et ſacer Hyblææ vomitusque laborque volucris,
Imaque qua terris infixa eſt Galbana parte,
Nec non nata recens tardæ teſtudinis oua.
Pinguis item confert mactati axungia porci,
Cui coctum æquoreæ partum teſtudinis adde,
Quæ ſummos tranat fluctus velocibus alis.
Accipe nonumquam vel ſola, vbi cætera deſunt,
Montanæ & cytiſo paſtæ teſtudinis oua:
Quam, cùm muta prius fuerit, feciſſe canoram
Fertur progenitus Maia & Ioue filius olim;
Incluſis ſiquidem ſpoliauit carnibus ille
Quadrupedem & vario pictam fabrè ordine teſtam,
Atque duos ſummis cubitos adnexuit armis.
Imo coaxantes deprendens confice ranas,
Et vulſam eryngi radicem iunge, deinde
Sufficiente coquens Scaminon parte remolli,
Hocque cibo vel iam diſperſam collige vitam.

Rubeta. S I N *nocuæ æſtiuo mala tempore pocla Rubetæ*
Quis bibat, aut mutæ ſimili quaſi imagine ranæ,
Quæ denſos frutices venienti vere frequentat,
Et vitreum paſcit lingendo noxia rorem,
Aſpicitur viridi ſua pingi membra colore,
Inficiente velut, quam Thapſus protulit, herba,
Et ſubeunte ſtatim languens incenditur æſtu.
Atque frequens arcto vix gutture ſpiritus exit,
Horribilemque altis è faucibus efflat odorem.
Huic tu raninas elixa & porrige carnes,
Aut ſuaui piceum vino coniunge liquamen.

Præterea

Prætereà apprenſæ ſplen cura eſt optima ranæ,
Quæ colit algoſæ ripas clamoſa paludis,
Primáque florigerum rauco ver nuntiat ore.
At quæ muta ſilet, calamiſque & arundine gaudet,
Offundit viridem ceu buxi membra colorem:
Triſti os bile replet, cerebri quoque corde dolentem
Singultus ægrum quatiunt, & labile ſemen
Spargitur, atque vtrumque vetat generare parentem.
Sic affecto homini mera vini pocula funde,
Vtque vomat, quamuis inuitum coge, foueque
In calido, donec ſudarit toxica, labro.
Quin & arundineas vino tere tradéque fibras,
Quas ſuus extrema lacus enutriuit in vnda,
Qua tenues fluitant, turba olim ruſtica, ranæ.
Sic & odorati radicibus vtere iunci,
Quem diſtinguenti quadratum nomine dicunt.
Ipſum etiam ægrotum pallente faméque ſitíque
Extenua, & multo fac contabeſcere motu.

NON *inuiſa etiam cruciansque argentea ſpuma* Spuma argenti.
Te fallat, quæ ſumpta tuam malè vellicat aluum.
Namque reuoluentes ſeſe ſub ſumine flatus
Inſtrepitant, vt vix medicam admittentia curam
Tormina, quæ magnis hominem cruciatibus angunt:
Nec ſuus vrinæ patet exitus, omnia membra
Ardent, & nigricans imitantur liuida plumbum.
Hic modico præbe contritam pondere myrrham,
Quod duo ſuſtollunt oboli; quandoque recentem
Ormini potum, montanam ſæpè hypericon.
Interdum ramos hyſſopi, quin & agreſtem
Nonnunquam ficum, ac apij penetrabile ſemen,
Iſtmia quam norunt certamina, quando
Alta Corinthus (vbi priſcis dominata ſub annis

Siſyphia eſt proles) ſit facta hinc vſa coronæ
Exhibitis ludis, quibus obruto aquis Melicertæ
Clarus Inus puero funebria iuſta celebrat.
Accipe item feruens, quod protulit Irio, ſemen,
Rugoſumq́ue piper ſtante æqua examine lance,
Daq́ue ſuaui intrita mero, & letale venenum
Diſcuties, florentis ad hæc muſcoſa liguſtri
Germina; quosq́ue nouos fert punica contere fructus.

Taxus. INSVPER *Oeteam potu caue ſumere taxum,*
Abiegnis ſimilem ramis, miſeræq́ue datricem
Mortis, eam ſumptus vini fæcundior hauſtus
Vicerit, aëreos vbi ſtrinxerit illa meatus.
Porrò noſtra videns hæc olim carmina lector,
Accipe non alia, quàm ſunt, ea condita mente;
Nicandriq́ue tui iuxta memor eſto poëtæ,
Sic erit vt facili tibi Iuppiter annuat aure.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN HOC TOTO OPERE PRÆCIPVE MEMORABILIVM, INDEX.

A.

ABrotonum aduerſus venena efficax 43
Abrotoni duo genera ibid.
Aconitum vnde dictum 165
Aconiti diuerſæ ſpecies 166
Aconiti ſumpti ſigna 168
Aconiti aſſumpti remedia 169.170
Æliani error 107
Aër quomodo inficiatur 5
Alanſonius Procurator Regius faſcinatur 31
Alexandri exercitus toxico oblato ferè totus concidit 9
Alexiterium quid ſit 153
Altercum cerebro noxium
Ἀμφίϐια quæ ſint 79
Amphisbæna 81
Amphisbæna biceps dicta ibid.
Amphisbænæ deſcriptio ibid.
Amphisbænæ morſus ſigna 82
Amphisbænæ corij vtilitas ibid.
Amphisbænæ morſus curatio 83
Andreas quidam de beſtijs venenatis ſcripſit 121
Antidotum quid ſit 153
Antidota duplicia 154
Antidotorum nimia quantitas periculo non vacat 155
Antimonium quid ſit 244
Antomonij vires ibid.
Antimoniũ frigidum & ſiccũ 246
Antimonium terreum & aqueum 247
Antimonij actiones è frigiditate & ſiccitate oriuntur 248
Antimonium venenum eſt ob manifeſtas qualitates 251
Antimonij & veneni actionum diſcrimen 253
Antimonium aut non trahere ſimilitudine ſubſtãtiæ, aut vnum tantum morbum curare 254
Antimonium natura venenum eſt 256
Antimonij præparãdi & corrigendi ratio 258
Antimonij præparandi modus ex Matthiolo ibid.
Antimonium non corrigitur à borace ibid.
Antimonij artificioſa præparatio exploſa 261
Antimonij præparandi ratio è Paracelſo, & Ioanne de rupe ſciſſa 264.
Antimonium quomodo morbos curet 272
Antimonij alexipharmaca 112
Ἀντιπάθεια quid ſit 109
Apis aculeo ſpoliata interit 111
Apum mira ſolertia 110
Apum diuerſæ ſpecies ibid.
Apum morſus ſeu ictus remedia 111
Aqua quomodo inficiatur 5
Argentũ viuum vnde dictum 227
Argentum viuum quid ſit ibid.
Argentum viuum duplex ibid.
Argenti viui naturam pauciſſimi exactè norunt 229
Argentum viuum à tonſoribus ſiniſtrè vſurpatur 228
Argenti viui aſſumpti indicia 229
Argenti viui aſſumpti remedia ibid. & 230
Ariſtolochiæ deſcriptio 144
Ariſtolochia veneno inimica Ibi.
Ariſtotelis locus de cane rabido repurgatus 135

Aſcrei

Aſcræi vnde dicti 35
Aſiæ montes 59
Aſphodeli hiſtoria 44
Aſphodelus Galliæ familiaris ibi.
Aſphodelus veneno reſiſtit ibid.
Aſpis 51
Aſpidis diuerſæ ſpecies ibid.
Aſpides terreſtres maximæ 52
Aſpides Chelidonię vbi inueniantur ibid.
Aſpides Ptyades maximæ ibid.
Aſpis terreſtris repētè interficit ibi
Aſpidis morſus ſymptomata ſeu ſigna ibid.
Aſpidis morſus incurabilis ibid.
Aſpis cerebro inimica 54
Aſpidū inter ſe mutuus amor ibi.
Aſpidis morſus ſigna ibid.
Aſpidis morſus curatio ibid.
Aſſationis effectus 162
Athamas in rabiem agitur 230
Athenienſium mos in offerenda cicuta 11
Atthis ab apro interfectus 165
Auguſtus oculorum ſenſus acumine excelluit 30
Auis Charadrienſis conſpecta ab ictericis eos à morte liberat. 31

B.

BAſiliſcus 85
Baſiliſci hiſtoria fabuloſa ibid.
Baſiliſcus non gignitur è galli antiqui ouo ibid.
Baſiliſci omnium venenoſiſſimi. ibid.
Baſiliſci deſcriptio 86
Baſiliſcus quare rex ſerpentum dictus ibid.
Baſiliſcus æternitatis index apud Ægyptios ibid.
Baſiliſcus aërem quoq; inficit ibi.
Baſiliſcus ſibilo ſolo animantia interficit ibid.
Baſiliſcus maledici nota ibid.
Baſiliſci morſus ſigna 87
Bitumen quid ſit 40
Boracis natura & proprietas 259
Borax ex quibus conficiatur 261
Bupreſtis vnde dicta 195
Bupreſtis hiſtoria ibid.
Bupreſtis ſumptæ indicia Ibid.
Bupreſtis ſumptæ remedia ibid.

C.

CAchrys quid 39
Caligulæ venenū exitioſiſſimum 9
Caloris proprium quid ſit 20
Calamintha ſerpentes fugat 41
Calamintha vbi proueniat ibid.
Calaminthæ diuerſæ ſpecies ibid.
Canis tribus morbis infeſtatur 134
Canes quare rabie infeſtentur 135
Canum rabies duplex ibid.
Canes quando in rabiem agantur ibid.
Canis ſolus in rabiem agitur 136
Canis rabidi ſigna 137
Canis rabidi morſus ſigna 138
Canis rabidi morſus curatio 141
Cantharis vnde dicta 174
Cantharidis deſcriptio ibid.
Cantharidum hauſtarum ſigna 175
Cantharidum ſumptarum remedia ibid.
Cantharides veſicæ præcipuè noxiæ 7
Caſtaneæ vnde dictæ 188
Caſtoris deſcriptio 146
Caſtorium veneno reſiſtit ibid.
Cedrus ſerpentes fugat 41
Cedri reſina ſerpentum morſibus medetur 46
Ceraſtes 64
Ceraſtes aſtuta fera ibid.
Ceraſtæ auiculas venantur 65
Ceraſtis deſcriptio ibid.

Cera-

Ceraſtæ Pſyllis familiares ibi.
Ceraſtæ morſus ſigna 67
Ceraſtum in coniugum pudicitia exploranda vſus ibid.
Ceraſtæ morſus remedia 68
Ceremoniarũ in veneficiis vſus ſuperſtitioſus & diaboli figmentum 27
Ceruinum cornu ſerpentes fugat 38
Ceruſſa quomodo paretur 171
Ceruſſæ ſumptæ ſigna ibid.
Ceruſſæ ſumptæ remedia 172
Chelone vnde dicta 88
Chelydrus ibid.
Cherſydrus 79
Cherſydrus ranis veſcitur ibid.
Cherſydri deſcriptio ibid.
Cherſydri morſus ſigna 80
Cherſydrus mortuus quoque interimit ibid.
Cherſydri morſus remedia ibid.
Cicutæ deſcriptio 180
Cicuta frigidiſſima 181
Cicutæ epotæ ſigna ibid.
Cicutæ epotæ remedia ibid.
Cleopatra mortẽ ſibi aſpidis morſu conſciſcit 52
Columellæ opinio de generatione apum 110
Cor vitæ baſis 8
Coriandri deſcriptio 177
Coriandrum duplex 178
Coriandri ſumpti notæ 179
Cyrenaicus liquor torpedinem reddit innoxiam 131
Cytonia vnde dicta 185

D.

DAmæ cornu ſerpentes fugat 40
Dipſas 49.77
Dipſas vnde dicta ibid.
Dipſas à vipera differt ibid.
Dipſadis morſus ſigna ibid.
Dipſadis fabula 78
Dipſadis morſus remedia 79
Dorycnium 198
Dorycnium vnde dictum ibid.
Dorycnij ſumpti indicia 198.199
Draco 90
Draconum variæ ſpecies ibid.
Draconis deſcriptio 92
Dracones halitu oris aues præteruolantes attrahunt ibid.
Dracones ab Ethnicis in honore habiti ibid.
Draco Romam ductus peſtem pellit ibid.
Draco alatus 93
Draco marinus araneus Maſſilienſium 128
Draco marinus Galliæ familiaris ibid.
Draconis marini deſcriptio ibid.
Draconis marini ictus ſigna ibid.
Draconis marini ictus remedia 129
Dryinus vnde dictus 88
Dryinus quercui inimiciſſimus ibid.
Dryinus vbi moretur ibid.
Dryini deſcriptio ibid.
Dryinis Helleſpontus abundat 89
Dryini morſus ſigna ibid.
Dryini morſus remedia eadẽ cum Cherſydro 90
Duas ineſſe in qualibet re naturali facultates 244
Duffo Scotorum Rex à veneficis faſcinatur 31

E.

EChium aduerſus ſerpentes efficaciſſimum 42
Echium vnde dictum ibid.
Ephemerum partes nutritioni deſtinatas lædit 7
Ephemerum Colchicum vnde dictum. 186
Ephemerum vno die interimit ibid.

Epheme-

Ephemeri deſcriptio ibid.
Ephemeron non eſt Hermodactylus ibid.
Ephemeri ſumpti ſigna 188
Ephemeri ſumpti remedia ibi. 189
Eruca ſerpentes fugat 47
Erucæ è quibus gignantur ibid.
Europæ montes 59

F.

FAcultas occulta 248
Facultates euidentes 244
Faſcinatio quid ſit 29
Faſcinatio iuuenibus vt plurimum familiaris ibid.
Feminæ viris frigidiores 20
Fernelij error 13
Filix ſerpentes abigit 39
Frigoris proprium quid ſit
Fungi deſcriptio 217
Fungus fermentũ terræ dictũ 218
Fungorum diuerſæ ſpecies ibid.
Fungi venenoſi qui 219
Fungorũ venenoſorũ indicia ibi.
Fungorum aſſumptorum remedia 220

G.

GAgates lapis ſerpentes fugat 38
Gagates lapis vbi proueniat ibid.
Gagates non eſt ambra nigra 39
Gagates quid ſit ibid.
Gagatis ſuffitu virginitas deprenditur ibid.
Gagates ab igni conſumi non poteſt ibid.
Galbanum ſerpentes abigit 41
Galbanum quid ſit ibid.
Galeni error 10
Gorrhæus Dioſcoridem emendat
Gradus ad cognoſcendam proportionem 245
Greuinus febri laborat 20

H.

HÆmorrhous 69
Hæmorrhous vnde dictus ibid.
Hæmorrhoi deſcriptio ibid.
Hæmorrhous vbi habitet ibid.
Hæmorrhoi cum Ceraſte cognatio ibid.
Hæmorrhoi morſus ſigna 70
Hæmorrhoi morſus remedia 72
Hermodactyli deſcriptio 187
Heſiodi patria 35
Hippomanes quid ſit 25
Hippopotamus 146
Hirudinum diuerſæ ſpecies 214
Hirudinum deſcriptio 215
Hirudinum delectus ibid.
Hirudinis hauſtæ ſigna 216
Hirudinis hauſtæ remedia ibid.
Homo odoratis quare delectetur
Humores an in venena conuerti poſſint 13
Hydrophobiæ ſigna 55
Hyoſcyamus vnde dictus 202
Hyoſcyami deſcriptio ibid.
Hyoſcyami diuerſæ ſpecies ibid.
Hyoſcyami aſſumpti ſigna 203
Hyoſcyamus vinum natura refert ibid.

I.

IAculi deſcriptio 95. 97
Iaculi morſus curatio ibid.
Ichneumon 55
Ichneumon vnde dictus ibid.
Ichneumonis hiſtoria ibid.
Ichneumon Nili Lutra dictus ibi.
Ichneumon aſpidi & Crocodylo infeſtus ibid.
Impoſtorum fraus in curando canis rabidi morſu 140
Infantibus vetularum conſuetudo quandoque noxia 30
In veneficijs quæ ſint conſideranda 275
Ioannes Lignarius Pharmacopola 61
Italorum Bucon quid ſit
Iuglandis vmbra venenoſa 233
Iuli deſcriptio 112
Iuli morſus ſigna 113

Lac

L.

LAc coagulatum quid ſit 196
Lactis coagulati ſumpti remedia 197
Lactis coagulati ſumpti indicia ibid.
Laſeris hiſtoria 46
Launæi rationes fictæ refelluntur 266
Leoni gallus infeſtus 87
Lepus marinus vnde dictus 209
Leporis marini deſcriptio ibid.
Lepus marinus δυσάλωτος ibid.
Lepus marinus vbi inueniatur & quibus veſcatur ibid. & 211
Leporis marini diuerſa genera 210 & 211
Leporis marini aſſumpti ſigna 211 & 213
Lepus marinus peculiariter pulmonibus infeſtus 112
Lepra vnde oriatur 16
Leuce quid ſit 75
Lithargyrum pluribus modis fit 226
Lithargyrum quid ſit ibid.
Locuſta Britannicum maritum veneno conficit 8
Loniceri & Gillij error in Scytale 36
Lucretius philtrum hauſit 29
Lycophrō pœta antiquiſſimus 126

M.

MAgia à Perſis in magno habetur pretio 27
Mali Punicæ rami ſerpentes fugant 44
Magiſtratus animaduertere debet in impoſtores 266
Malleus veneficarum 31
Malua agreſtis venena pellit 47
Marrubium 146
Marſi Italiæ incolæ 66
Marſi ſerpentum ictibus medentur ibid.
Marſis venenorum curandorum modum falſò attribui ibid.
Marſilius Ficinus homo doctus 29
Marſyas excellens muſicus 192
Matthioli error de natura ſerpentum 19
Matthioli temeritas 104
Matthiolus nimis temerarius in reprehendendo 114
Matthioli de torpedine error 131
Matthiolus rei herbariæ peritiſſimus 74. 187
Matthioli de lepore marino error 212
Medea magicæ artis perita 186
Medicamentum purgans 251
Medicamenta arte quomodo corrigantur 257
Medicamentorum purgantium effectus, & legitimus vſus 252
Medicamentorum corrigédorum duplex ratio 103
Medicamentorum purgantium noſtrorum defenſio 273
Medicamenta quomodo ſint in vſum transferenda 149
Meduſæ caput à Perſea abſcinditur 34
Medicus à venefico quid differat 5
Mellis Pontici ſumpti remedia 171
Meſſalinus hirudine admota periit 215
Metallorum in vniuerſum natura quæ 247
Miliaris ſerpens 94
Miliaris ſerpens vnde dicatur ibi.
Miliaris ſerpens non eſt iaculus ibid.
Miliaris ſerpens vbi habitet 95
Miliaris ſerpétis morſus ſigna ibi.
Miliaris ſerpentis morſus remedia ibid.

Modus corrigendi medicamenta per alterius admixtionem 256
Morbi variant pro diuerſitate ſubiecti 255
Morbus contagioſus qui 6
Morſus venenati quando ſint omnium maximè pernicioſi 118
Mithridatium minus præſtans ad venena remedium 159
Mulieres quædam quare longiſſimam inediam pertulerint 22
Mus Indicus ab Ægyptiis in honore habitus 55
Muſcæ vocabulum generale apud Gallos 109
Muſcarum multæ ſpecies ibid.
Muſcarum ictus ſigna 111
Muſica Phalãgij ictui medetur 103
Muris aranei deſcriptio 114
Muris aranei morſus facilè cognoſcitur ibid. (infeſtus ibi.
Mus araneus teſtibus plerunque
Mus araneus à Nicandro cæcus dictus ibid.
Mus araneus talpæ non multum abſimilis ibid.
Mus araneus pernicioſiſſimus 115
Muris aranei morſus ſigna ibid.
Muris aranei morſus remedia ibi.
Murænæ deſcriptio 121
Muræna vbi habitet 123
Murænæ morſus remedia ibid.
Muræna Iouio Lampetra eſt ibid.

N.

NAſturtium ſerpentes abigit 40
Naſturtium vnde dictum ibid.
Natrix terreſtris 79
Naturæ ordo mutari nequit 254
Necromantiæ cauſa ad Dæmones referenda 31
Nicander quare primùm ſuum librum Theriaca inſcribat 32
Nicander poëta fuit eximius & excellenti ingenio 33
Nicander excellens medicus ibid.
Nicandri patria 65
Nerium 145

O.

OCuli duces in amore 29
Ops Saturni coniunx 35
Opium quomodo paretur 106
Opij delectus ibid.
Opij aſſumpti ſigna ibid.
Opij aſſumpti remedia 207.208
Origo ſeu cauſa facultatum occultarum 249
Onogyris Nicandri auctori incognita 44
Onogyris non eſt anagyris ibid.
Orion ab vrina denominatus 34
Orion à Scorpione in talo læſus moritur ibid.
Oriõ ſydus quare collũ dicatur 35
Origanum aduerſus venena pollet 59
Origani diuerſæ ſpecies ibid.
Origano quidam aſini mirè delectantur ibid.
Othrys Græciæ mons 50

P.

PAletheobori & Thelchini aſpectu ſimplici tabẽ inducunt 31
Panaces venenis reſiſtit 144
Panacis hiſtoria ibid.
Pamphila venefica 25
Paſtinacæ deſcriptio 124
Paſtinacæ aculeus venenoſus eſt ibid. (125
Paſtinaca Romanis aquila dicta ibid.
Paſtinacæ mira natura ibid.
Paſtinaca Muſica & ſaltatione delectatur ibid.
Paſtinacę radius exitioſiſſimus 126
Paſtinacæ ictus ſigna 127
Paſtinacæ ictus remedia ibid.
Paſtilli ad venena 47
Peſtis contagioſa eſt 6
Petrarcha à Laura ſua faſcinatus 30
Petrus Quentus Pharmacopola Pariſienſis doctiſſ. 187

Pha-

Phalangium 98
Phalangiorum diuerſæ ſpecies 99 100. 101
Phalangiorũ ictus ſigna 103. 104
Phalangiorũ morſus remedia 103.
Phalena quid 103 (105
Pharmacopola quidam à vipera morſus 27
Philtra quam vim habeant 29
Piſces quare extra aquam moriantur 21
Pinus quare reſinam fundat 192
Pinorum erucæ venenoſæ 234
Pharicum vnde dicatur 200
Pharici ſumpti indicia ibid.
Papauer corniculatum vnde dictum 205 (ibid.
Papaueris corniculati deſcriptio
Papauer nigrum omnium exitioſiſſimum 206 (45
Peucedanũ contra venena prodeſt
Polium montanum aduerſus venena efficax 42
Polium duorum generum ibid.
Polij duo genera 193
Pleiades vnde dictæ 48
Pleiadum fabulæ ibid.
Pleiadum ortus ibid.
Plinij error in ſerpentum ortu 50
Præſeruantium remediorum à venenis ſilua 159
Promethei furtum 189
Principes quomodo à venenis tutos ſe reddere queant 157
Pſylli Lybiæ populi 65 (66
Pſylli viperarũ morſibus medētur
Ptyadis ſaliua venenoſa 52
Puella napello nutrita 12
Pulicaria vnde dicta 43
Pulicariæ diuerſæ ſpecies ibid.

Q.

QValitates primæ 244
Qualitates ſecundæ 245

R.

RAia Gallorum Paſtinaca 124
Ranæ rubetæ paluſtres aſpectu exitioſiſſimæ 31. 224
Ranarum venenatarum tres ſpecies 222
Ranarum venenatarũ virus quomodo pellendum 225
Ratio diuerſitatis medicamentorum 252
Res naturales quid ſint 2
Res non naturales ibid.
Res contra naturam ibid.
Rhabarbarum 272
Roſmarini radix ſerpētes pellit 39
Roriſmarini duo genera ibid.
Rondeletius ſcripſit libros de piſcibus 120
Rondeletio in piſcium hiſtoria pluſquam ceteris fidēdum 209
Rubia tinctorũ ſerpentes fugat 45
Rubiæ tinctorũ mira facultas ibi.

S.

SAgittas inficiendi ratio quem habuerit ortum 111
Salamandra regis Gallorum Franciſci ſymbolum 116
Salamandra lacertæ ſpecies 117
Salamandræ deſcriptio ibid.
Salamandra è terræ limo gignitur ibid.
Salamandra tandem igni quoque comburitur ibid. (ma ibi.
Salamandra hominibus infeſtiſſi-
Salamandræ ſaliua peſtifera ibid.
Salamandræ morſus ſigna 118
Salamādræ morſus remedia ibid.
Salamandræ aquatilis deſcriptio 120 (193
Sanguinis taurini aſſumpti ſigna
Sanguinis taurini aſſumpti remedia 194
Sanguis taurinus cùm ſumptus fuerit, cauēdus eſt vomitus ibi.
Saliua humana ſerpentibus inimica 46
Saluia venenis inimica ibid.

Sannazarius eximius poëta 26
Santes Ardoynus 76
Saturnus deorum antiquiſſimus 33
Saturnus mares omnes è coniuge ſuſceptos comedit ibid.
Sciron 59
Scolopendræ duæ ſpecies 102
Scolopendræ deſcriptio ibid.
Scolopendra biceps ibid.
Scolopendra ophioctona 113
Scolopendra marina ibid.
Scolopendræ mira ſolertia ibid.
Scolopendræ ſaliua humana exitioſa ibid.
Scolopendræ ictus ſigna ibid.
Scolopendræ ictus curatio ibid.
Scorpionum origo 34
Scorpio grandinoſus quare dictus 35
Scorpionis deſcriptio 106
Scorpionum diuerſæ ſpecies ibid.
Scorpio quidam à Paguro gignitur 107
Scorpiones alati ibid.
Scorpiones maximè exitioſi qui ibid.
Scorpiones in Pharo non ita peſtiferi 23
Scorpionum ictus ſigna 108
Scorpionum ictus remedia ibid.
Scorpio ſibi ipſe remedium ibid.
Scytale vnde dicta 83
Scytalis deſcriptio 84
Sepedon vnde dictus 73
Seps à Sepedone diuerſus 74
Sepis hiſtoria è Pauſania ibid.
Sepis morſus remedia 77
Seps lacertæ ſpecies 115
Seps lacerta Chalcidica dictus 116.
Serpentes Gallici frigidiſſimi 19
Serpentes quare hieme latitent 21
Serpentes longiſſimo tempore abſque cibo viuunt ibid.
Serpentum fabuloſa origo 33
Serpentes omnes è Titanum interfectorum ſanguine procreati 34
Serpens generale vocabulum 36
Serpentes quibus in locis præcipuè inueniantur ibid.
Serpentes fœniculo viſum recuperant 37
Serpentes feminæ maribus periculoſiores 48
Serpentes æſtate fugiendi ibid.
Serpentes vino delectantur 157
Serpyllum ſerpentum morſibus medetur 43
Solanum ſerpentes pellit 44
Solanum quomodo ſerpentibus infeſtum ibid.
Stellio 96
Stellio vnde dictus ibid.
Stellio quibus veſcatur ibid.
Stellio non eſt Italorum terrantula ibid.
Stellionum exuuiæ morbi comitialis remedium ibid.
Stelliones vbi habitent ibid.
Stellionum morſus exitioſiſſimus 97
Stellionum odium in Scorpiones ibid.
Stellionum origo fabuloſa ibid.
Suffitus ſerpẽtibus inimiciſſimi 37

T.

Tarantula 103
Taxi hiſtoria 232
Taxi arboris venenoſæ indicia & curatio 233
Titan Saturni frater primogenitus 33
Titan aduerſus ſuos liberos pugnã inſtituit ibid.
Telegonus parricida 126
Teſtudinis inſtrumẽti Muſici origo 119

Themi-

Themiſtocles Athenienſium dux ſanguine taurino necem ſibi conſciſcit 194
Thracius lapis ſerpentes abigit 40
Torpedinis diuerſæ ſpecies 131.
Torpedinis deſcriptio ibid.
Torpedinis noxiæ ſigna 132
Torpedinis remedia ibid.
Torpedinum mira natura 133
Torpedo capitis dolori medetur ibid.
Torpedo arthritidi medetur ibid.
Torpedo partum facilitat ibid.
Torpedo ſterilitatem inducit ibi.
Torpedo vnde dicta 131
Trifolium bituminoſum 145
Toxicum quid ſit, neſcitur 182
Toxici varia deſcriptio 183
Toxicum nō eſt napellus Arabum ibid.
Toxico ſagittæ olim inficiebantur ibid.
Toxici hauſti ſigna 184
Toxici hauſti remedia ibid.
Tuſſis ſicca quid ſit 184

V.

VEnenum quid ſit 3. 250
Veneficus quis ſit 3
Veneni vocabulum variè accipitur 3
Veneni vox apud Gallos ſemper in malam partem accipitur ibid.
Venenenum alimento tota ſua natura contrarium 4
Venenorum notitia quatenus ad medicum ſpectet 5
Venenorum diuerſæ ſpecies ibid.
Venenum naturale quid ibid.
Veneficia vnde ibid.
Veneficiorum depulſio vnde petenda ibid.
Venena artificialia 6
Venenoſi morbi qui ibid.
Venenoſorum morborum duo genera ibid.
Venenorum tres ordines ibid.
Venena quædam tota ſunt noxia 7
Venena minus pericuſoſa quæ ibi.
Venena cordi inimica ibid.
Venenorum operatio ſubita vel tarda vnde 8
Venena frigida & viſcida tardius interimunt ibid.
Venena calida citiùs iugulant ibi.
Venena ab Italis miro artificio parantur 9
Venenorum frigidorum actio calore iuuatur 11
Venena an nutrire queant 12
Venenum veneno tanquam clauo pelli 16
Veneficium quid ſit 24
Venefici quomodo faſcinatione vtantur 25
Veneficia Lege 12. tabularum prohibita 26
Venefici paſtillos è Salamandra parant 117
Veneni parua moles cur tam ſubitò actiones ſuas exerceat 155
Venenum quæ arguant 161
Veneni effectus 253
Verba per ſe in incantationibus nihil efficiunt 26
Venena quibus modis abigantur 37
Vernatio Plinio quid ſit ibid.
Vinea Theriaca dicta 33
Vipera 58
Vipera vnde dicta ibid.
Viperæ quandoque magnæ quandoque paruæ 59
Vipera mas & femina in quibus differant 60
Viperæ morſus ſigna 61
Viperæ morſus remedia ibid.

Victus ratio aſſumpto veneno obſeruanda 162
Vitex aduerſus ſerpentes facit 42
Viticis hiſtoria ibid.
Viticis duo genera ibid.
Venenorum à Nicandro prætermiſſorum enumeratio 234
Veſparum ortus 111
Veſpæ ictus vehemens ibid.
Veſpæ viperis inſidiantur ibid.
Vlophonon 189
Vlophoni ſeu Ixiæ hiſtoria 191
Vlophoni ſumpti indicia 192
Vlophoni ſumpti remedia ibid.
Vnguenta variè ab auctoribus accipiuntur 45
Vulgi ſtulta opinio de morborum cauſis 6
Vulneris à ſagitta illita toxico accepti notæ & remedia 187

FINIS.

Errata ſic corrigito. prior num. paginam, alter verſum indicat.

Fol. 1. verſu 29. quæ. 2. 5. eos. 2. 8. ſunt. 3. 34. Venenum quod veneficus. 4. 26. vigiliæ. 6.8.ceruſæ. 9.17.factitabant. 15.31.pandiculatio. 15. 37. oſtendit. 17. 38. Qui vult alias quoque cauſas apud Hippocratem : adde,lib. 1. de Morbis conciderct. Et quod ad frigiditatem attinet, an non hoc ipſum Gal.ſub finem. 18.2. putreſcit. 19. 8. facultas. 20. 18. abundat. 24. 20. naturali. 24.28. harum. 25. 24. inguinibus. 29. 22. intellexerimus,extricabimus.29.31. procreare. 30. 39. tandem. 31. 24. ignem. 34. 14. intempeſtas. 34.39. diſpoſitionem. 55.2. Fuchſius.40.1. dictæ.40.13. Sulphure. 46.2.quæ. 50.9.amplexus. 50. 17 rumpuntur. 51. 19. χερσαίαι. 51. 20. χελιδωνίαι. 52. 6. repræſentant. 53. 13. proprietates. 58. 12. viuiparam. 59. 28. Ceraſtis. 61. 2. vulgoq́ue.61.25.humorum. 62.17.Inextinguibilem. 64. 21. Nec. 64. 37. toti. 65.1.abſcondunt. ibid.29. carpus,facile. 66.28.Qui ſe. 66. 35.tandem. 69. 1. Hæmorrhous. 69. 28. flagrat. 70. 3. protruderunt.71. 11. preſſura. 74. 34. eum. 75. 19. prætereà. 77. 18.Dipſas ibid. diuerſa. 78. 9. quàm. 78.25. idq́ue. 80.11. Symptomatum. 86.29. interimit. 87.29. pilorum. 89.3. latiuſculum. 90. 21. felli vomitum. 100. 10. occupant. 100.11.obſeruant. 100. 14. animalculum. 101. 21. prægrandi.101.30. magisq́ue lentus.103.36.Phalenæ.104.33.ſimilis.105.17.debere inter &c. 107.3.inexplebile. 107.39. Symptomata. 109. 4. ἀντιπάθεια. 110. 23. Item : Vagabunda 111. 9. crudiuoræq́ue. 111.21.Reges. 111.23.innolent. 114.17. vidiſſe. 114. 20. accuſare. 115. 26. nimirum. 115.28. lacertas. 117.13. procreatur. 118.7. ſoporem. 120.31. pharmacopolarum. 123. 17. Paulus. 128.31. coqui. 129.20. premitur. 137.25. Familiarium. 140.37. ſecutæ. 141. 30. cucurbitulæ.145.2. dele rubro. 145. 21. verbaſco. 149. 22. Anchuſæ. 151. 32. appellatur. 152. 15. inflexu. 152. 20. cinnamomum. 153. 16. ſubſternuntur. 160. 15. veneno. 160. 22. Menelbo. 162.1.comitatur. 163.12.id. 164. 29. ſint. 166.3. ſubhirſuta. 170.16. Policnemi. 171. 10. accidentia. 171.26. quòd ad. 173.1.& ad. 173. 2. vt. 176. 1. vt 176. 4. proprietate. 181. 36. pauxillum. 182. 26. conſilio. 183.30. ἐξοχὴν. 185. 6 præſtant. 185.18. quandoque. 186. 13. Colchi. 188.1.comediſſet. 189. 1. referunt. 192. 37. Tale polium. 193. 2. Dioſcorides, vel quiſquam alius. 194. 4. ſpiritum. 194.9.contrarius. 195. 3. βάτραχος. 196. 4. roborandi. 197 29 eat,&. 198. 18.& vt. 199.19. quæ. 200.8.infra. 202.11. cytini. 230. 36. ceparum. 209. 3. λαγωὸς. 210. 7.mirandum. 212.9.Lonicero. 212.32. conuerti. 213. 1. Germinanti. 213. 5. Rondeletium. 213. 31. ſimilitudinem.216.9.dum.216.23.medicatis. 218.1. vel loci. 218.32.calcar. 218.35.qui. 219 31.color. 220. 30. oxycrato. 223.2.æſtatis. 223.11. perforari. 224.34. vocat.